ORIENTALIA CHRISTIANA ANALECTA
158

MAURICIUS GORDILLO S. I.

in Pontificio Instituto Orientalium Studiorum
Professor Theologiae Comparatae

THEOLOGIA
ORIENTALIUM CUM LATINORUM COMPARATA

COMMENTATIO HISTORICA

T. I

Ab ortu Nestorianismi
usque ad
expugnationem Constantinopoleos
431-1453



PONT. INSTITUTUM ORIENTALIUM STUDIORUM
PIAZZA SANTA MARIA MAGGIORE
ROMAE
1960

ORIENTALIA CHRISTIANA ANALECTA

Constituunt collectionem in qua tum textus orientales tum ampliores lucubrationes eduntur. « Orientalia Christiana Analecta » prodeunt nullo determinato temporis intervallo.

1939. — 119. **N. de Baumgarten**, Aux origines de la Russie, p. 88.
L. it. 1000; Doll. 1.80

120. **Ir. Hausherr S. I.**, Jean le Solitaire (Pseudo-Jean de Lycopolis). Dialogue sur l'âme et les passions des hommes. Traduit du syriaque sur l'édition de Sven Dedering, p. 108. L. it. 1200; Doll. 2 —

121. Prof. Dr. **A. Michel**, Amalfi und Jerusalem im griechischen Kirchenstreit (1054-1090), p. 68. L. it. 350; Doll. 0.60

122. **P. St. Bello**, La Congrégation de S. Hormisdas et l'Église chaldéenne dans la première moitié du XIX[e] siècle, p. XII-250.
L. it. 1500; Doll. 2.50

123. **Curt Peters**, Das Diatessaron Tatians, p. 235. L. it. 4000; Doll. 6.50

124. **P. Tekeyan**, Controverses christologiques en Arméno-Cilicie dans la seconde moitié du XII[e] siècle (1165-1198), p. 130.
L. it. 900; Doll. 1.50

1940. — 125. **W. de Vries S. I.**, Sakramententheologie bei den syrischen Monophysiten, p. 263. L. it. 1500; Doll. 2,50

126. **M. A. van den Oudenrijn O. P.**, Les Constitutions des Frères Arméniens de S. Basile en Italie, p. 144. L. it. 900; Doll. 1,50

127. **P. Baron**, Un théologien laïc orthodoxe russe du XIX[e] siècle: Alexis Stépanovitch Khomiakov (1804-60). Son ecclésiologie. - Exposé et critique, p. 293. L. it. 3600; Doll. 6 —

128. **U. Monneret de Villard**, Le chiese della Mesopotamia, p. 117, 93 tavole fuori testo. L. it. 3000; Doll. 5 —

1941. — 129. **A. Wuyts S. I.**, Le Patriarcat Russe au concile de Moscou de 1917-1918. Son érection et sa constitution canonique, p. 244.
L. it. 4000; Doll. 6.65

130. **G. Hofmann S. I.**, Vescovadi Cattolici della Grecia. V. Thera-Santorino, p. 146. L. it. 900; Doll. 1.50

1942. — 131. **C. Vagaggini O. S. B.**, Maria nelle opere di Origene, p. 226.
L. it. 3000; Doll. 5 —

1944. — 132. **Ir. Hausherr S. I.**, Penthos. La doctrine de la componction dans l'Orient chrétien, p. 209. L. it. 2400; Doll. 4 —

1947. — 133. **W. de Vries S. I.**, Sakramententheologie bei den Nestorianern, p. 298. L. it. 1800; Doll. 3 —

1949. — 134. **P. Stephanou S. I.**, Jean Italos, Philosophe et humaniste (XI s.), p. 121. L. it. 1000; Doll. 1.70

1950. — 135. **G. Petrowicz**, L'unione degli Armeni di Polonia con la Santa Sede (1626-1686), p. XIV-334. L. it. 2300; Doll. 4 —

1952. — 136. **G. Hofmann S. I.**, Das Papsttum und der griechische Freiheitskampf (1821-1829), p. 210. L. it. 1800; Doll. 3 —

137. **Ir. Hausherr S. I.**, Philautie. De la tendresse pour soi à la charité, p. 180. L. it. 1200; Doll. 2 —

Peter E. Fink SJ
Weston School of
Theology
Cambridge, MASS

ORIENTALIA CHRISTIANA ANALECTA

N. 158

THEOLOGIA
ORIENTALIUM CUM LATINORUM
COMPARATA

ORIENTALIA CHRISTIANA ANALECTA
158

MAURICIUS GORDILLO S.I.

in Pontificio Instituto Orientalium Studiorum
Professor Theologiae Comparatae

THEOLOGIA
ORIENTALIUM CUM LATINORUM COMPARATA

COMMENTATIO HISTORICA

T. I

Ab ortu Nestorianismi
usque ad
expugnationem Constantinopoleos
431-1453



PONT. INSTITUTUM ORIENTALIUM STUDIORUM
PIAZZA SANTA MARIA MAGGIORE
ROMAE
1960

IMPRIMI POTEST

Romae, 4 Martii 1960.

R. P. Alphonsus Raes, S. I.
Praes. Pont. Inst. Orient.

IMPRIMATUR

Romae, 8 Martii 1960.

† Hector Cunial
Archiep. tit. Soteropolit. Vicesgerens

TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE - ROMAE

PRAEFATIO

I. Macarii Bulgakov de Theologia Comparata sententia: Suo in opere *Introductio in Theologiam Orthodoxam* Moscoviensis Metropolita Macarius plures novit scientias auxiliares sacrae Theologiae, quarum alias historicas, alias *comparatas* dicit [1]. Has inter, una cum Liturgia Comparata et Iure Canonico Comparato, habetur *Dogmatica* seu *Theologia Comparata,* cuius est: « investigare discrimina dogmatica, quae intercedunt inter Ecclesiam Orthodoxam et reliquas hodiernas confessiones et sectas christianas » [2].

Porro, Theologiae Comparatae, de mente Macarii, tres sunt species, nempe: « *symbolica,* quae, omni amota confutatione, positive tradit variarum Ecclesiarum et Confessionum christianarum collatas ad invicem sententias, prouti hae sententiae perhibentur ab ipsarum Libris Symbolicis; *polemica,* quae nuda expositione minime contenta, satagit discrimina refellere quibus reliquae Confessiones a doctrina Orthodoxorum recedunt; tandem *irenica,* quae media quaerit ad haec discrimina tollenda et aliorum sententiis cum Orthodoxiae veritate conciliandis studet » [3].

Ex iis vero Macarius primas defert *Theologiae Comparatae polemicae,* veterem scholarum theologicarum slavicarum usum sibi retinens, licet rationem irenicam non penitus excludat.

II. Nostra Theologiae Comparatae ratio: Quo nos consilio hanc Theologiae provinciam ingrediamur satis patere censeo ex documentis latis circa disciplinas theologicas tradendas in Pontificio Instituto Orientalium Studiorum. Eius conditor Benedictus PP. XV iubet auditores doceri « Theologiam Orthodoxam,

[1] Makarii Bulgakov, Введеніе въ Православное Богословіе, § 163, ed. 2, Petropoli 1852, 356. In versione autem gallica *Introduction à la Théologie Orthodoxe de Macaire*, traduite par un russe, Paris 1857, 637-638.

[2] O. c., § 181 (180 in vers. gall.), p. 380, 683.

[3] O. c. § 163, p. 356, 638.

quae varias Christianorum Orientalium doctrinas attingat »[4]; id quod hisce declarant *Acta Instituti Orientalis* ad annum 1920: « Obiectum *proprium* harum praelectionum est exponere doctrinam theologicam dissidentium orientalium, praesertim Graeco-Russorum, qui ' orthodoxi ' vulgo audiunt. Haec autem expositio non respicit tantummodo doctrinam prout nunc traditur in Ecclesiis separatis, sed spectat etiam ad eiusdem doctrinae historicam evolutionem, inde a separatione perfecta Ecclesiarum, et versatur potissimum, tum circa capita quae decursu temporum de facto fuerunt controversa, tum circa quaedam alia in quibus ... ab Ecclesia Catholica dissident, quamvis numquam in controversiam venerint. Unde prae oculis semper habenda est doctrina catholica, quacum confertur theologia dissidentium »[5].

Haec verba si consideres, nullo sane negotio intelleges quaenam sit *indoles,* quaenam vero *confinia* nostrae tractationis. Nimirum, erit apprime *irenica;* nihil enim nobis magis cordi est quam operam nostram sincerae christianorum omnium unitati redintegrandae conferre; praesertim cum illa quae feruntur doctrinalia discrimina vix non omnia praeiudicatis tantum consistant opinionibus, quas, sicut partium studium peperit, ita quoque veritatis amor dissolvet. Equidem, ut verum loquar, huic meo qualicumque operi manus numquam admovissem, nisi mihi alte persuasum foret ipsum variarum sententiarum fluxum nos ad communes perennesque adducere fontes, et correctionem vel interpretationem, si qua opus sit, sponte suggerere[6].

Praesertim si non ad unam alteramve minutam quaestionem animum convertas, sed ad ea quae magis praecipua ac generalia sunt, ut nos praestabimus. *Campus* enim nobis Theologiam Comparatam agentibus *infinitus fere* patet. Orientales enim quarumcumque nationum et quorumcumque rituum omnes complectimur, omnes temporis periodos respicimus a primis separationis exordiis ad nostram usque aetatem, cunctas denique

---

4 BENEDICTUS XV, *Motu proprio « Orientis catholici »*, 15 oct. 1917; AAS 9 (1917), 532.

5 *Acta Pontificii Instituti Orientalis*, Romae 1920.

6 Haec autem indoles irenica, etsi aliter sentiat Sophiensis professor Stephanus ZANKOW, *Das Orthodoxe Christentum des Ostens*, Berlin 1928, 15 ss, minime aliena est a Catholicis de Orientalibus disserentibus, quibus illam commendavit PIUS XI sua allocutione die 20 ianuarii 1927 ad Foederationem Universitariam Catholicorum Italiae habita.

theologicas sententias, etiam illas de quibus numquam disceptatum fuit, accuratissime trutina examinare debemus.

III. Methodus tractationi adhibenda: Age iam, ut huic nostro muneri satis faciamus, vitantes periculum ne celeri cursu, absque fructu et scientifica utilitate, quaestiones diversas agitemus, satius mihi visum fuit *methodum* tenere Historiae Dogmatum propriam. Nimirum, historia duce, diversarum periodorum scholas theologicas, praecipua quaeque doctrinae capita, controversias sive intestinas sive cum aliis christianorum coetibus agitatas, harum rerum omnium originem, nexum et habitudinem ad alia religiosa systemata Orientis et Occidentis illustrare conabimur; et quidem hac lege, ut ipsa sententiarum collatio inter auctores coaevos iugiter instituatur. Quare, nostrae tractationi titulum imposuimus: *Commentatio historica.*

Scio sane hanc methodum duobus praesertim incommodis laborare. Videlicet, desideratur hactenus plenior operum theologicorum orientalium editio, de quo dolebat iam maximus ille Theologiae Comparatae scriptor Martinus Jugie [7]; verumtamen quae nobis pervia sunt sufficiunt ad exigendum opus, sin minus numeris omnibus absolutum, saltem vere utile iis qui scientificam praeparationem nancisci cupiunt ad Orientalium theologiam altius excolendam.

Alterum vero incommodum est illud efferri solitum: « brevis esse laboro, obscurus fio »; prohibemur enim, ut cordato cuique patet, uberioribus lucubrationibus de singulis quaestionibus. Contractionem vero sermonis supplere studebimus, bibliographicis adiumentis multiplicatis; illa norma usi tamen, ut Occidentalium scripta nonnisi recentiora attendamus, Orientalium autem etiam ea demus quae tempore anteacto, praesertim in Ephemeridibus graecis et slavis, typis vulgata sunt.

IV. Operis divisio: Ut autem et perspicuitati et brevitati et Historiae fluxui et scientificae tractationis indoli consulamus,

[7] M. Jugie A. A., *Theologia Dogmatica Christianorum Orientalium*, I, Pa 1926, 7: « Adeo manca et imperfecta est notitia, quam in praesenti statu disciplinarum orientalium de historica evolutione theologiae dogmaticae apud dissidentes Orientales assequi licet, ut propositum tradendi aliquam huius theologiae summam inter ea quae vix effici possint merito sit computandum. Quis namque est qui ignoret monumentorum theologiae orientalis maximam partem nondum typis fuisse vulgatam, atque in codicibus lectu plerumque difficillimis nec aditu facilibus adhuc delitescere? ».

praeiacta, introductionis ergo, consideratione de natura et indole Theologiae penes Orientales, materiei nostrae distributionem petimus a magnis illis eventibus, qui orientalibus separatis coetibus ortum dederunt, vel novam in eorum Theologia rationem induxerunt.

Talia ducimus, exempli gratia, Concilia Ephesinum, Chalcedonense, Lugdunense II atque Florentinum; Patriarchatus Photii et Caerularii, Palamismum, Protestantismum, Slavophilismum, aliaque his similia. Praecipuam vero attentionem meretur expugnatio Urbis Constantinopolitanae a Turcis die 29 maii 1453. Nova enim Roma debellata, tertia exsurgit, Moscovia inquam, quae sicut in rebus civilibus, ita quoque in religiosis et theologicis primatum tenuit.

Quare et hoc nostrum de Theologia Orientalium opus duobus voluminibus digestum voluimus; quorum primum litteras theologicas Orientalium respicit a primo Nestorianismi et Monophysismi ortu usque ad cladem Constantinopoleos; alterum vero, Deo volente et Beatissima eius Virgine Matre nobis opitulante, Orientalium doctrinam theologicam ab anno 1453 ad nostra usque tempora praebebit.

Scribebam Romae die Evangelismo festo, 1959.

Mauricius Gordillo S. I.

INDEX

CAPUT II

CAPUT III

CAPUT IV

CAPUT V

CAPUT VI

CAPUT VII

CAPUT VIII

CAPUT IX

SIGLAE ADHIBITAE

A A S — Acta Apostolicae Sedis, Romae 1909 ss.

A A V — Acta Academiae Velehradensis, Praha-Olomouc 1911-1920, 1932-1948.

A B — Analecta Bollandiana, Bruxelles 1882 ss.

A C V — Acta Conventus Velehradensis, Praha-Olomouc 1908-1937.

A F P — Archivum Fratrum Praedicatorum, Roma 1931 ss.

A G — Quae supersunt Actorum Graecorum Concilii Florentini, ed. I. Gill S. I., Romae 1953; in Concilio Florentino, t. V.

A L — Acta Latina Concilii Florentini, ed. G. Hofmann S. I., Romae 1955; in Concilio Florentino, t. VI.

App. — Joannes de Turrecremata, Apparatus super Decretum Florentinum Unionis Graecorum, ed. E. Candal S. I., Romae 1942; in Concilio Florentino, t. II, fasc. 1.

A U S — Annuaire de l'Université de Sophie. Faculté de Théologie, Sofia 1923 ss.

B A — Byzantinisches Archiv, Leipzig 1898-1927.

Bess — Bessarione, Roma 1896-1923.

Bi — Biblica, Roma 1920 ss.

B L A — Bulletin d'ancienne littérature et d'archéologie chrétiennes, Paris 1911-1913.

B L E — Bulletin de littérature ecclésiastique, Toulouse 1900 ss.

B O — J. S. Assemani, Bibliotheca Orientalis, Romae 1719-1728.

Boh — Богословія, Lviv 1923 ss.

B O R — Biserica Ortodoxă Română, București 1874 ss.

BoS — Bogoslovska Smotra, Zagreb 1913-1943.

BoV — Bogoslovni Vestnik, Ljubljana 1921-1939.

B V — Богословскій Вѣстникъ, Serghiev-Posad 1892-1917.

Byz — Byzantion, Paris-Liège 1924 ss.

ByzS — Byzantinoslavica, Praha 1929 ss.

B Z — Byzantinische Zeitschrift, Leipzig 1892 ss.

Ca — Candela, Cernauți 1882-1938.

C C — I. D. Mansi, Sacrorum Conciliorum nova et amplissima Collectio, Parisiis-Lipsiae 1901-1927.

ChC — Христіанское Чтеніе, Petropoli 1821-1917.
C E — The Christian East, London 1920 ss.
C F — G. Hofmann S. I., Em. Candal S. I., J. Gill S. I., Concilium Florentinum. Documenta et scriptores, t. I-VII, Romae 1940-1958.
C S C O — Corpus Scriptorum Christianorum Orientalium, Romae-Lipsiae-Parisiis, 1902 ss.
CTh — Collectanea Theologica, Leopoli 1919 ss.
D K — Духовная Култура, Sofia 1923 ss.
D O P — Dumbarton Oaks Papers, Cambridge Man. 1941 ss.
D T C — Dictionnaire de Théologie Catholique, Paris 1909-1950.
E A — Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια, Constantinopoli 1880-1923.
E E — Estudios Eclesiásticos, Madrid 1922 ss.
E E B S — Ἐπετηρὶς Ἑταρείας Βυζαντινῶν Σπουδῶν, Athenis 1924 ss.
Ek — Ἐκκλησία, Athenis 1923 ss.
E O — Échos d'Orient, Paris-Instanbul 1897-1940.
EPh — Ἐκκλησιαστικὸς Φάρος, Alexandriae 1908 ss.
E S — H. Denzinger - C. Rahner, Enchiridion Symbolorum, ed. 28, Friburgi-Barcinone 1952.
Et — Études, Paris 1857 ss.
Gr — Gregorianum, Roma 1920 ss.
G S L — A. Baumstark, Geschichte der Syrischer Litteratur, ed. 2, Bonn 1922.
H Z — Historische Zeitschrift, München 1859 ss.
I K Z — Internationale Kirchliche Zeitschrift, Bern 1911 ss.
Ir — Irénikon, Amay sur Meuse-Chevetogne 1926 ss.
J A — Journal Asiatique, Paris 1857 ss.
J M N P — Журналъ Министерства Народнаго Просвѣщенія, Petropoli 1803-1917.
J T S — The Journal of Theological Studies, London 1899 ss.
Ky — Kyrios, Könisberg 1936 ss.
Log — Логос, Waterfood, Ont, Canada 1950 ss.
M S E O — E. J. Kimmel, Monumenta Symbolica Ecclesiae Orientalis, Jenae 1843, 1830.
Mus — Le Muséon, Louvain-Paris 1881 ss.
N S — Νέα Σιών, Hierosolymis 1904 ss.
O C — Orientalia Christiana, Roma 1923-1935.
O C A — Orientalia Christiana Analecta, Roma 1935 ss.
O C P — Orientalia Christiana Periodica. Roma 1935 ss.
OrC — Oriens Christianus, Roma-Leipzig 1908-1941.

Ort — Ortodoxia, București 1949 ss.
Orth. — Ὀρθοδοξία, Constantinopoli 1927 ss.
O O — Orient und Occident, Leipzig 1929 ss.
O S — L'Orient Syrien, Paris 1956 ss.
P G — I. P. Migne, Patrologia Graeca, Parisiis 1857-1866.
P L — I. P. Migne, Patrologia Latina, Parisiis 1844-1865.
P O — R. Graffin - F. Nau, Patrologia Orientalis, Paris 1907 ss.
P S — Православный Собесѣдникъ, Kazan 1857-1917.
P T S O — Прибавленія къ изданію Твореній Святыхъ Отцевъ вь русск. перев., Moscoviae 1843-1886.
Put — Путь, Paris 1925 ss.
P V — Procès Verbaux du premier Congrès de Théologie Orthodoxe à Athènes 29 Novembre - 6 Décembre 1936, Athènes 1939,
R B — Revue Biblique, Paris 1902 ss.
R C — Russie et Chrétienté, Lille 1934 ss.
R E B — Revue des Études Byzantines, Paris 1943 ss.
R H — Revue Historique, Paris 1876 ss.
R H E — Revue d'Histoire Ecclésiastique, Louvain 1900 ss.
R I T — Revue Internationale de Théologie, Bern 1893-1910.
R O C — Revue de l'Orient Chrétien, Paris 1896 ss.
R O L — Revue de l'Orient Latin, Paris 1893 ss.
R S P T — Revue des sciences philosophiques et théologiques, Kain-Paris 1907 ss.
R S R — Recherces de science religieuse, Paris 1910 ss.
R T — Revista Teologică, Sibiu 1907 ss.
R T H — Recherches de théologie ancienne et médiévale, Louvain 1926 ss.
RTh — Revue Thomiste, Saint Maximin 1893 ss.
S B B A — Sitzungsberichte der Bayer. Akadem. der Wissenschaften, München 1883 ss.
S K — Seminarium Kondakovianum, Praha 1927 ss.
S L T — Slavorum litterae theologicae, Pragae 1905-1910.
S O — J. B. Chabot, Synodicon Orientale, Paris 1902.
S T — Studi Teologice, București 1929 ss.
StT — Studi e Testi, Roma - Città del Vaticano 1900 ss.
T D C O — M. Jugie A. A., Theologia Dogmatica Christianorum Orientalium, Paris 1926-1935.
T D O — A. Palmieri, Theologia dogmatica orthodoxa, Florentiae 1911- 1913.
Th — Θεολογία, Athenis 1923 ss.

T K — Труды Кіевской Духовной Академіи, Kiev 1860-1917.
T Q — Theologische Quartalschrift, Tübingen 1819 ss.
T P Q — Theologische Praktische Quartalschrift, Linz-Stuttgart 1848 ss.
TsV — Церковный Вѣстникъ, Petrograd 1875-1915.
TsVp — Церковный Вѣстникъ, Paris 1927-1938, 1946 ss.
T U — Texte und Untersuchungen, Leipzig, 1883 ss.
V R — Вѣра и Разумъ, Kharkov 1885-1917.
V V — Византійскій Временникъ, Petrograd 1894-1917.
Z K G — Zeitschrift für Kirchengeschichte, Gotha-Stuttgart 1890 ss.
Z K T — Zeitschrift für katholische Theologie, Innsbruck 1877 ss.
Z R A O — Записки Імператорскаго Русскаго Археологическаго Общества. S. Peterburg 1890 ss.

LOCUS EDITIONUM

A — Athenis	M — Moscoviae
B — București	P — Parisiis
Be — Berolini	Pa — Petropoli
C — Constantinopoli	R — Romae
K — Kioviae	S — Sophiae
L — Lipsiae	SP — Serghiev-Posad
Lo — Londinii	V — Venetiis

CAPUT I

DE NATURA ET INDOLE THEOLOGIAE ORIENTALIS

1. Oriens et Occidens: Tritum sermone dictum est Orientem inter et Occidentem radicalem vigere antithesin, ex ipsa intima rerum natura profluentem. Sic voluere nonnulli occidentalium, a quibus quaestio agitari coepta est de indole Orientis christiani [1]; horum autem exemplum plures orientales ad scribendum de *spiritu Orthodoxiae* permovit [2], et quidem eo pacto ut veri nominis oppositionem Orientem inter et Occidentem christianum detegant, licet rectius non de oppositione sed de diversitate dumtaxat loqui liceret [3].

Oppositionem declarat Berdjaev in ipsa humaniore et philosophica *cultura;* cultura enim graeco-romana, cuius fons habentur Athenae, e regione aversatur culturae orientalium a Ierusalem defluenti, qua orientales edocti sunt reicere omnem formalismum, iuridismum et auctoritatem in eorum vita religiosa et logici ratiocinii

---

1 P. Bratsiotis, *Die Grundprinzipien und Hauptmerkmale der orthodoxen Kirche;* PV, 116.

2 Praeter generales recentes tractatus cfr. A. Katanskii, Характеристика православія, римскаго католичества н протестантизма ; ChC, 1875, I, 3-32 Th. Uspenskii, Основной характеръ греко-восточнаго Православія; PS, 1911, II, 444-458; A. Harnack, *Der Geist der morgenländischer Kirche in Unterschiede von dem abendländischen;* SBPA, 6 (1913), 157; N. Glubokovskii, Православіе по его существу ChC, 1914, I, 3-22; F. Heiler, *Morgenländische und abendländishe Katholizismus;* IKZ, 16 (1926), 1-30; N. V. Arsen'ev, *Die Kirche des Morgenlandes,* Be 1926 (gallice *L'Eglise d'Orient;* Ir Coll., 3-4, 1928); G. V. Tsebrikov, *L'Esprit de l'Orthodoxie;* Ir Coll., 7 (1928); D. J. Chitty, *The spirit of orthodox Christianity;* CE, 10 (1929), 132-142; N. Berdjaev, Востокъ и Западъ, Put 23 (1930), 97-109; A. Alivisatos, Ἡ τῆς ἑλληνικῆς ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας ἀδιάκοπος συνέχεια μετὰ τῆς ἀδιαιρέτου Ἐκκλησίας, Alexandriae, 1934; B. Jasinowski, *O ciwilizacji wochodnio-chrešciańskiej,* Lublin 1937.

3 Iure animadvertit A. de Ivanka, *Orient et Occident — Une contribution au problème du schisme;* Ir, 9 (1932), 409-421: « C'est un axiome généralement reçu qu'il existe entre l'Occident et l'Orient une opposition nécessaire, fondée de part et d'autre sur une radicale différence d'esprit. Or, la persuasion de cette opposition est elle-même un des principaux obstacles à tout rapprochement ».

nexus perfringere [4]. ARSEN'EV repetito inculcat fundamentale discrimen in *mystica* experientia et vita ascetica et liturgica [5]. Alii denique altissimas huius discrepantiae radices defixas esse putant in *essentia* seu *spiritu Orthodoxiae;* quem BULGAKOV assimilat spiritui Apostoli Ioannis supra pectus Domini placide recumbentis, dum Petrus, quo gloriantur catholici, quaerit an duo gladii sufficiant, et Paulus, quem sequuntur protestantes, de libertate ab omni lege pluribus disputet [6]. Hic habes communiorem sententiam, qua ZANKOV [7] aliique contenti sunt; videlicet, Orthodoxiae spiritum in eo esse ut media gradiatur via inter Catholicismum et Protestantismum occidentalium, auctoritatem et libertatem, elementum terrestre et caeleste in se apte coniungens; haec autem armonica contrariorum synthesis nititur fundamentali illo conceptu de *Sobornost* a CHOMJAKOV acriter propugnato, quem veluti fulcrum atque insigne Orthodoxiae ducunt ŠEBATINSKII [8] et plures moderni auctores [9].

2. VARIA THEOLOGIAE SPECIES: Quae cum ita se habeant, fieri nequit quin haec radicalis diversitas, quam exaggerare tamen nefas est, propriam Theologiae Orientali speciem conferat. Nulla enim iniuria scribere licuit Metropolitae Leopoliensi Andreae SZEPTYCKIJ Orientem ab Occidente differre minus ipso dogmate quam ratione sub qua illud accipit atque declarat; ita ut hoc pacto « inter se discriminentur etiam in iis quaestionibus, qui-

---

4 L. c., 101.

5 N. v. ARSEN'EV, *Ostkirche und Mystik,* München 1925; *Die Kirche des Morgenlandes,* Be 1926. Ceterum quam facile quis hac in re decipiatur in hoc ultimo opere apparet; auctor enim ut *typum* pietatis orientalis sumit opus Ὁ ἀόρατος πόλεμος Nicodemi Athonensis seu Hagioritae; re tamen vera agitur de libro Theatini P. SCUPOLI, *Il Combattimento Spirituale* in graecam linguam a Nicodemo translato. Cfr. M. VILLER S. I. in Byz, III (1926), 444.

6 S. BULGAKOV, *L'Orthodoxie,* Pa 1932, 213. Simili utuntur ratione plures recentiores ut Metropolita SERAPHIM, *Die Ostkirche,* Stuttgart 1950, 195-207: Das christliche Leben in der Orthodoxie, et E. BENZ, *Geist und Leben der Ostkirche,* Hamburg 1957; cfr. p. 173.

7 St. ZANKOV, *Das Orthodoxe Christentum des Ostens,* Be 1928, 30; et in bulgarica eiusdem operis recensione Православното християнство. Неговата сжщипа и неговнатъ съвременепъ образъ, S 1942 (AUS, 19).

8 K. ŠEBATINSKII, Что такое Православіе? ; VR, 1917, I, 520-533.

9 Cfr. B. SCHULTZE S. I., *Problemi di teologia presso gli ortodossi. I. Spirito genuino dell'ortodossia*; OCP, 7 (1941), 149-205. Hanc probat rationem C. LIALINE OSB, *La position spéciale de l'Orthodoxie dans le problème oecuménique;* in opere *L'Église et les Églises,* II Chèvetogne 1955, 399-413, ubi ad *Khomjakov* eiusque *Sobornost* accurrit. Antea vero idem auctor scripserat in in opere *Qu'est-ce que l'Orthodoxie?,* Bruxelles 1944: « D'après les meilleurs exégètes de l'Orthodoxie la définition la plus adéquate qu'on pourrait en donner c'est: vie de l'humanité dans l'Esprit Saint, vie divino-humaine, 'Théandrisme' »; o. c., 174. Ratione autem magis positiva adhibetur ab A. DOMBROWSKYJ, Генеза візантійскої духовості в історичпопсихологічному аспекті ; Log 9 (1958), 34-42, 97-102, 179-184.

bus omnino sibi mutuo consentiri videntur »[10]. Quare, antequam proprios Theologiae Orientalis fontes indicem, operae pretium duxi de eiusdem agere proprietatibus, quibus ab occidentalium, Catholicorum praesertim, Theologia deviare fertur.

Art. I

De Theologiae Orientalis proprietatibus

3. De notis in genere Theologiae Orientalium: Nestorianorum et Monophysitarum Theologiae characterem facile dices cultum philosophiae aristotelicae, quae a scriptoribus syriacis et arabibus dogmati explicando adhibetur, quaeque apud Nestorianos, ob ifluxum et exemplum Theodori Mopsuesteni, in rationalismum vergit. Sin autem sermo fiat de litteris byzantinoslavicis, orientalem veri nominis theologiam, quae nempe doctrinae synthesin ex orientalibus fontibus totam hauriat, hactenus desiderari scripsit Bolotov[1]. Nec immerito; nam primo quidem tempore, a separatione, inquam, usque ad Urbem captam Constantnopolitanam, Theologia Byzantina scriptoribus abundat, neminem vero novit qui universam theologiae provinciam systematice excoleret; postea, theologi slavi et byzantini a catholicis et protestanticis dependent prorsus[2]. Verum age; etiamsi sacrae litterae occidentales adeo influxerint Theologiae Orientali, nihilominus, ut volunt orthodoxi auctores, haec, vel inscia, proprium suum ac fundamentalem characterem non penitus amissit, qui in hodiernorum commentariis sese prodit.

Quibus notis vetus illa theologia *byzantina* insignitur declarat Jugie, videlicet; est *positiva* magis quam speculativa, est plerumque *polemica*, est gentica seu *nationalis*, influxui *politico* subiecta, de-

---

[10] A. Szeptyckij, *Deux mentalités* (*orthodoxes et catholiques*); Ir, 1 (1926), 229-235, 261-266; vid. 264, 231; Lege quoque C. Sirbu, *Spiritul doctrinar-dogmatic ortodox, catholic și protestant;* Ort. 7 (1955), 593-607.

[1] V. Bolotov, *Thesen über das « Filioque » von einem russischen Theologen*; RIT, 6 (1898), 686.

[2] Cfr. Th. Stukov, Католицизмъ и Протестантизмъ какъ културныя начала; PS. 1893, I, 300-332; Mgr. Chrysostome (Papadopoulos), *Die äusseren Einflüsse an die orthodoxe Theologie im XVI, und XVII. Jahrhundert;* PV, 193-208; G. Florovskii, *Westliche Einflüsse in der russischen Theologie;* PV, 212-231 (prodiit quoque in Kyr, 2 (1937), 1-22).

nique, cohaerenti *synthesi caret* [3]. Recenti theologiae et theologiae illi potentiali *orthodoxae* absque negotio assignari possunt notae Ecclesiae ipsi byzantino-slavicae concedi solitae; nimirum, iuxta HEILER, *traditionis* studium, *Christi amor* in quo eius vita tota consistit, *spiritualis* tendentia, *nationalis* spiritus, *Ioannaeus* intimus character [4]; vel, ut mavult BRATSIOTIS, *traditionalismus*, arcta *coniunctio auctoritatis et libertatis*, Christi divinitas quae secum fert nostram etiam *theosin*, indoles *schatologica*, *laicorum participatio* in vita Ecclesiae, systema *synodalis et civilis imperii contemptus* [5].

Quonam pacto haec accipienda sint, et quonam iure de universis ecclesiis orthodoxis praedicentur vel ex hoc nostro conspectu historico lector rimari valebit. In rerum praesentia illa tantum mihi sumo quae universaliora et magis praecipua mihi visa sunt.

4. CHARACTER LITURGICUS: Sacra Liturgia orientalibus non solum fons est pietatis [6], verum etiam dogmatis magistra. Constat apud omnes inter Liturgiam et dogmata intimam dari relationem; sed in Ecclesia catholica et protestantica Liturgia dogmata exprimit et eis aptatur; e contra in Ecclesiis orthodoxis — aiunt fautores huius theoriae — dogmata Liturgiam sequuntur, eandemque tueri et conservare student.

Hanc opinionem primus docuisse fertur RITSCHL, qui hunc liturgicum orientalium dogmatum characterem ostendere vult: ex *Filioque*, quod separationis causa idcirco fuit quia insertum est Symbolo intra Liturgiam decantando; ex *Confessione Moghilae* ad singula doctrinae capita praxin liturgicam adhibentis; ex intestinis discordiis in Ecclesia Orientali diversis usibus liturgicis tribuendis [7]. Hanc eandem sententam amplexi sunt plures auctores protestantes, ut KATTENBUSCH, quem si audias « Ecclesia byzantinorum tempore, quin et modo per universos orientales christianos coetus — pars enim 'orthodoxa' hac in re nihil differt ab 'haereticorum'

---

[3] TDCO, I, 399-400.

[4] F. HEILER, *Morgenländischer und abendländiscser Katholizismus;* IKZ, 16 (1926), 1-32; cfr. 4-11.

[5] P. BRATSIOTIS, *Die Grundprinzipien und Hauptmerkmale der orthodoxen Kirche*; PV, 115-126.

[6] J. TYCIAK, *Die Liturgie als Quelle östlicher Frömmigkeit* (Ecclesia Orans, 20), Freiburg i. Br. 1937.

[7] A. RITSCHL, *Der Gegensatz der morgenländischen und abendländischen Kirche und die Unionshoffnungen Gagarin's und Haxthausen's;* Protest. Monatsblätter für innere Zeitsgeschichte, 11 (1858), 338-358.

coetibus — est unice Societas cultus »[8], SCHMIDT[9], MÜLLER[10] et HARNACK[11], qui orientales Ecclesias ducit *quietistiche Kultusgemeindschaft*. Hanc sententiam mitigant nonnulli etiam inter protestantes qui characterem simul *dogmaticum* Theologiae Orientalis libenter agnoscunt, ut DORNER[12], BATH[13] et LOOFS[14].

Hunc liturgicum characterem acriter impugnavit BALANOS[15], quem prae oculis habuisse videtur BRATSIOTIS[16] ut hanc notam consulto omittat. Quae vero BALANOS argumenta profert ostendunt characterem liturgicum non esse *unicam* Theologiae Orientalis proprietatem, quin excludant illum ducendum esse unum ex eius characteribus praecipuis, quemadmodum plures. praeter Protestantes, quum Orthodoxi tum Catholici libenter agnoscunt.

BALANOS facile refutat argumentationem RITSCHL, quae tantummodo valet de Ecclesia slavica saec. XVII, quo vertente redacta est *Confessio Moghilae* et orta est secta Raskolnicorum ob emendationem librorum liturgicorum; quod autem dicitur de Filioque, vel ipsis Photii scriptis contradicit; difficilius a rationibus adductis a KATTENBUSCH — ordinationes ecclesiasticae — sese expedit[17].

Ceterum, MAKARII, in sua *Introductione in Theologiam Orthodoxam,* dum fontes apostolicae Traditionis assignat, immediate post Symbola Fidei et Concilia, respicit antiquas Ecclesiae Liturgias[18]. Inter recentiores autem adduci possunt BULGAKOV, qui volens distinguere Orthodoxiam a Protestantismo has tres notas spiritui tribuit orthodoxo: est *liturgicus;* licet humanus sit humanitatem sublimat et quasi *divinam reddit* (huius idealis apta habetur expressio Virgo Deipara ut pari fere aestro canunt Dostojevskii et Göthe);

---

[8] F. KATTENBUSCH, *Lehrbuch der vergleichenden Confessionskunde*, I Band: Die orthodoxe anatolische Kirche, Freiburg 1892, 335.

[9] H. SCHMIDT, *Handbuch der Symbolik,* Be 1890, 30 s.

[10] E. F. K. MÜLLER, *Symbolik. Vergleichende Darstellung der christlichen Hauptkirchen nach ihren Grundzüge und ihren wesentlichen Lebensäusserungen*, L 1896, 200.

[11] A. HARNACK, *Das Wessen des Christentums*, L 1903, 149; *Der Geist der morgenländischer Kirche in Unterschiede von dem abendländische*; SBPA, 6 (1913), 1.

[12] A. DORNER, *Grundriss der Dogmengeschichte,* 613.

[13] K. BATH, *Die orientalische Christenheit der Mittelmeerländer*, Be 1902, 283.

[14] F. LOOFS, *Symbolik oder christliche Confessionskunde*, Tübingen und L 1902, I, 134.

[15] D. BALANOS, Εἶναι ἡ ὀρθόδοξος ἑλληνικὴ Ἐκκλησία μόνον κοινωνία λατρείας; A. 1904.

[16] P. BRATSIOTIS, PV 125 s.

[17] D. BALANOS, l. c., 6-12, 15-18.

[18] MAKARII (Bulgakov), Введеніе въ православное Богословіе, § 131.

est denique *apocalypticus* [19]. E catholicis autem adeantur WUNDERLE [20] et TARCHNIŠVILI [21].

5. TRADITIONALISMUS: Altera Theologiae Orientalis nota quam nostri catholici auctores prae aliis urgent, audit Traditionalismus, neque id displicet orientalibus. Nestorianismi enim tessera continuo habetur fidelitas erga doctrinam THEODORI Mopsuesteni; Monophysitae sese iactant addictissimos S. CYRILLO Alexandrino et SEVERO Antiocheno; Graeco-slavici gloriantur titulo *Ecclesia septem Conciliorum*. Quinimo, MAKARII tanquam insigne verae Christi Ecclesiae proposuit « conservationem absque ulla variatione doctrinae infallibilis Ecclesiae antiquae oecumenicae, unanimi consensu Patrum et decretis septem priorum Conciliorum generalium contentae » [22]. Iure tamen animadvertit Metropolita SZEPTYCKIJ: « hoc traditionis studium, quod adeo regnat inter populares, non aeque valet apud eruditos, praesertim apud theologos » [23]; id quod applicari potest etiam recentioribus monophysitis, ut CYRILLO-MACARIO [24] inter Coptos, et ORMANIAN [25] inter Armenos.

Orientales vero aegre sua facere valent verba EHRHARD, de cuius mente hic *traditionalismus* « non solum curat quaecumque a Patribus edocta sunt sarta tecta conservare, sed viam claudit omni in dogmate progressui, sistens in illo theologiae stadio, quo fuit tempore SS. Patrum et antiquorum byzantinorum scriptorum » [26]. E contra, ut vult BRATSIOTIS, « non est accipienda Traditio ut quid staticum, sed dynamicum. Fidelitas erga sanctam Traditionem non

---

[19] S. BULGAKOV, *Die Wesensart der russischen Kirche;* IKZ, 20 (1930), 181-185. Vide etiam J. MIHALCESCU, *L'Église Orthodoxe orientale et la vie interieure;* ST, 3 (1932), 113-127.

[20] G. WUNDERLE, *Um die Seele der heiligen Ikonen,* Würzburg 1937 (Das östliche Christentum, Helf 3).

[21] M. TARCHNIŠVILI, *Die byzantinische Liturgie als Verwirklichung der Einheit und Gemeindschaft im Dogma,* Würzburg 1939 (Das östliche Christentum, Heft 9), qui initio sui laboris ait: « Liturgia est ad instar Catechismi, vel Manualis Dogmatices, Moralis, Asceticae et Mystices. Liturgia non est tamen quoddam aridum, systematicum Manuale doctrinae ecclesiasticae; ipsa est potius vita superabundans, sancto redundans Spiritu »; l. c. 8.

[22] MAKARII (Bulgakov), Введеніе въ православное Богословіе, § 143; eandem notam, ut Makarii indicat, ante ipsum Ecclesiae attribuunt Hyacinthus KARPINSKII, Irenaeus FALKOVSKII, Monachus IUVENALIS, Theophylactus GORSKI et Metropolita Moscoviensis FILARET.

[23] A. SZCEPTYSKIJ, *Deux mentalités;* Ir, I (1926), 230.

[24] CYRILLE MACAIRE, *La Constitution divine de l'Église,* Berne 1922.

[25] M. ORMANIAN, *L'Église Arménienne,* Pa 1910.

[26] F. EHRHARD, apud K. KRUMBACHER, *Geschichte der byzantinischen Litteratur²,* München 1897, 29.

significat simpliciter fidelitatem erga tempus transactum vel erga extrinsecam auctoritatem; e contra, consistit potius in quodam vivente nexu cum plenitudine christianae experientiae » [27].

Quare, non est censendum hoc *traditionalismo* orientales ferri ad tenendam viam antea ab auctoribus tritam; alia enim est traditio Ecclesiae, alia traditio scholae, quae minime retinenda est [28]. In traditione autem ecclesiastica, etiamsi auctores, praesertim in quaestionibus controversis, vel ipsi qui indulgentes kantianae philosophiae a veteri doctrinae orthodoxae tramite deviarunt, antiquas *dogmaticas formulas* retinent easdemque strenue tueri satagunt; nihilo tamen minus studiose secernunt dogmata a *theologoumenis* [29], in quibus ampla facienda est copia singulis auctoribus. Porro, Theologia Orientalis dogmata multiplicari, si fidem geras Bulgakov [30], minime patitur, sed eorum numerum potius quantum fieri potest restringit. Sic, absque difficultate scribere se posse putavit Tsankov: « Et quoniam ambitus dogmatis proprie dicti in Orthodoxa Ecclesia minime patet, remanet largissimus et uberrimus in theologia orientali campus ad laborandum plena cum libertate et ad renovandum continuo *pathos* inspirationis » [31], tuto hauriens doctrinas et adiumenta quaerens etiam apud occidentales, cum « theologia iam dudum extra confinia *confessionalismi* cuiusvis progressa sit et quodammodo patrimonium sit commune universi orbis christiani », ut vult Bulgakov [32].

Quodsi doctrinis ab Ecclesia traditis minime coarctatur, neque studio premendi SS. Patrum vestigia; id quod hac lege accipi oportet, ut tradit Florovskii [33], ut non sit quidam *regressus* ad verba Patrum, vel servilis quaedam imitatio, « sed potius quidam *progressus,* homogeneus tamen et congenitus, doctrinae patristicae. Opus enim est denuo succendere creativum ignem Patrum, in nobismetipsis instaurare *spiritum patristicum* » [34].

6. Non staticus sed dynamicus: Quae cum ita sint, *Traditionalismus* Orientalis Theologiae proprius, de mente recentiorum

---

[27] P. Bratsiotis, PV, 119, qui in eandem sententiam citat G. Florovskii, apud E. Mascall, *Church of God. An Anglo-Russian Symposium,* Lo 1934, 62-64 et S. Bulgakov, *L'Orthodoxie,* Pa 1932, 13 ss.

[28] I. Aksakov, Преданiе Церкви и преданiе школы; BV, 1908, I, 374-395; II, 151-175, 382-409; III, 27-48, 583-599.

[29] P. Svjetlov, Ученiе церкви и богословствующiй разумъ въ религiозно-христiанскомъ знанiи; ChC, 1895, II, 413-441. Pars huius articuli edita fuit sub titulo *Das Dogma in die theologische Spekulation;* RIT 1 (1893), 632-643.

[30] S. Bulgakov, *Das Dogma in der östlicher orthodoxen Kirche;* Eine heilige Kirche, 17 (1936), 121-125; et in articulo Догма и догматика, in Живое Преданiе, Pa (1937), 8-30.

[31] S. Tsankov, *Das orthodoxe Christentum des Ostens,* Be 1928, 63 not.

[32] S. Bulgakov, in Живое Преданiе, 17.

[33] G. Florovskii, *Patristics and Modern Theology;* PV, 238-242.

[34] Ibid., 240.

auctorum, minime rigidus censendus est; sed e contra, cum sit quid *vivens*, secum necessario fert quendam ipsius *dogmatis progressum* [35] et opinionum theologicarum *diversitatem*, quemadmodum de recentiore theologia russica scriptum voluit BULGAKOV [36].

Auctores byzantino-slavici communi fere calculo inurunt doctrinam catholicam de evolutione dogmatum, quam ducunt limites fuisse praetergressam [37]; ei vero propriam opponunt sententiam hisce a SPÁČIL conclusam: « Imprimis animadvertunt evolutionem hanc non esse mechanicam, sed organicam. Deinde in ipso dogmate duas partes distinguendas esse notant, unam quam theologi russi vocant dogmatis *contentum* vel *substantiam*, graeci autem *nucleum*, secundam ab utriusque *formam* appellatam. Tertio affirmant omnem dogmatis evolutionem *solum formam* eius respicere posse, non contentum vel substantiam seu nucleum eius. Tandem, plerique nomen *progressus* reiciunt, aliqui vocabulum *evolutionis* acceptant, alii tandem loco evolutionis potius vocem *explicationis* adhibendam esse censent » [38]. Hanc vero declarationem, quae omnem dogmatis progressum de mente byzantinorum et slavorum ad evolutionem *subiectivam* reducit, paucis interiectis ita mitigat ut concedat ab illis aliquam veri nominis evolutionem etiam in ipsa intelligentia dogmatum, vel quod idem valet, *obiectivam* etiam evolutionem in dogmatis propositione aliquatenus agnosci. Hisce consonant quae KARTAŠOV in Congressu theologico Atheniensi de progressu dogmatico dixit [39].

7. LIBERTAS AB OMNI EXTRINSECA AUCTORITATE: Notum est quantum Slavophili alieni sint ab *Iuridismo* Catholicorum, qui non solum Ecclesiae naturam et constitutionem apud romanos infecit, verum etiam theologiam pervertit, *formalismo iuridico* illam imbuens. Sic scribunt omnes asseclae CHOMJAKOVI, quorum doctrinam strenue tuetur KOLEMIN [40].

---

[35] Cfr. V. V. USPENSKII, Вопросъ о догматическомъ развитiи; ChC, 1904, II, 597-612, 757-786; M. N. SKABALLANOVIČ, Храненiе догмата въ Церкви; TK, 1910, III, 17-77; A. CEKANOVSKII, Степенъ неизмѣнности догмата; TK, 1913, II, 467-501; et praesertim TH. SPÁČIL, *Doctrina Theologiae Orientis separati de Revelatione, Fide, Dogmate;* OC, 88 (1933), 332-375.

[36] S. BULGAKOV, *L'Orthodoxie,* Pa 1932, 119.

[37] TH. SPÁČIL, l. c., 355.

[38] Ibid., 360 s.

[39] A. KARTAŠOV, *Die Freiheit der theologisch-wissenschaftlichen Forschung und die kirchliche Autorität;* PV, 175-185; v. 177-180; recentius de ha quaestione egit P. I. BRATSIOTIS, Ἡ ἔννοια τοῦ δόγματος ἐν τῇ Ὀρθοδόξῳ θεολογίᾳ; Th, 28 (1957), 510-516.

[40] G. KOLEMINE, *Luz de Oriente; Khomjakov,* Madrid 1912; Id., Римскiй духовный цезаризмъ передъ лицомъ Соборной Православной Церкви, P 1913. Eos-

Haec de *Iuridismo* orthodoxorum sententia non est confudenda cum theoria a Sohms propugnata [41], ipsis rationalistis reclamantibus [42]; videlicet, christianum coetum initio quidem fuisse *charismaticum,* labente vero tempore, ad munera liturgica rite explenda ordinem *iuridicum,* in quo essentia collocanda est Catholicismi, fuisse introductum. Orthodoxi enim auctores divinam hierarchiae institutionem et auctoritatem indubitanter admittunt [43]; nomine autem *Iuridismi* accipiunt non ipsam iuris existentiam, sed *iuris abusum,* qui triplici excessu sese prodit: quoad indolem iuris *saecularisatione,* qua ius ecclesiasticum ad civile accedit; quoad subiectum iuris arbitraria *limitatione,* qua partes omnes in Ecclesia administranda hierarchiae deferuntur; quoad effectum iuris *exaggeratione,* qua ius fit apud Catholicos unitatis principium [44].

Sin autem sermo fiat de *Iuridismo* in hac nostra *theologica* provincia, nihil est aliud quam vis a Catholicis concessa auctoritati, praesertim illi supremae Romani Pontificis, in *dogmatum explicatione.* Quae auctoritas, aiunt, libertatem tollit, estque veluti *deus ex machina* in Theologia Catholica.

Hanc porro tutelam auctoritatis, quae etiam apud orientales diu viguit — imprimis in Russia tempore Protasov, cuius reformationem theologicam ideo nominat Glubokovskii « tendentiosam et catholicam » [45] — ferre non valet spiritus Theologiae orthodoxae, ut tradit Tarjeev [46] propugnans scientiae sacrae libertatem.

Porro, illam ita declarat Kartašov [47] ut sit libertas tam *extrinseca* — nulla coarctata censura — quam *intrinseca,* independens ab omni auctoritate; non tamen *anarchica* vel absoluta; theologus enim debet aedificare supra fundamentum dogmatis ab Ecclesia re-

---

dem conceptus iteravit collatione habita Parisiis an. 1925; cfr. M. d'Herbigny S. I., *Après la mort du Patriarche Tychon;* OC, 15 (1925), 121.

[41] R. Sohms, *Wesen und Ursprung des Katholizismus;* Abh. d. Phil. Hist. Kl. d. K. Sächs. Gesellschaft d. Wissenschaft, 27 (1909).

[42] Cfr. A. Harnack, *Entstehung und Entwiklung der Kirchenverfassung und des Kirchenrechts in den zwei ersten Jahrhunderten,* L 1910.

[43] N. A. Zaoberskii, Iерархическій принципъ въ церковной организаціи; BV, 1911, I, 63-103; P. V. Giduljanov, Сущность и юридическая природа церковнаго властвованія; JMNP, 63 (1916-5), 145-181; Id., Юридическая природа Церкви; JMNP, 71 (1917-9), 81-124. Ad placita autem Sohms accedit N. Berdjaev, *L'idée religieuse russe,* (in *L'Ame Russe,* Pa 1927), dum scribit: « L'Orthodoxie ... se fonde sur les dons charismatiques ... Les idées de norme, de droit, de formalisme et de légalité sont des armes préparées par la culture laïque aux fins de l'organisation terrestre »; l. c., 14, 15.

[44] Cfr. *Iuridismus apud SS. Patres Orientis et Occidentis;* ACV, V (1927), 90 ss.

[45] N. Glubokovskii, Русская богословская наука, Varsaviae 1928, 39.

[46] M. Tarjeev, Церковь и Богословіе; BV, 1917, II, 316-331.

[47] A. Kartašov, *Die Freiheit der theologisch-wissenschaftlichen Forschung und die kirchliche Autorität;* PV, 175-185.

cepti, quam moderationem abiecere nonnulli qui in adogmatismum inciderunt [48]. Ut vero theologica scientia hac sua libertate non abutatur in causa est non auctoritas, cuius partes restringunt auctores cum KOLEMIN [49], quamque infallibilem hodierna Orthodoxia nullam admittit iuxta BULGAKOV [50], sed intima ipsa totius Ecclesiae spiritualis vita seu *sobornost,* ad quam recurrunt parisienses professores ZENKOVSKII [51] et IL'IN [52].

8. SPECULATIVA: Quae dicta manent de libertate in rebus theologicis supponunt sacram theologiam *scientiam esse* [53], cui proinde adhibenda est ratio *philosophica,* sine qua impossibile est systematicam absolvi tractationem. Id omnes admittunt qui de mutua inter fidem et rationem habitudine pertractant [54], neque in hoc periculum adest, nam ut vult BACON, cuius meminit EREMJEIČIK [55], « leves gustus in philosophia movere fortasse possunt ad atheismum, sed pleniores haustus ad religionem reducunt ». Spiritus autem Theologiae Orientalis postulat proprium suum ac characteristicum systema.

MIHALCESCU, qui necessitatem Metaphysices ad Theologiam bonis argumentis tuetur, putat hac in re Theologiam Orientalem funditus discriminari a Theologia Protestantica, quae metaphysicam negligit, et a Theologia Catholica quae Aquinati caece adhaeret; dum Theologia Orthodoxa media graditur via [56]; quaenam vero sit illa ratio media ipse non explicat. Iam ad finem saec. XIX russi quaerunt proprium theologicum systema definire [57]. Nostris autem diebus, etsi

---

48 Cfr. TDO, I, 89-92.

49 J. A. KOLEMINE, Авторитетъ въ вопросахъ вѣры; BV, 1915, II, 160-183.

50 S. BULGAKOV, *Does Orthodoxy possess an outward authority of dogmatic infallibility?*; CE, 7 (1926), 12-24.

51 V. ZJENKOVSKII, Свобода и соборность; Put, 7 (1927), 3-22.

53 V. IL'IN, *Die Freiheit in der Kirche. Zur Metaphysik der kirchlichen Freiheit;* Kyr, 1 (1936), 343-349.

53 D. BALANOS, Εἶναι ἡ Θεολογία Ἐπιστήμη; A 1906; russice Наука-ли богословіе?; ChC, 1908, II, 1180-1194: TH. M. POPESCU, *Teologia ca ştiinţa;* ST, 4 (1937), 3-30.

54 Cfr. I. TROITSKII, Вѣра и разумъ; ChC, 1866, I, 169-185, 339-351; D. EREMJEIČIK, Философія и Богословіе; Ca 14 (1895), 109-112; P. P. KUDRJAVTSEV, Главные моменты въ исторіи вопроса объ отношеніи вѣры къ знанію; TK, 1901, III, 176-201; N. I. LINITSKII, Значеніе философіи для богословія; TK, 1903, III, 101-117, 171-187, 368-374, 557-565; 1904, I, 143-154, 208-275; B. KUDRJAVTSEV-PLATONOV, Нужна-ли философія?; in eius Сочиненія, Serg 1905, 111-113; P. S. STRACHOV, Прагматизмъ въ наукѣ и религіи; BV, 1910, II, 112-131, 295-314; I. MIHĂLCESCU, *Teologia şi Filosofia;* ST, 5 (1934-36), 61-89.

55 D. EREMJEIČIK, l. c., 111.

56 I. MIHĂLCESCU, *Raportul între Theologie şi Metafisica*; BOR, 26 (1902-1903), 401-420; cfr. 419 s.

57 P. LASKJEEV, Два проекта православно-христіанской философіи; ChC, 1898, I, 732-756.

practice in commentariis recenter editis *idealismus* regnet, *theoretice* propugnatur regressio ad philosophiam *patristicam* [58], ut reiecto pseudo-hellenismo germanico et aristotelismo scholastico, vera SS. Patrum philosophia instauretur, qua mediante dogmata rite declarentur, ut saepius scripsit Florovsky [59], non sine quorundam offensione [60].

9. Sed non scholastica: Quodsi operosum est positivam methodum indicare, Orthodoxi concordant in *reicienda scholastica* methodo, ita ut non defuerint vel catholici auctores, unionis studiosissimi, qui putarint in agendo cum orientalibus redeundum esse ad nudas fidei veritates, omni qualibet speculatione seposita, praesertim si Scholasticen redoleat [61].

Non defuerunt inter orientales, praesertim graecos, qui methodum scholasticam *laudarent*, ut Antonius Moschopoulos [62], Nicolaus Kursulas [63], et recentiore tempore Logothetes [64] et Karmiris [65]; perpauci vero sunt. Generatim byzantini et slavi *ossores scholastices* haberi se cupiunt. Iam saec. XIV Nicephorus Gregoras, sententia abutens S. Gregorii Nysseni, contra illam insurgit [66], eique consentiunt fere omnes auctores graeci apud quos Gretser [67] generalem esse dixit aversionem a Scholastica occidentali. Neque postea mutata fuit sententia ut ostendunt dicta ab Elia Tantalide [68] et Protosyncello Chrysostomo [69], quos slavi sequuntur ut Silvester [70], qui scholasticae methodo ascribit *naturalismum*, Malinov-

[58] Cfr. de hoc argumento V. P-tskii, Изъ чтенія по исторіи христіанской литературы. Философія у христіанъ въ вѣкѣ римской имперіи (у-уı в.); TK, 1864, II, 367-400; A. Sergievskii, Отношеніе апологетовъ Восточной церкви II вѣка къ языческой философіи; VR, 1886, I, 585-614; II, 1-23, 83-97, 111-127; P. P. Kudrjavtsev, Главные моменты въ исторіи вопроса объ отношеніи вѣры къ знанію; TK, 1901, III, 176-201; N. I. Sagarda, Древне-церковная богословская наука на грецескомъ востокѣ въ періодъ расцвѣта (ıу-у вв.) - ея главнѣйшія направленія и характерныя особенности; ChC, 1910, I, 443-507.

[59] G. Florovskii, Споръ о немецкомъ идеализмѣ; Put, 25 (1930), 51-80; Cfr. PV, 238-242.

[60] Cfr. N. Berdjaev, Ортодоксія и человѣчность (Прот. Г. Флоровскій. Пути русскаго богословія); Put 53 (1937), 55 s.

[61] Cfr. ACV, 7 (1937), 219-222.

[62] A. Moschopoulos, Ἐπιτομὴ τῆς δογματικῆς, Cephaloniae 1851, 6.

[63] N. Kursulas, Σύνοψις τῆς ἱερᾶς Θεολογίας, Zacynthi 1868, I, 6.

[64] K. I. Logothetes, Ἡ φιλοσοφία τῶν Πατέρων, II, A 1934, 402 ss, 419 ss.

[65] I. N. Karmiris, Θωμᾶ τοῦ Ἀκινάτου Σοῦμμα Θεολογική, I, A 1935, Introd.

[66] Nicephorus Gregoras, *Byzant. Histor.*, 1. 10, c. 8; PG, 148, 709-712; cfr. Greg. Nyss., *De anima et resurrectione;* PG, 46, 52.

[67] Illum vide apud D. Schram, *Dissertatio theologica de controversiis theologicis inter graecos et evangelicos*, Helmstadii 1726, 34.

[68] Elias Tantalides, Παπιστικοὶ Ἔλεγχοι, C 1850, I, XII; II, 281.

[69] Prot. Chrysostomus, Περὶ Ἐκκλησίας, I, A 1896, III.

[70] Silvester (Malevanskii), Опытъ православнаго догматическаго Богословія I, K 1895, 127.

SKII [71], cui Scholastica ducitur *fons novorum errorum* apud Catholicos, et BJELJAEV [72] in eadem quaerens originem *formalismi* Theologiae catholicae [73].

Verum age, sive *fundamentum* respicias methodi scholasticae, sive totam methodi *structuram*, miraberis sane quonam pacto loqui liceat de oppositione inter Scholasticam et Theologiam orientalium; utrumque enim a *graecis fontibus* repetendum est.

Id liquet de *principio fundamentali* Scholastices: *philosophiam theologiae ancillari oportere*, quod alexandrinae est originis.

Hoc effatum, quod non solum protestantes carpunt, verum etiam certi quidam orthodoxi, ut TICHOMIROV [74], etsi plerique illud libenter admittant, ut videre est apud GLAGOLEV [75], continetur clare in commentariis Patrum. Eius auctor fertur CLEMENS ALEXANDRINUS [76], quem sequitur eius clarissimus discipulus ORIGENES [77]. Ex Alexandria autem axioma diffunditur per Occidentem, ubi illud commendat S. AMBROSIUS [78], et per Orientem, ut testatur *Carmen ad Seleucum* [79] et praesertim S. IOANNES DAMASCENUS, qui non solum effatum adhibet, verum etiam data opera explicat [80].

Ad *structuram* quod attinet methodi scholasticae, GRABMANN [81] iure reprehendit mancas illas quae feruntur definitiones,

---

71 N. MALINOVSKII, Православное догматическое Богословіе, I. Charkov 1895, 68 s.

72 N. BJELJAEV, Основной принципъ римскаго Католицизма; PS, 1895, I, 65 s, 79.

73 Cfr. TDO, I, 187-266. PALMIERI autem ut fontes harum accusationum assignat protestantes BINDER, *Scholastica theologia*, Tubingae 1614; SARCERIUS, *De scholasticae theologiae vanitate*, Francofurti 1541; HEUMANN, *De origine, appellatione, natura atque asophia theologiae scholasticae*, Jenae 1719. Cfr. l. c., 195-199.

74 P. TICHOMIROV, Православная догматика и религіозно-философское умозрѣніе; VR, 1897, 107-129, 159-176.

75 S. S. GLAGOLEV, Объ отношеніи философіи и естественныхъ наукъ къ Богословію; BV, 1892, IV, 370-390. Vid. 371.

76 CLEMENS ALEX., *Strommata*, I, c. 5; PG, 8, 723-724.

77 ORIGENES, *Epist. ad Gregorium*, 1; PG, 9, 88. Ceterum PHILO idem ac doctores christiani sentit; cfr. J. FREUDENTHAL, *Zur Beurteilung der Scholastik*; Arch. für Gesch. d. Philos., 1890, 23 A.

78 S. AMBROSIUS, *De Abraham*, II, c. 7; PL, 14, 495-496.

79 *Ad Seleucum*, v. 245-250; PG, 37, 1580, inter opera S. GREGORII NAZ.; auctor vero dicitur AMPHYLOCHIUS Iconiensis.

80 S. IOANNES DAMASC., *Dialectica*, c. 1; PG, 94, 532.

81 M. GRABMANN, *Die Geschichte der Scholastischen Methode*, Freiburg 1909, I, 39 ss.

quas inter illam recenset a DOBROTVORSKII excogitatam [82]; commendat vero descriptionem methodi ab Angelico Doctore traditam [83], cui propriam subdit definitionem, in qua licet distinguere causam *formalem*: rationis et fidei intimum nexum; causam *materialem*: synthesin organicam veritatum fidei; causam *finalem*: penitiorem intellectionem et defensionem fidei: *formam* extrinsecam: rationis dubitandi, sed dico, solutio difficultatum. Iam vero, sic intellecta methodo scholastica, eius incunabula in Laura S. Sabbae, prope Hierosolymas, collocanda sunt.

Sunt qui primum scholasticum nominent LEONTIUM BYZANTINUM, qui clarissimus exstitit adversarius Nestorianismi, cui initio favit, et Monophysismi [84]. Sed etiamsi apud illum elementum formale Scholastices habeatur, cetera desunt; quare GRABMANN [85] parentem methodi dicit S. IOANNEM DAMASCENUM, id quod timide innuit JUGIE [86], sed alii absque ulla admittunt dubitatione, ut EHRHARD [87], ERMONI [88], PALMIERI [89], quibus assentitur inter orientales Eugenius BULGARIS [90], DYOBOUNIOTIS [91] reclamante.

DAMASCENUS enim philosophiam *magni facit,* cum vel in etnicis philosophis aliquid veritatis reperiatur [92], et ipsa haereticorum agendi ratio ad utendum philosophia nos compellet [93]. Et licet IOANNES debitos limites nusquam praetergrediatur [94], hic philosophicus character magnam suis scriptis laudem comparavit, testante SUIDA [95]. Philosophiam enim dogmatibus illustrandis et contra adversariorum calumnias vindicandis adhibuit sanctus Doctor, qui omnia ad Logices regulas tractari cupiebat [96]; quo fit ut intimus detur nexus inter philosophiam et theologiam, tam in celebri opere *Fons cognitionis,* seu rectius *Capita philosophica et theologica,* quam in reli-

---

82 V. I. DOBROTVORSKII, Православное догматическое Богословіе, Serg 1896, 11.

83 S. THOMAS A., *Summa contra Gentes,* I, c. 3, 8.

84 F. LOOFS, *Leontius von Byzanz;* Texte und Unters., 3, L 1887; J. P. JUNGLAS, *Leontius von Byzantium. Studien zur seine Schriften,* Paderborn 1908.

85 M. GRABMANN, *Geschichte der Scholastischen Methode,* I, 108 ss.

86 M. JUGIE A. A., *Saint Jean Damascène;* DTC, 8, 709.

87 Apud K. KRUMBACHER, *Geschichte der byzantinischen Litteratur²,* München 1897, 428.

88 V. ERMONI, *Saint Jean Damascène,* Pa 1904.

89 A. PALMIERI, TDO, I, 207.

90 E. BULGARIS, Θεολογικόν. V 1872, 14.

91 K. DYOBOUNIOTIS, Ἰωάννης ὁ Δαμασκηνός, Α' 1903, 26 s. ubi DAMASCENUM non conditorem, sed praecursorem dicit Scholastices, cuius primus Doctor exstitit PETRUS LOMBARDUS.

92 *Epist. ad Cosmam;* PG, 94, 524.

93 *De duabus voluntatibus;* PG, 95, 152.

94 Cfr. PG, 94, 884, 885.

95 In PG, 94, 508.

96 PG, 94, 1457.

quis suis scriptis [97], quibus nobis praebuit veri nominis systema, saltem de Trinitate et Incarnatione.

Pater cum dicitur Scholastices S. IOANNES DAMASCENUS, significatur illum causam fuisse evolutionis Theologiae scholasticae. Et reapse magnum sane influxum obtinuit quum in Occidente, tum in Oriente.

De *Occidente* agens HARNACK scripsit Damascenum « unum esse e fundamentis Theologiae » » [98]. Satis autem constare censeo quanti illum faciat PETRUS LOMBARDUS, qui Damascenum in versione BURGUNDII iudicis pisani [99], licet imperfecte, novit et large usurpat: posteriores vero scholastici et ipsi opus damascenicum *De orthodoxa fide* saepius adhibent [100].

Relate ad *Orientem*, etiamsi nulla stricte dicta schola theologica, illo auctore, exorta sit, influit sane DAMASCENUS scriptis monachorum suae Laurae, ut videre est apud THEODORUM ABU-KURRA [101]. Byzantii vero, primo quidem tempore nomen Damasceni eiusque auctoritas obscurata fuit [102]; quare, nihil mirum si PHOTIUS vel nomen Damasceni ignorat in *Myrobiblion* et in reliquis suis scriptis; saeculo vero XI Damasceni opera ubique legi coepta sunt, praesertim *De orthodoxa fide*, ut testantur traditio codicum manuscriptorum et prologus vitae arabicae S. Ioannis [103].

Quae cum ita se habeant, iniuria iactatur oppositio Orientem inter et methodum scholasticam, cuius elaboratio primum in Oriente perficitur, cuiusque usus *frequentissimus* fuit inter scriptores syriacos, graecos et slavicos. Quod si quis malit neo-

---

[97] Cfr. *Introductionem elementarem ad dogmata* et *De duabus voluntatibus*; PG, 95, 99, 128.

[98] A. HARNACK, *Lehrbuch der Dogmengeschichte* [4], Tübingen 1909, 260.

[99] Cfr. E. HOCEDEZ S. I., *Les trois premières traductions du De Orthodoxa Fide*: Le Musée Belge, (1913), 109-123; R. L. SZIGETI, *Translatio latina S. Ioannis Damasceni* (*De orthodoxa fide, l. III, c.* 1-8) *saeculo XII in Hungaria confecta*, Budapest 1940; P. MINGES O.F.M., *Zum Gebrauch der Schrift « De Orthodoxa Fide » des Joh. Damaszenus in der Scholastik*; Theol. Quatralschr., 96 (1914), 225-247.

[100] J. DE GHELLINCK S. I., *Le mouvement théologique du XII siècle*, Pa 1914, 245-276: L'entrée de Jean de Damas dans le monde litteraire occidental.

[101] G. GRAF, *Die arabischen Schriften des Theodor Abu-Kurra*, Paderborn 1910, 67.

[102] Male enim apud Byzantinos audiebat familia *Mansur*, quae natale dedit Ioanni, ob eius cum arabibus commercium. Cfr. H. LAMMENS S. I., *Études sur le regne du Calife Ommeyade Mo'awia I. XIX. Jean de Damas et Ahtal commensaux de Yazid*; Mélanges de la Fac. Orient., 3 (Beyrouth 1908), 249 s.

[103] G. GRAF, *Das arabische Original der Vita des hl. Johannes von Damascus*; Der Katholik, 1913, II, 164 ss, 320 ss.

platonismum alexandrinum synthesi theologicae adhiberi, iure suo utatur; ne putet tamen *aristotelismum*, Scholasticae proprium, alienum esse a litteris theologicis orientalibus [104].

Id patebit ex toto nostro tractatu. Modo breviter in memoriam revoca quantum valuerit *aristotelismus* in schola Antiochena, et postea penes *Nestorianos* et *Monophysitas*, quos S. IOANNES DAMASCENUS reprehendit de nimio cultu in Aristotelem, quem « tertium decimum apostolum » ducebant [105]. Eius doctrina innititur BABAI Magnus nestorianus, et monophysita SEVERUS Antiochenus; quorum vestigia posteriores premunt, praesertim posteaquam arabes, a christianis philosophiam peripateticam edocti, opera Stagyritae frequentare coeperunt. Cogita, sis, YAYA BEN'ADI al-Mantiquî, seu dialecticus, appellatus [106], et Gregorium abu'l Faradj, magis notum sub nomine BARHEBRAEUM, inter scriptores syros facile principem [107].

Apud *Byzantinos* Aristoteles, etiam post seinctionem ab Ecclesia Romana, plures numeravit asseclas, quos inter recensendus est PHOTIUS. Saeculo autem XI in schola PSELLI platonismus triumphat; sed influxus Aristotelis reviviscit saec. XIV, quando introducta est Constantinopoli Scholastica thomistica, quae etiam saec. XV suos habuit insignes cultores, ut GEORGIUM SCHOLARIUM, omnium theologorum byzantinorum praeclarissimum. Denique Theologia slavica saec. XVII, ut notum est, Scholastica tota imbibitur. Verum de iis suo proprio loco nobis dicendum erit.

Unum tantum addam; nimirum, quae Scholasticae vertuntur vitio, esse potius naevos, vel si mavis, abusus scholasticae methodi, iam olim a Summis Pontificibus, praesertim a GREGORIO IX [108] et IOANNE XXII [109], reprehensos; minime vero attingere germanam Scholastices rationem, quam pulcherrimis verbis commendat LEO XIII Encyclicis Litteris *Aeterni Patris* [110].

11. CONCLUSIO: Haec tibi sufficiant de proprietatibus Theologiae Orientalis. Sane, quae de libertate et speculatione compendio dedimus adaptantur potius vel latenti illi Theologiae quam sub tegmine doctrinae occidentalis moderni invenisse sibi videntur, vel Theologiae adhuc condendae, Orthodoxiae Orien-

---

104 Cfr. E. DENISSOFF, *L'Église russe devant le Thomisme*, Pa 1936.

105 PG, 94, 1441.

106 Cfr. G. GRAF, *Die Philosophie und Gotteslehre des Jahiâ ibn'Adi;* Beiträge zur Gesch. d. Philos. d. Mittelalters, Münster 1910; A. PERIER, *Un philosophe arabe chrétien du X siècle*, Pa 1920.

107 GSL, 312-320.

108 A. POTTHAST, *Regesta Pontificum Romanorum*, I. Be 1861, n. 8231, p. 709.

109 DENIFLE-CHATELAIN, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, II, Pars 1, Pa 1891, 200 s, n. 741.

110 LEONIS XIII, *Pontificis Maximi Acta*, I, 1881, 255-284; v. 264, 272.

talis indolis ac muneri respondenti [111]. Nam si quaestio instituatur de litteris theologicis prout illae de facto in Oriente Christiano sunt excultae, duae sunt retinendae notae praecipuae: traditionalismus et character liturgicus, quibus Orientales a Catholicis discriminantur. Ratio vero ultima, quae non a certis quibusdam temporum adiunctis pendeat, sed arcte cohaereat intimae rerum naturae, illa est: in Catholica Ecclesia adest vivens, perenne et efficax magisterium, quo Orientales, saltem de facto, diu caruerunt et modo etiam carent. Utrique per obscuritatem fidei peregrinamur ad Deum; sed dum nobis stella, itineris dux, continuo lucet, Orientalibus hoc lumen splendere desiit; quare, nihil mirum si theologi catholici pergere valeant; dum orientales, si securi esse cupiant, consistere debeant. Vel, ut conclusionem absque imaginum velo proponam, Orientalis Theologia, vivo illo magisterio orbata, inhaeret veritatibus a sacra acceptis traditione, et magis quam illas penitius perscrutari et plenius evolvere, quaerit easdem mystico liturgico sensu quadantenus experiri.

Art. II

De fontibus Theologiae Orientalis

12. De fontibus in genere Theologiae Orientalis: De fontibus agens Theologiae Orientalis Androutsos, prorsus ut nos, docet Theologiae fontem duplicem esse: Sacram Scripturam et Traditionem [1], ut vult catholica sententia [2] et vetus doctrina ab orientalibus recepta.

Nestoriani et Monophysitae, ut animadvertit Jugie [3], etsi theoretice hanc quaestionem non tangant, *practice* supponunt veram sententiam de duplici fonte Revelationis.

Illa recurrit in *Libris Symbolicis* graeco-slavicorum. Iuxta *Confessionem Moghilae* « patet quod articuli fidei partim ex Sacra Scriptura approbationem et auctoritatem suam desumant, partim ex Traditione ecclesiastica ac doctrina Conciliorum et sanctorum Pa-

---

[111] Cfr. H. Alivisatos, *Die gegenwärtige Stellung der orthodox-östlichen Theoolgie;* PV, 67-79; Prodiit etiam in Kyr, I (1936), 317-330.

[1] C. Androutsos, Δογματικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, A 1907, 20.

[2] *Concilium Vaticanum*, Sess. III, c. 3; ES, 1792.

[3] TDCO, V, 19, 368.

trum »[4]. *Confessio Dosithei* indicat rationem cur Traditio et S. Scriptura eiusdem sint infallibilis auctoritatis, quod, videlicet utriusque auctor sit Spiritus Sanctus [5]. *Catechismus Philareti* ad quaesitum « quomodo divina revelatio propagetur inter homines et servetur in vera Ecclesia? » respondet: « duplici modo; mediante sacra Traditione et mediante sacra Scriptura » [6]. Neque aliter ipsis opinari licebat post *Concilium Nicaenum II,* cuius est canon: « Siquis omnem ecclesiasticam traditionem sive scriptam sive non scriptam reicit, a. s. » [7]. Quare, et inter recentiores communis est opinio recta de duobus principiis dogmatis et revelationis, quam iterant manualia theologica [8].

13. Sententia de S. Scriptura uno fonte Revelationis: Communem dixi, quia non defuerunt inter Orientales qui traderent doctrinam de Sacra Scriptura *unico fonte Revelationis.*

Illi satis aperte favet ipse auctor Nestorianismi Theodorus Mopsuestiae [9], cuius doctrinam sapit Paulus Bassorensis [10]. Sed frustra quaeres alios testes huius falsae opinionis apud *Nestorianos.* E *Monophysitis* autem unus adducitur recens armenus scriptor Ormanian distinguens inter dogmata religionis, quorum fons est S. Scriptura, et doctrinas theologicas, quae a traditione quoque repetuntur [11],

In Russia opinio protestantica colitur in schola prokopoviana. Non satis clara est mens Theophanis Prokopovič[12]; sed eius discipuli hac sententia abundant, ut videre est in opere theologico Theophylacti Gorskii in quo et scribit: « Ex auctoritate Scripturae sacrae divina ... sequitur eam ... esse unicam fidei ac vitae nostrae regulam atque normam » [13]. Haec autem sententia non prorsus deseritur tempore reformationis studiorum sub Magno Procuratore Protasov; neque enim aliter explicabis qui fiat ut in Ephemeride Academiae Theologicae Kioviensis non solum Voronov libere ex-

---

4 MFEO, I, 59; A. Malvy-M. Viller, *La Confession Orthodoxe de Pierre Moghila*; OC, 39 (1927), 3 s.

5 MFEO, I, 465 s.

6 *Catechismus Philareti,* Prooem.

7 ES, 308.

8 Praeter auctores manualium et opera infra citanda, lege, sis, M. Posnov, Къ вопросу объ источникахъ хритіанскаго вѣроученія и задачахъ его; ChC, 1906, II, 773-800.

9 Theodorus Mops., *Disputatio cum Macedonianis*; PO, 9, 651 ss.

10 Cfr. *De partibus divinae legis,* sub nomine Iunilii *Afri*; PL, 68, 15-42.

11 M. Ormanian, *L'Eglise Arménienne,* Pa 1910, 76 s.

12 De hoc auctore plura dicenda sunt altero huius operis volumine. Interea lege R. Stupperich, *Feofan Prokopovičs theologische Bestrebungen;* Kyr, 1 (1936), 350-362.

13 Th. Gorskii, *Orthodoxae orientalis Ecclesiae dogmata,* M 1831, 40.

ponat quid hac de re Protestantes doceat [14], verum etiam lingua russica edatur articulum pastoris protestantici Genevensis CHOISY de Traditione [15]. Eiusdem opinionis vestigia apud modernos auctores deprehendunt JUGIE, citans TRUSKOVSKII, BJELJAEV, PEROV et BALANOS [16], D'HERBIGNY reprehendens conceptus BEZOBRAZOV [17] et SCHULTZE, crisi subiciens orationes habitas in Congressu Atheniensi anno 1936 [18]. Nam, licet in hoc Congressu ANTONIADIS [19] et BRATSIOTIS [20] rectam et communem sententiam protulerint; in eodem BALANOS, posteaquam asseruit duos esse fontes, mutuam eorum habitudinem ita explicat ut omnia dogmata in Sacra Scriptura, quam Traditio explicat, contineri dicat; atque hoc pacto Orthodoxia differt a Protestantismo Traditionem parvipendente, et a Catholicismo, qui ex una Traditione quaedam dogmata, ut illud de Immaculata Conceptione, haurit [21].

§ 1. *De Sacra Scriptura.*

Circa Sacram Scripturam ut fontem Theologiae Orientalis tria nobis consideranda sunt: *textus, canon*, regulae *interpretationis*.

14. TEXTUS SACRAE SCRIPTURAE: Ecclesia Catholica, in Concilio Tridentino coadunata, versionem Latinam *Vulgatam* [22] « quae longo tot saeculorum usu in Ecclesia probata est » authenticam haberi debere iussit [23].

---

14 A. VORONOV, Протестантское богословіе и вопросъ о богодухновенности св. Преданія;; TK, 1864, I, 403-447; III, 3-70.

15 Апостольское Преданіе; TK, 1879, II, 55-95, 316-346; III, 46-89, 495-527; 1880, II, 96-136, 524-553.

16 TDCO, I, 650-652.

17 M. D'HERBIGNY et A. DEUBNER, *Évêques russes en exil;* OC, 67 (1931), 118.

18 B. SCHULTZE S. I., *Problemi di teologia presso gli ortodossi. Sacra Scrittura e Tradizione*; OCP, 8 (1942), 145-154.

19 M. E. ANTONIADIS, *Die orthodoxen hermeneutischen Grundprinzipien und Methoden*; PV, 146.

20 P. BRATSIOTIS, *Die Grundprinzipien und Hauptmerkmale der orthodoxen Kirche*; PV, 118.

21 D. BALANOS, *Die neuere orthodoxe Theologie in ihren Verhältnis zur Patristischen Theologie;* PV, 235. Eiusdem est sententiae S. TSANKOV, *Das orthodoxe Christentum des Ostens,* Be 1928, 32 s.

22 De illa agunt N. VINOGRADOV, Латинскій переводъ Библіи, извѣстный подъ именемъ Вульгаты, и его значеніе по ученію римско-католической церкви; ChC, 1882, II, 18-73; C. BÂRLÂDEANU, *Câte-va cuvinte asupra vulgateĭ-și a autoritateĭ eĭ în Biserica Romeĭ*; BOR, 27 (1903/4), 732-740; A. I. SADOV, Изъ исторіи уясненія древне-латинскаго и Іеронимова текста Библіи: ChC, 1913, I, 214-238.

23 ES, 785. De illa cfr. PIUS XII, Enc. *Divino afflante,* AAS 35 (1943), 308-310.

Hoc suo decreto Concilium Vulgatae confert *authentiam iuridicam* directe; indirecte vero et tanquam necessarium praesuppositum vindicatur Vulgatae in decreto etiam conformitas cum originali seu *authentica critica.* Verumtamen decretum servat authentiam substantialem textui *hebraico,* nec tollit suam auctoritatem *versioni LXX* intepretum quod attinet ad V. T.; relate autem ad N. T. pariter in tuto collocatur textus *graecus,* ex quo Vulgata provenit [24].

15. Textus adhibitus a Nestorianis et Monophysitis: Versio qua *Nestoriani* utuntur est versio *Pešitta,* tam ad V. quam ad N. T., quod etiam iuxta *Diatessaron* Tatiani evolvunt [25].

Pešitta V. T., cum a textu hebraico proveniat, primitus nonnisi 22 libros continebant, quibus saec. IV accesserunt Paral., Esdr. et Esth.; postea vero et reliqui libri deutorecanonici ad fidem versionis graecae LXX translati, a qua etiam primi auctores versionis Pešitta quaedam mutuaverant [26]. Versio autem *Pešitta* (quod nomen idem valet ac *vulgata*) lucubrata fertur saec. V a Rabbula Edesseno iuxta textum Antiochenum.

Monophysiti syri, seu iacobitae, eadem ac Nestoriani versione utuntur; reliqui in versionibus V. T. sequuntur LXX; ad N. T. adhibent textum graecum, iuxta recensionem *alexandrinam* vel *occidentalem.*

Copti transtulerunt V.T. iuxta *versionem LXX* in varias dialectus, videlicet, in linguam sahidicam, bohairicam, faiumicam et achmimicam; iisdem linguis exstant versiones textus graeci N. T. et quidem sahidica iuxta recensionem alexandrinam, reliquae iuxta recensionem occidentalem [28]. Sed iam dudum Copti, praeterquam in Liturgia, versione arabica uti coeperunt.

Aethiopes habent versionem utique perantiquam, sed quam saec. XIV Abu Salama ad fidem versionis arabicae castigavit; versio autem aethiopica sequitur in V. T. textum LXX, probabiliter iuxta

---

[24] *Institutiones Biblicae,* I, R 1925, 224.

[25] H. Höpfl O. S. B., *Introductionis in sacros utriusque Testamenti libros Compendium*[4], I, R 1940, 313 s, 320; P. Berasátegui O. S. B., *Les versions de la Bible en usage dans les Églises de langue syriaque*; OS 1 (1956), 44-65.

[26] J. Bloch, *The influence of the Greek Bible on the Peshitta*; The American Journal of Semitic Languages and Lit., 36 (1919), 161-166.

[27] H. Höpfl O. S. B., l. c., I, 316.

[28] Cfr. Hyvernat, *Étude sur les versions coptes de la Bible;* Revue Biblique, 5 (1896) 427-433, 340-569; 6 (1897), 48-74; A. Vaschalde, *Ce qui a été publié des versions coptes de la Bible*; Mus, 43 (1930), 409-431; 45 (1932), 117-156; 46 (1933), 299-313; W. Till, *Saidische Fragmente des Alten Testamentes*; Mus, 50 (1937), 175-237.

recensionem HESYCHII, in N. T. textum grecum iuxta formam occidentalem [29].

Demum *Armeni* utuntur versione, patriarchae ISAACO concedi solita, quae pendet utique in V. T. a versione LXX in recensione ORIGENIS, admixtis aliis ex Pešitto; in N. T. recensionem *caesareensem* sequitur [30].

16. TEXTUS ADHIBITUS A BYZANTINO-SLAVICIS: In *Ecclesia Graeca* usurpatur ad V. T. *versio LXX* [31], ad N. T. textus graecus secundum editionem ERASMI [32].

De versione LXX iure notat DE MEESTER [33] illam pluries iam declaratam fuisse unam legitimam et authenticam in usu Ecclesiae. Cum enim Societas Biblica Londinensis anno 1835 ederet versionem graecam ex originali textu hebraico concinnatam, Sancta Synodus Atheniensis decretum tulit has novas versiones graviter damnans [34]. Sequenti vero anno 1836 Patriarcha Constantinopolitanus Gregorius VI, suis litteris encyclicis contra Protestantes, iterat damnationem versionum lingua vernacula et denuo proclamat authentiam textus LXX interpretum [35]. In utroque autem documento iis verbis declaratur authentica versio LXX, ut nullus, praeter illam, textus accipiatur; de hebraico autem originali altum servatur silentium.

In *Ecclesia Slavica* habetur *versio antiqua* S. Scripturae, quae vulgo dicitur SS. Cyrilli et Methodii, quamque Comes PROTASOV vo-

---

[29] Cfr. CONTI ROSSINI, *Sulla versione e sulla revisione delle sacre scritture in etiopico*; Zeitschr. f. Assyriologie, 10 (1895), 236-241; L. HACKSPILL, *Die äthiopische Evangelien-übersetzung*; Zeitschr. f. Assyriologie, 11 (1896), 117-196, 367-388; I. GUIDI, *Le traduzioni degli Evangeli in etiopico e in arabo*; Atti d. R. Acad. dei Lincei, 4 ser., 4 (1888), 5-37; A. HEIDER, *Die äthiopische Bibelübersetzung*, L 1902.

[30] Cfr. V. ERMONI, *Étude critique sur la version arménienne de la Bible*; Compte rendu du IV Congrès intern. des Catholiques, Freibourg 1898, 317-351; E. C. COLWELL, *The Caesarean readings of armenian gospel*; Anglican Theological Review, 16 (1934), 113-132; S. LYONNET S. I., *La version arménienne des Évangiles et son modèle grec*; RB, 43 (1934), 69-87.

[31] Praeter ea quae de hac versione invenies apud nostros auctores, cfr. de eius momento apud graeco-slavos I. KORSUNSKII, Переводъ LXX: его значеніе въ исторій греческаго языка и словесности, Serg 1898; A. NEKRASOV, Греческій переводъ Библіи LXX толковниковъ; ChC, 1900, II, 425-452.

[32] I. E. MESOLORAS, Συμβολικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς 'Εκκλησίας, II, 2, A 1901, 54. ERASMUS autem suam editionem typis vulgavit Basileae anno 1516, de qua vide H. HÖPFL O. S. B., l. c., 279 s.

[33] P. DE MEESTER O. S. B., *Études sur la Théologie orthodoxe*, I, Maredsous 1911, 3.

[34] K. OIKONOMOS, Τὰ σωζόμενα ἐκκλησιαστικὰ συγγράμματα, A 1864, II, 317; A. PALMIERI, *Il Sinodo del regno elleno e la traduzione del Vangelo in greco volgare*; Bes, Ser. II, 2 (1902), 110-111. De his versionibus cfr. TH. XANTHOPOULOS, *Traductions de l'Ecriture Sainte en néo-grec avant le XIX siècle*; EO, 5 (1902), 321-331; Id., *Les dernières traductions de l'Écriture Sainte en néo-grec*; EO, 6 (1903), 230-241.

[35] M. GEDEON, Κανονικαὶ διατάξεις, C 1889, II, 271; vid. aliam damnationem contra Biblia anglicana ibid., 287.

luit authenticam declarari; sed restitit Imperator Nicolaus I. Quanta vero habeatur veneratione demonstrant scientifici labores de textu primitivo [36], deque eius habitudine ad textum hebraicum [37] et ad textum graecum LXX-viralem [38]; necnon curae adhibitae ad editionem criticam textus primigenii [39].

Sed praeter versionem slavonicam, in pretio quoque habentur textus *hebraicus* et *versio LXX*, licet hac de re nonnihil discrepent auctores. Fuerunt qui textum hebraicum corruptum dicerent, ut Theophanes Gregorov, contradicentibus aliis, qui illum unum authenticum ducebant, quae fuit mens Gorskii-Platonov. Sed praevaluit vetus opinio a Metropolita Filaret (Drozdov) propugnata: utrumque textum legitimum retinendum esse; primas autem dari oportere versioni LXX propter usum liturgicum [40]. Hac de causa versio graeca LXX habenda est ante oculos ad novam quae parabatur versionem sacrae Scripturae lingua russica vernacula [41].

Relate ad alias Ecclesias graeco-slavicas, unica versio antiqua quae fertur est versio *georgiana*, iam ante saec. X perfecta [42]. Reliquae vero omnes recentiores sunt; ut versiones *ucrainicae* [43] et *bulgaricae* [44].

---

36 I. A. Čistovič, Исторія перевода Библіи на русскій языкъ; ChC, 1872, I, 385-470, 648-709; II, 71-150, 183-229; III, 3-49, 377-419; 1873, II, 23-70, 577-617; III, 3-36; I. Evsjeev, О церковно-славянскомъ переводѣ Ветхаго Завѣта; ChC, 1897, I, 893-914; P. Jungerov, Внутренная исторія ветхозавѣтнаго священнаго текста; PS, 1901, I, 381-397; II, 26-64, 825-304; I. E. Evsjeev, Рукописное преданіе славянской Библіи; ChC, 1911, I, 436-450, 644-660; Id., Очерки по исторіи славянскаго перевода Библіи; ChC, 1912, II, 1261-1285, 1342-1374; 1913, I, 192-213, 350-373, 469-493; II, 1328-1340.

37 Th. G. Eleonskii, Слѣды вліянія еврейскаго текста и древнихъ, кромѣ греческаго LXX, переводовъ па древній славянскій переводъ книгъ Бытія и Исходъ; ChC, 1905, I, 26-8; I. E. Evsjeev, О слѣдахъ еврейскаго оригинала въ древне-славянскомъ переводѣ кн. Бытія; ChC, 1905, I, 397-401.

38 I. Jakimov, Критическія изслѣдованія текста славянскаго перевода Ветхаго Завѣта въ его зависимости отъ текста перевода семидесяти толковниковъ; ChC, 1878, I, 706-742; II, 235-248, 314-340, 536-562; P. Potašev, Къ вопросу о редакціи греческаго перевода LXX-ти служившей подлинникомъ древняго славянскаго перевода Священнаго Писанія Ветхаго Завѣта; BV, 1915, I, 865-875. TK, 1915, III, 142-181.

39 Открытіе Коммиссіи по научному изданію славянской Библіи; BV, 1915, I, 865-875.

40 Filaret Mosc., О догматическомъ достоинствѣ и охранительномъ употребленіи греческаго LXX толковниковъ и славянскаго переводовъ св. Писанія; PTSO, 17, M 1858.

41 I. N. Korol'skii, Сужденія епископа Θеофана и епископа Порфирія о переводѣ свящ. Писанія на русскій языкъ; TK, 1915, III, 142-181.

42 A. Palmieri, *La versione georgiana della Bibbia*; Bes. Ser. II, 5 (1903), 259-268, 322-327; 6 (1904), 72-77, 189-194; H. Goussen, *Die georgische Bibelübersetzung*; OrC, 6 (1906), 300-318; F. Zorell S. I., *Ursprung und Eigenart der georgischen Bibelübersetzungen*; Handes Amsorya, 41 (1927), 669-680.

43 Th. Haluščynskyj O. S. B. M., *De ucrainis S. Scripturae versionibus*; Boh, 3 (1925), 218-225, 309-319.

44 M. Moscof, *Les traductions bulgares du Nouveau Testament*, EO, 8 (1905), 274-280.

17. De Canone Librorum Sacrorum apud Nestorianos: Ecclesia Catholica in Concilio Tridentino canonicos dixit omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, qui habentur in editione Vulgata Latina, cum omnibus suis partibus [45]. Huic sententiae consonat doctrina *Nestorianorum;* apud quos invaluit tamen primo tempore Canon mutilus.

Theodorus Mopsuestenus e Canone V. T. expungit Proverbia, Ecclesiasten, Job, Sapientiam Salomonis, Sapientiam Sirach, Canticum Canticorum, Paralipomena, Esdra-Nehemiam; ex N. autem T. omnes epistulas Catholicas et Apocalypsin [46]. Magistri sententiam aliquantulum mitigarunt doctores Nisibeni, ut Paulus Edessenus, qui distinguit libros *perfectae auctoritatis,* a libris *mediae auctoritatis,* quos inter recenset fere omnes a Theodoro reiectos [47]. Saec. IX mediante Išoʻdad ep. Hadet recenset Canonem hebraicum V. T. [48]. Postea vero Canonem integrum dat Mar ʻAbdišoʼ [49], cuius sententiam apud Nestorianos perseverare testantur saec. XV ineunte scriptor mahumedanus Ibn Chaldûn [50], saec. XVI quidam diaconus Simeon [51] et usus praesens.

18. Canon S. Scripturae apud Monophysitas: Variae autem Ecclesiae *monophysitae* integrum Canonem recipiunt; quodsi aliquantulum a nobis deflectunt, est potius per excessum, eo quod libris canonicis alios superaddant.

Syri auctores recte sentiunt, ut liquet ex antiquis catalogis Librorum Sacrorum [52]; etsi Barhebraeus videatur nullam definitam

---

45 ES, 784.

46 Cfr. L. Pirot, *L'oeuvre exégétique de Théodore de Mopsueste,* R 1913, 121-156; J.-M. Vosté O. P., *L'oeuvre exégétique de Théodore de Mopsueste au IIe Concile de Constantinople*; RB, 38 (1929), 382-395, 542-554; H. Kihn, *Theodor von Mopsuestia und Junilius Africanus als Exegeten,* Freiburg 1880.

47 *Instituta divinae legis;* PL, 68, 16-19.

48 G. Rothstein, *Der Kanon der biblischen Bücher bei den babylonischen Nestorianern in 9/10. Jahrhundert*; Zeitschr. d. deutsch. morgenländ. Gesellschaft, 58 (1904), 634-663; L. Rost, *Zur Geschichte des Kanons bei den Nestorianern,* Zeitschr. für d. neutest. Wissenschaft, 27 (1928), 103-106.

49 BO, III, Pars 1, 5-12.

50 A. Baumstark, *Der Bibelkanon bei Ibn Chaldûn*; OrC, 4 (1904), 393-398.

51 F. Cöln, *Ein merkwürdiger Bibelkanon*; OrC, 8 (1908), 453-457.

52 A. S. Lewis, *Catalogue of the Syriac Mss in the Convent of S. Catharine on Mount Sinai.* Studia Sinaitica, 1, Lo 1894, 11-14; cfr. J. P. van Kasteren, *De Canon des Ouden Verbonds bij Syrische Christenen;* Studien, 70 (1908), 385-403, 520-538.

sententiam hac de re propugnare [53]; ipse vero ut exegeta, deuterocanonicis confidenter utitur [54].

Copti ascribunt libris V. T. librum III Machabaeorum, et in N. T. recensent duas Epistulas Clementis et libros VIII Constitutionum Apostolicarum [55]. Hos autem libros omittit ABU'L-BARAKAT in suo opere *Lampas tenebrarum,* qui nobis genuinum Canonem N. T. exhibet [56].

Aethiopes, Coptos imitati, Canonem auctum retinent, addentes ad V. T. plures apochryphos, ut Parvam Genesin, III et IV Machabaeorum, Librum Henoch, Ascensionem Isaiae et Apocalypsin Baruch; ad N. T. adhibent Epistulas Clementis Romani, Constitutiones Apostolicas, Testamentum Domini, Didascalian et Senodon. Elenchus librorum variat; sed generatim ita ut compleatur numerus 81 vel 82 librorum, 35 nimirum pro N. T. et 46 vel 47 pro V. T. [57].

Armeni denique recte omnino sentiunt, si demas quosdam antiquos Apocalypsin respuentes [58] et Librum Siracidis [59].

Ceterum, ut rite admonet JUGIE [61], licet Monophysitae faciles sese ostendant in admittentis libris in Canonem Scripturarum, quaerere licet an illos habeant ut inspiratos necne, praesertim cum apud illos desit expolitus conceptus inspirationis et canonicitatis.

19. CANON S. SCRIPTURAE IN ECCLESIA BYZANTINA: Magis attendenda est quaestio de Canone sacrorum Bibliorum inter *Byzantino-slavicos* [60]. Omnes recipiunt Synodos III et IV Carthagi-

---

[53] BARHEBRAEUS, *Nomocanon*; apud A. MAI, *Script. veterum nova coll.*, X, pars 2, 54 diversos refert SS. Librorum catalagos, nihil addens de sententia Ecclesiae Syriacae.

[54] Explicat nempe cap. 3 et 13 Danielis, Sapientiam, Ecclesiasten, Baruch et Machabaeos; cfr. J. GOETTSBERGER, *Barhebraeus und seine Scholien zur Heiligen Schrift*; Biblische Studien, 5 (1900), 80 s.

[55] I. GUIDI, *Il canone biblico della chiesa copta;* RB, 10 (1901), 161-174.

[56] M. KHOUZAM, *L'Illumination des intelligences dans la science des fondements,* R 1941, 49-51.

[57] A. BAUMSTARK, *Der äthiopische Bibelkanon*; OrC, 5 (1905), 162-173; M. CHAINE, *Le canon des livres saints dans l'Église éthiopienne;* RSR, 5 (1914), 22-39.

[58] S. WEBER, *Zur Geltung der hl. Schrift bei den alten Armeniern*; Theolog. Quartalschr., 78 (1896), 162-173.

[59] Cfr. canonem 23 Synodi Berdavensis (c. a. 770) apud A. MAI, *Script. veterum nova coll.*, X pars 2, 309.

[60] TDCO, V, 370.

[61] Cfr. A. DOMBROVSKI, *La doctrine de l'Église russe et le canon de l'Ancient Testament*; RB, 10 (1901), 266-277; A. JAŠEK, *Doctrina Russorum de canone Veteris Testamenti*: SLT 2 (1906), 123-128, 282-296; 3 (1907), 264-273; M. JUGIE, A. A., *Histoire du canon de l'Ancient Testament dans l'Église grecque et l'Église russe,* Pa 1909. Idem auctor de hoc egerat argumento in EO, 10 (1907), 129-135, 193-199, 263-274, 344-357.

nensem [61] et Synodum Trullanam [62], quae divinas scripturas recensentes integrum Canonem referunt. Quare, videretur illos Catholicis concordare. Id autem obtinet relate ad *Canonem N. T.* [63], quem omnes auctores byzantino-slavici retinent [64], imo data opera Apocalypsin aliosque libros a Protestantibus reiectos vindicant [65]. Secus accidit circa *Canonem V. T.*

De illo *Byzantini,* quum antiqui, tum recentiores, recte sentiunt, paucis exceptis scriptoribus, qui Protestantibus morem gerunt.

Nota est sententia Leontii Byzantini [66] et S. Ioannis Damasceni [67], qui Canone 22 librorum contenti sunt. Nihilominus Photius Canonem integrum Concilii Carthaginensis inseruit suae canonicae Collectioni [68]. Illum sequuti sunt Zonaras, Balsamon, et omnes ad unum byzantini usque ad saeculum XVII.

Primus in Canonem impetum fecit Zacharias Gerganos [69], qui in suo *Catechismo* anno 1622 edito reiecit libros Machabaeorum. Conceptis verbis doctrinam reformatorum de Canone docuit Metrophanes Critopoulos in *Confessione Fidei* anni 1625 [70]. Tandem anno 1633, in altera editione *Confessionis Fidei* Patriarchae Cyrilli Lukareos, eadem recurrit sententia de 22 libris canonicis V. T. [71]. Atqui ii Protestantismi influxum subierunt. Ad finem saec. XVIII falsa opinio de Canone reviviscit in operibus Eugenii Bulgaris [72] eiusque discipulorum Theophili Papaphili [73] et Athanasii Pariensis [74].

Antiquam vero sententiam tuiti sunt Ioannes Matthaeus Ka-

---

62 CC, 3, 924; 4, 430.

63 CC, 11, 940.

64 De illo cfr. V. G. Roždestvenskii, Историія новозавѣтнаго канона ; ChC, 1872, III, 300-310, 441-495, 575-599; 1873, I, 47-69; II, 473-509; III, 37-88; 1874, II, 93-115, 423-471, 732-759; 1875, II, 3-43; I. Cornoiŭ, *Istoria canonuluĭ Nouluĭ Testament*; BOR, 417-425, 516-529, 643-658, 738-751.

65 N. A. Gamolko, Къ вопросу о каноническомъ достоинствѣ и церковномъ пониманіи Апокалипса; ChC, 1912, II, 1097-1109; Id., Каноническое достоинство Апокалипса Св. Апостола Іоанна Вогослова, по свидѣтельству церковнаго преданія I-II вѣка;ChC, 1913, II, 252-271, 401-409.

66 *De sectis,* Art. 2, 1-4; PG, 86, 1200-1204.

67 *De Orthodoxa Fide,* l. 4, 17; PG, 94, 1177-1180.

68 *Syntagma Canonum*; PG, 104, 1180.

69 Z. Gerganos, *Catechismus,* Wittenberg 1622. De Gergano cfr. BH du XVII s. I, 159-170.

70 I. Michalcescu, *Die Bekenntnisse ... der griechischen orientalischen Kirche,* L 1904, 218.

71 MSEO, I, 42.

72 E. Bulgaris, Θεολογικόν, V 1872, 29.

73 Th. Papaphilus, Ταμεῖον τῆς ὀρθοδοξίας. Tripolitzae 1888, 127 s.

74 Athanasii Pariensis, Ἐπιτομὴ εἴτε συλλογὴ τῶν θείων τῆς πίστεως δογμάτων, L 1806, 22 s.

RIOPHYLLOS [75] contra Catechismum Gergani, et MELETIUS SYRIGOS impugnans Confesionem Lukareos, iussu Patriarchae Constantinopolitani [76]. Idem docuit Synodus Iassensis pronuntians libros deuterocanonicos V. T. a sacris Conciliis ut canonicos fuisse receptos. Et sic actum fuit per plures annos de Protestantium sententia apud Byzantinos. Contra Bulgarin et suos asseclas scripto decertarunt MOSCHOPOULOS [77], Nicephorus THEOTOKIS [78] et Constantinus OIKONOMOS [79], quorum sententia praevaluit. Quid vero de hodiernis sentiendum est indicabimus ad finem numeri sequentis.

20. SENTENTIA SLAVORUM DE CANONE: Aliud vero usuvenit in Imperio *russiaco,* ubi Protestantium opinio, a Theophane PROKOPOVIČ edocta, palmam retulit et altas egit radices, ita ut ad hodierna usque tempora perseveret.

PROKOPOVIČ, qui ab anno 1711 Kioviae sacram legebat Theologiam, tamquam principium stabilivit non omnes libros qui in nostris Scripturis Sacris continentur esse canonicos, sed de singulis quaestionem specialem institui oportere. Hoc ipse praestat ita ut excludat Iudith, Tobiam, Sapientiam, Ecclesiasten, I et II Machabaeorum, Baruch, fragmenta Esther et Danielis [80]. Hac de causa a suis adversariis, quos inter aderat Stephanus JAVORSKII, apud Zarum accusatus, sese a suspicione liberare debuit [81].

PROKOPOVIČ strenue restiterunt Stephanus JAVORSKII [82] et Plato LEVŠIN [83]; sed frustra. Triumphavit enim eius sententia, quae late divulgata fuit in manualibus theologicis FALKOVSKII [84], LEBEDINSKII [85] et Theophylacti GORSKII [86]. Tandem recepta fuit in *Catechismo* Metropolitae FILARET [87] et in manuali theologico MAKARII [88].

---

[75] M. KARIOPHYLLOS, Ἔλεγχος τῆς ψευδοχριστιανικῆς κατηχήσεως Ζαχαρίου τοῦ Γεργάνου, R 1631; cfr. p. 59.

[76] M. SYRIGOS, Κατὰ τῶν καλβινικῶν κεφαλαίων καὶ ἐρωτήσεων Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως ἀντίρρησις, B 1690, 155 s., ubi Cyrilli Canonem dicit haereticorum proprium.

[77] A. MOSCOPOULOS, Ἐπιτομὴ τῆς δογματικῆς καὶ ἠθικῆς Θεολογίας, Cephaloniae 1851, 11 s.

[78] N. THEOTOKIS, Ἀπόδειξις τοῦ κυροῦς τῶν τῆς νέας καὶ παλαιᾶς διαθήκης Βιβλίων καὶ τῆς ἐν αὐτοῖς ἀληθείας, Viennae 1794, 36, 55, 68, 88, 106.

[79] K. OIKONOMOS, Περὶ τῶν Ο' Ἑρμενευτῶν τῆς παλαιᾶς θείας γραφῆς, A 1849, 126-128.

[80] TH. PROKOPOVIČ, *Christiana Orthodoxa Theologia*, I, L 1792, 164-167.

[81] J. BOIS, *Le Règlement ecclésiastique de Pierre le Grand*; EO, 7 (1904), 60.

[82] ST. JAVORSKII, Камень вѣры, ed. M 1843, II, 391 s.

[83] P. LEVŠIN, Очеркъ христіанскаго Богословія, P 1791.

[84] I. FALKOVSKII, *Christianae Orthodoxae Theologiae compendium*, M 1802, 23.

[85] S. LEBEDINSKII, *Compendium Theologiae classicum*, P 1799, 23.

[86] TH. GORSKII, *Orthodoxae Orientalis Ecclesiae dogmata*, M 1831, 55 s.

[87] FILARET (Moscov.), Пространный христіанскій Катихизисъ[25], M 1839, 10.

[88] MAKARII, Введеніе въ православное догматическое Богословіе, § 125-127.

Cum horum operum usus adeo frequens sit, nihil sane mirum si doctrina de Canone 22 librorum V. T. universalis evaserit apud russos; adeo ut USPENKII [89] denuntiet *novitatem* sententiae catholicae, et PEROV [90] confidenter asserat antiquos Patres eos tantum libros ut canonicos recepisse qui habentur in textu hebraico. Quare, ad hanc sententiam confirmandam argumenta petunt a scriptoribus N. T. et ab interpretatione et sensu Ecclesiae antiquae [91].

Etiam extra Russiam, ob auctoritatem praesertim *Catechismi* Filaretiani, opinio invaluit de Canone mutilo V. T. Illam amplectuntur *bulgari* POPOV [92] et hieromonachus MAKARII [93], et *rumeni*, praeeunte noto illo exegeta OLARIU [94]. Imo, et inter *graecos* non defuerunt qui eadem abundarent sententia, ut KOIDAKIS [95] et KYRIAKOS [96]. Quae cum ita sint, licuit sane VILLER [97] asserere in rerum praesentia omnes Byzantino-slavos in hanc sententiam inclinare.

Hodierni autem plures illam non sine mitigatione colunt. ANDROUTSOS, integrum Canonem admittit, sed retinet simul distinctionem inter libros seu biblia κανονικὰ καὶ ἀναγιγνωσκόμενα quippe quae antiqua est et suum historicum momentum habet [98]. BULGAKOV quoque reicit placita Protestantium excludentium deuterocanonicos ab ambitu inspirationis; adhibet vero libros canonicos et non-canonicos pro *diverso gradu* inspirationis [99]. Huic sententiae accedit in Congressu Atheniensi a. 1936 KARTAŠOV, quem si audias, libri deuterocano-

---

89 E. USPENSKII, Обличительное Богословіе, P 1895, 17-19.

90 M. PEROV, Руководство къ обличительному Богословію, Tula 1905, 23-26.

91 Cfr. A. I. SPERANSKII, Краткій историческій очеркъ судьбы неканоническихъ книгъ Ветхаго Завѣта; ChC, 1881, II, 683-709; Id., Свидѣтельства новозавѣтныхъ священныхъ писателей о неканоническихъ книгахъ Ветхаго Завѣта и значеніе ихъ на основаніи этихъ свидѣтельствъ; ChC, 1899, I, 678-691; P. JUNGEROV, Свидѣтельства древне-православной церкви о неканоническихъ книгахъ Ветхаго Завѣта и значеніе ихъ на основаніи этихъ свидѣтельствъ ChC, 1882, I, 28-65; N. DAGAEV, Два важнѣйшикъ вопроса въ исторіи ветхозавѣтнаго канона; ChC, 1899, I, 678-691; P. JUNGEROV, Исторія канона священныхъ ветхозавѣтныхъ книгъ въ новозавѣтной церкви; PS, 1900, I, 221-239, 329-342, 486-503, II, 17-36; N. N. GLUBOKOVSKII, Св. Апостолъ Павелъ и неканоническая книга Премудрости соломоновой; ChC, 1902, I, 447-503; 1903, I, 237-260, 702-723; II, 129-160, 407-441, 776-817; P. JUNGEROV, Неканоническія книги Ветхаго Завѣта; PS, 1907, I, 1-104; II, 105-136.

92 POPOV, Ржководство за изуване пророческитѣ книги на Ветхия Завѣтъ, S. 1907.

93 Hierom. MAKARII, Учебно ржководство по свещено Писание. - Ветхозавѣти учителни книги, S 1907.

94 I. OLARIU, *Introducere in Cărtile ale T. V. și N.* [3], Caransebes, 1912.

95 K. KOIDAKIS, Ὀρθόδοξος χριστιανικὴ κατήχησις, A 1906, 10 s.

96 D. KYRIAKOS, in RIT, 5 (1897), 9.

97 A. MALVY - M. VILLER, *La Confession Orthodoxe de Pierre Moghila;* OC, 39 (1927), 171.

98 CH. ANDROUTSOS, Δογματικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, A 1907, 6.

99 S. BULGAKOV, *L'Orthodoxie*, Pa 1932, 28 s.

nici sunt inspirati quidem, sed ob eorum deffectus *minorem* sortiuntur auctoritatem [100].

21. De S. Scripturae auctoritate apud Orientales: Orientales omnes Sacrae Scripturae, utpote *divinitus inspiratae* [101], infallibilem concedunt auctoritatem, saltem in rebus fidei et morum.

Svjetlov mediam viam excogitavit inter *rationalismum* protestantem et *mechanismum* catholicum, *inerrantiam* Scripturae Sacrae restringens ad quaestionem de fide et moribus, exceptis argumentis historicis et scientiarum naturalium [102], Haec sententia obtinuit in Congressu Atheniensi, auctoribus Vellas, Balanos et Antoniades [103], innixis charactere *divino-humano* sacrae paginae. Idque bifariam; nam vel negant inspirationem sese extendere ad omnes partes, etiam historicas, librorum sacrorum, vel admittunt omnes partes inspiratas esse, ac proinde immunes ab errore, ast *non absolute*, sed *relative*, quae est mens Antoniadis [104]; inspiratio enim, ait, sese extendit ad universam Scripturam, sed solummodo ad id quod essentiale est, non ad res secundarias vel accessorias.

22. De S. Scripturae interpretatione: Reiecta sententia Protestantium de perspicuitate S. Scripturae, quam non sine scandalo propugnavit inter byzantinos Cyrillus Lukaris [105], Orientales quaerere debent criteria litteraria et dogmatica quae sacri textus declarationi inserviant. Tanquam praecipuum criterium dogmaticum colitur illud: Sacrae Scripturae magistram et interpretem esse Ecclesiam, cuius doctrinam consulere debemus in fontibus Traditionis [106]; reliqua definire operosum est, cum

---

100 A. Kartašov, *Die Freiheit der theologischewissenschaftlichen Forschung und die kirchliche Autorität*; PV, 180 s.

101 Circa ipsum conceptum inspirationis apud Orientales lege Th. Spáčil S. I., *Doctrina Theologiae Orientis separati de Revelatione, Fide, Dogmate*; OC, 88 (1933), 251-266.

102 P. Svjetlov, Христіанское вѣроученіе въ апологетическомъ изложеніи, I, K 1914, 71. Simile quid docet I. Nikolin, Курсъ основнаго богословія или Апологетики, Serg. 1914, 44.

103 Cfr. B. Schultze S. I., *Problemi di teologia presso gli ortodossi*; OCP, 8 (1942), 159-173.

104 E. Antoniades, *Die orthodoxen hermeneutischen Grundprinzipien und Methoden der Auslegung des Neuen Testaments und ihre Voraussetzungen*; PV, 158.

105 Cyrillus Lukaris, *Confessio fidei*: MSEO, I, 41.

105 Ch. Androutsos, Δογματικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, A 1907, 20.

praesertim exegesis orientalis, ut scribit BULGAKOV [107], nondum satis evoluta sit.

Syri, tam *nestoriani* quam *monophysitae*, primis saeculis regulas scholae Antiochenae, iuxta THEODORUM MOPS. ab illis « interpretem » dictum, sancte retinent; recentiore vero tempore vix quidquam de hoc invenies argumento [108].

Exegetae *rumeni* valde accedunt ad Catholicos, ut videre est apud SCRIBAN [109], in quo vix quidquam animadvertendum reperies. Haec autem cogitandi ratio praevalet iam in IONESCU [110] et in iis qui de V. T. scripserunt [111]. Idem dices de pluribus commentariis in N. T. recensitis a ROVENTA [112]. OLARIU autem, qui maxima gaudebat existimatione ut exegeta, methodo protestanticae nonnihil indulget [113].

Graeci, inter principia veteris seu traditionalis et novae methodi constituti [114], etsi huic non plane adhaereant [115], illi morem haud ita raro gerere consueverunt. Id apparet cum in manuali magis vulgato ab ANTONIADE concinnato [116], tum in commentariis a Graecis editis in provincia exegeseos [117]. Prae aliis vero consulendi sunt professores athenienses Vellas et Antoniades. VELLAS [118] ita vindicat iura methodi *philologici-historici*, ut labefactet Traditionem et auctoritatem Ecclesiae. Rectius ANTONIADES [119], ex charactere proprio Sacrae

---

107 S. BULGAKOV, *L'Orthodoxie*, Pa 1932, 23.

108 TDCO, V, 370.

109 I. SCRIBAN, *Manual de Ermeneutică biblică* 2, B 1922.

110 G. IONESCU, *Observatiuni asupra intelesuluĭ santeĭ scripturĭ*; BOR, 1 (1874-1875), 567-572, 651-657, 735-741.

111 Cfr. V. TARNAVSCHI, *Atacuri vechi și nouă contra Testamentului vechi*; Ca 34 (1923), 359-396; Id., *Biblia și ștința naturală*; Ca 35 (1924), 89-98, 205-225, 285-296; V. GEORGHIU, *Reformele recente pe terrenul criticii textului cărtilor T. N.*; Ca 28 (1909), 65-76; Id., *Raportul literal dintre cele trei evangelii dintâi*; Ca 34 (1923), 9-22, 109-116, 225-241, 397-412; 35 (1924), 1-29.

112 H. ROVENTA, *Studiul Noului Testament la noi în ultimii 50 de ani* (1881-1931); ST, 3, 2 (1932), 246-302. Quid censeant de methodo exegetico cfr. apud C. BÂRLĂDEANU, *Deosebire feluri de interpretare ale Sfintei Scripturi*; BOR, 32 (1908-1909), 70-81.

113 ROVENTA, l. c., 269-271 ostendit eius dependentiam a germanis auctoribus, collato opere A. BISPING, *Exegetisches Handbuch zum Neuem Testament*, Münster 1863 cum opere I. OLARIU, *Manual exegetic la sânta Scriptură a Testamentuluĭ nou*, Caransebes 1910.

114 V. K. STEPHANIDES, Αἱ ἀρχαὶ τῆς Κριτικῆς τῶν Βιβλίων τῆς Κ. Διαθήκης (χαρακτηρισμὸς καὶ ἐκτίμησις τῆς ἀρχαίας καὶ νεωτέρας Κριτικῆς); Th 2 (11924), 226-254.

115 F. GAVIN, *The Greeck orthodox Church and biblical criticism;* CE, 3 (1922), 162-172.

116 B. ANTONIADES, Ἐγχειρίδιον ἱερᾶς ἑρμηνευτικῆς, C 1921.

117 Cfr. e. g. TH. L. I. PHILIPPIDES, Συμβολὴ εἰς τὴν Ἐπιστήμην τῆς Ἑβραϊκῆς Βίβλου; NS, 24 (1929), 224-233, 271-288, 337-353, 410-426, 465-481, 538-561, 626-635; 25 (1930), 48-55, 107-112, 167-172.

118 B. VELLAS, *Bibelkritik und kirchlichen Autorität;* PV, 135-143.

119 E. ANTONIADES, *Die orthodoxen hermeneutischen Grundprinzipien und Methoden der Auslegung des Neuen Testament und ihre theologische Voraussetzungen*; PV, 143-174.

Scripturae, in qua Revelatio quidem, sed non tota continetur, infert illam declarandam esse ad lumen *Traditionis*, in qua etiam pars Revelationis habetur, et sub *magisterio Ecclesiae*, cui integra Revelatio tradita est custodienda. Stabilito iam hoc dogmatico principio, postulat ad biblicam exegesin *criteria humana* et *spiritualia;* ad prima pertinet methodus *philologico-historica;* ad altera vero exegesis *pneumatica* iuxta intimum sensum Ecclesiae; *harmonica*, habens prae oculis etiam alios libros inspiratos; et respondens conceptui Redemptionis: in quo est cardo totius Revelationis divinae hominibus factae.

Russi, qui interpretationi S. Scripturae operam navarunt assiduam [120], semel ac exegesis germana scholae tubingensis coli coepta est, omnis generis exegetica subsidia ad sacrum textum adhibere satagunt [121]. Silentio praetermitto paucos quosdam qui libertate nimia utuntur in interpretatione [122]; nam etiamsi protestantium interpretum ratio nonnihil ponderis obtineat apud SAGARDA et GLUBOKOVSKII, quibus primae partes deferendae sunt in russica moderna exegesi, nihilominus ab istorum mente sat longe distant russi scriptores [123], saltem si sumas ut doctrinam inter hodiernos communem illam traditam a BEZOBRAZOV, quum in collatione habita anno 1926 [124], tum in oratione prolata in Congressu theologico Atheniensi [125]. Ipse enimvero propugnat methodum *theologicam*, quae videlicet sacra nitatur Traditione, simul et *historicam*, cuius ope Traditio compleatur, non corrigatur.

§ 2. - *De Sacra Traditione*

23. DE TRADITIONE IN GENERE: Licet Orientales consuetas inter Catholicos divisiones Traditionis non adhibeant [126], ipsi quoque distinguunt saltem verbis aequivalentibus traditionem *active* sumptam, quam plures moderni magis quam in vivo magisterio in consensu Ecclesiae vel in huius intima vita collocant,

---

[120] TH. G. ELEONSKII, Отечественные труды по изученію Библіи въ XIX вѣкѣ; ChC, 1901, I, 5-28, 633-660; 1902, I, 39-64; cfr. P. JUNGEROV, Очеркъ исторіи толкованія ветхозавѣтныхъ книгъ Священнаго Писанія; PS, 1910, II, 557-606.

[121] Cfr. S. M. SOL'SKII, Каковъ можетъ быть составъ научныхъ введеній въ книги св. Писанія въ настоящее врема; TK, 1887, I, 358-376.

[122] Sic L. P. KARSAVIN, Апологетическій этюдъ; Put, 3 (1926), 35 asserit sacros evangelistas nescire perpetuam Deiparae virginitatem.

[123] N. A. PREOBRAŽENSKII, Изъ очерковъ современнаго англиканства. Популярный раціонализмъ и научная критика Библіи; BV, 1905, II, 335-358; Cfr. L. PATERSON, *Protestantism and Orthodoxy;* CE, 8 (1927), 77-88.

[124] S. BEZOBRAZOV, Принципы православнаго изученія св. Писанія; Put, 13 (1928), 3-18.

[125] Higoumène CASSIEN (BEZOBRAZOV), *Introduction speciale au Nouveau Testament* (*Remarques de méthodologie*); PV, 185-193.

[126] Cfr. TH. SPÁČIL S. I., *Doctrina Theologiae Orientis separati de Revelatione, Fide, Dogmate*; OC, 88 (1933), 275-286.

et traditionem *passivam*, antiquis litterariis monumentis contentam.

Doctrinam de Traditione apud Byzantino-slavos recentiores praebet FILEVSKII [127], ratione quidem recta, etiamsi aliquantulum exaggeret pondus monumentorum Traditionis. Magis adhuc locuples est PONOMAREV [128], qui posteaquam perpendit doctrinam Catholicorum iuxta FRANZELIN et Protestantium iuxta MEYER, considerat explicationem FILEVSKII ut tandem suam propriam synthesin proponat; videlicet, duplex est via ab Orthodoxis trita: altera *apologetica* contra Protestantes; altera *systematica* respiciens ipsam constitutionem doctrinae ecclesiasticae de Traditione [129]. In neutra apparet conflictus maioris momenti cum doctrina catholica [130], iuxta auctoris declarationem. Ast non sine ratione apud Orthodoxos, slavos praesertim, deteges duplicem illum conceptum de Traditione qui reperitur in doctrina JAVORSKII et PROKOPOVIČ [131], quorum primus Catholicis assentitur, alter vero ad Protestantes accedit.

Traditionem active sumptam recte tribuit ecclesiastico magisterio ANTONIADES [132]. Ast BEZOBRAZOV [133] animadvertit Traditionem sumendam esse pro *vivo consensu* Ecclesiae; quem in *pietate ac liturgia* maxime reponit AKSAKOV [134]; alii autem in ipsa *conscientia universalis Ecclesiae,* ut volunt NIKOLIN [135], SKABALLANOVIČ [133], FLOROVSKII [137], id quod accipiendum est praecise de conceptu « catholicitatis » seu « *Sobornosti* », ad mentem CHOMJAKOV [138]. Hoc pacto declarant plures recentiores locum clasicum de divina Tra-

---

[127] I. FILEVSKII, Ученіе православной Церкви о священномъ Преданіи, Charkov 1902; De hoc auctore fere unice agit I. Nov., *Recentissimorum theologorum russorum doctrina de traditione sacra, eiusdemque doctrinae critica;* Bes, Ser. III, 9 (1912), 145-155, 250-265.

[128] P. P. PONOMAREV, Священное Преданіе какъ источникъ христіанскаго вѣдѣнія, Kazan 1908; opus iam antea in articulis editum in PS, 1901, I; 1903, I; 1904, I, II; 1906, III; 1907, I, II; 1908, I, II.

[129] O. c., intr. I-LXI.

[130] Cfr. T. RAUFT, *Der Ursprung des katholischen Traditionsprinzip,* Würzburg 1931.

[131] M. SAVKEVIČ, Ученіе Стефана Яворскаго и Өеофана Прокоповича о священномъ Преданіи; VR, 1893, I, 163-198.

[132] E. ANTONIADES, l. c.; PV, 149 s.

[133] Higoum. CASSIEN (BEZOBRAZOV), l. c.; PV, 136.

[134] N. P. AKSAKOV, Преданіе Церкви и преданіе школы; BV, 1908, I, 374-385, 517-551; II, 151-175, 382-409; III, 27-48, 583-599; 1909, I, 45-57, 175-195, 345-367, 547-595; II, 32-44, 341-369; III, 166-174.

[135] I. NIKOLIN, Курсъ основнаго богословіа или Апологетики, Serg 1914, 259.

[136] M. N. SKABALLANOVIČ, Храненіе догмата въ Церкви; TK, 1910, III, 17-77.

[137] G. V. FLOROVSKII, Богословскіе отрывки; Put, 31 (1931), 24.

[138] S. BULGAKOV, Очерки ученія о Церкви; Put, 1 (1926), 50 ss.

ditione apud S. VINCENTIUM LERINENSEM, de quo plura inter Orthodoxos scripta reperies [139].

24. FONTES SACRAE TRADITIONIS. SYMBOLA FIDEI: Fontes Sacrae Traditionis enumerat MAKARII: Symbola, Constitutiones Apostolicas, Concilia, Acta Martyrum, Liturgiam, Sanctos Patres, praxin veteris Ecclesiae [140]; in quibus declarandis plura desumit a PERRONE [141]. Ex his tria sunt maxime attendenda: Symbola, Concilia et Patres. De iis agemus incipientes a Symbolis, quibus imprimis dogmata Ecclesiae definiuntur [142].

Primum inter *Symbola fidei* locum tenet Symbolum *Nicaeno-Constantinopolitanum,* ab omnibus Orientalibus communiter admissum.

Illo perpetuo usi sunt *Nestoriani* [143], etsi plures censeant versionem syro-orientalem nonnisi mediate a textu Concilii profluere [144]. Pari habetur veneratione inter *Monophysitas,* ut testantur antiquae versiones armenae, copticae et syriacae [145]. Antiqui *Armeni* usi sunt textu *Nicaeno,* paucis aucto declarationibus S. Gregorio Illuminatori concedi solitis [146]; postea vero usurpare coeperunt *interpretationem in Symbolum* ps-Athanasii [147], probabiliter ab immediatis successoribus Athanasii confectam [148]. Denique *Byzantinoslavi* illud sancte servant sive in originali textu, sive in versione slavica tempore SS. Cyrilli et Methodii iam perfecta [149].

Opiniones occidentalium de origine huius symboli [150] parvipentes, Orientales originem Nicaeni-Constantinopolitani communi sen-

---

[139] Cfr. praesertim I. FILEVSKII, Ученіе св. Викентія Лиринскаго о св. Преданіи, P 1897. Ad mentem assequendam S. Vincentii vide, sis, J. MADOZ S. I., *El concepto de la tradición en S. Vicente de Lerins,* R 1933 (Anal. Gregor., Ser. theol., 5).

[140] MAKARII (Bulgakov), Введеніе въ православное Богословіе, § 131.

[141] I. PERRONE S. I., *Tractatus de locis theologicis,* R. 1842, 247 ss.

[142] M. N. SKABALLANOVIC, l. c., initio.

[143] BO, III, 2, 246.

[144] S. GIAMIL, *Symbolum nestorianum anni p. C. 612*; OrC, 1 (1901), 330.

[145] I. ORTIZ DE URBINA S. I., *Textus Symboli Nicaeni;* OCP, 2 (1936), 336-342.

[146] I. CATERGIAN, *De fidei Symbolo quo Armeni utuntur observationes,* Viennae 1893.

[147] PG, 26, 1231 s.

[148] F. TOURNEBIZE S. I., *Histoire politique et religieuse de l'Arménie,* Pa (1900), 564; cfr. O. BARDENHEWER, *Geschichte der altchristlichen Litteratur,* III², Freiburg in Br., 1923, 58 s.

[149] A. GESEN, Исторія славянскаго перевода символовъ вѣры, P 1881.

[150] Ut notum est LE NAIN DE TILLEMONT, *Mémoires,* IX, 888 auctorem dicit S. Epiphanium; A. HARNACK, Art. *Konstantinopel;* Realencyklopedie³, IX, 12-28 Symbolum attribuit Ecclesiae Hierosolymitanae; L. DUCHESNE, *Eglises séparés²,* Pa 1905, 77 post annum 381 Symbolum inventum dicit.

tentia attribuunt Concilio Constantinopolitano I ann. 381, ut videre est apud DEMETRESCU [151] aliosque scriptores [152]. Ad hanc autem sententiam firmandam multum contulit auctoritas LEBEDEV [153], qui occidentalium sententias aperte reicit. Ceterum, haec opinio induit indolem quam maxime polemicam; idcirco enim illud Concilio servant anni 381, ut illi applicent notum decretum Ephesinum de integritate Symboli servanda [154], etiamsi satis demonstratum sit Ephesinos Patres de Symbolo loqui Nicaeno [155].

Secundo loco venit *Symbolum Athanasianum* seu « Quicumque », quod, sicut in Occidente, ita etiam in Oriente magna guadet auctoritate et ut regula fidei respicitur.

De *Symbolo Athanasiano Catholici* sua faciunt verba S. THOMAE [156] illud commendantis. Pariter *Lutherani* et *Anglicani* illo utuntur [157]. Inter orientales vero illud norunt *Aethiopes* inter Monophysitas [158]; *Byzantini* et *Slavi*, uno alterove excepto [159], Symbolum amplectuntur eique oecumenicam tribuunt auctoritatem [160].

Nemo sane amplius Symbolum Athanasii esse putat. Quis vero auctor fuerit ignoratur et plures circumferuntur auctores a saec. IV ad IX, videlicet a S. Ambrosio, quem auctorem dixit BREWERS et recentius SHEPENS [161], usque ad theologos carolinos; sed omnes nostri collocant eius originem in Occidente, sive in Italia ut vult BRE-

---

151 D. DEMETRESCU, *Câteva cuvînte asupra Simbolului Niceno-Constantinopolitan;* BOR, 23 (1899-1900), 388-409.

152 Cfr. A. N., О никео-константинопольскомъ Символѣ вѣры; PS, 1909, I, 519-525; AN., Τὸ Σύμβολον τῆς Β' Οἰκουμενικῆς Συνόδου; Th 3 (1925), 366-392.

153 A. P. LEBEDEV, О нашемъ символѣ вѣры, Serg 1902.

154 Cfr. V. GOLUBKOV, О значеніи Никейскаго символа при современныхъ заблужденіяхъ; ChC, 1868, I, 340-354, occasione opuscoli *Erklärung des nicenischen Glaubensbekenntnisses* (Aus dem engl. übers.) Nördlangen 1867.

155 H. DU MANOIR S. I., *Le Symbole de Nicée au Concile d'Ephèse;* Greg, 12 (1931), 104-137; M. JUGIE A. A., *Le décret du Concile d'Éphèse sur les formules de foi;* EO, 30 (1931), 257-270.

156 S. THOMAS, 2. 2, I, 10 ad 3.

157 Cfr. TDO, I, 371; K. N. FAMINSKII, Споры объ употребленіи Аѳанасіева Символа вѣры въ богослуженіи Англиканской церкви; ChC, 1910, I, 401-411.

158 L. GUERRIER, *Un texte éthiopien du Symbole de St. Athanase*; ROC, 20 (1915-1917), 68-76, 133-141. Auctor adhibet codicem saec. XVIII; codex autem Vat. Aeth. 8, saec. XVI, eundem Symboli textum iam exhibet. Cfr. S. GRÉBAUT-E. TISSERANT, *Codices aethiopici Vaticani et Borgiani,* Bybl. Vatic., 1935, 24.

159 Sic ii auctores qui Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum unum oecumenicum admittunt, ut I. MESOLORAS, Συμβολικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς 'Εκκλησίας, A 1893, I, 35, 64; N. DAMALAS, Περὶ ἀρχῶν, L 1865, 50. Cfr. et N. TECHNOPOULOS, 'Η δογματικὴ θέσις τῆς ἀγγλικανικῆς 'Εκκλησίας καὶ καθ' ἑαυτὴν ἐξεταζομένη "Ενωσις τῶν 'Εκκλησιῶν, Lo 1904, 638, 640, 644.

160 MAKARII (Bulgakov), Введеніе въ православное Богословіе, $ 131; Cfr. *Del Simbolo Atanasiano,* Bes, 3 (1897-1898), 18-33.

161 P. SCHEPENS, *Pour l'histoire du Symbole Quicumque*; RHE, 32 (1936), 548-569.

WERS [162] ad finem saec. IV, sive in Gallia saec. V, quae est sententia BURN et TIXERONT [163], sive in Hispania saec. VI ut contendit KÜNSTLE [164]. Pariter sententiae variant inter Byzantino-slavos [165]. Textum latinum propter formulam Processionis Spiritus S. a Patre et Filio corruptum fuisse putat PROKOPOVIČ [166], textum autem graecum originalem ducens, sed frustra; versio enim graeca nonnisi saec. XII ad finem labente perfecta fuisse videtur [167].

Symbolum Apostolorum ut regulam fidei unus fere SVJETLOV recipit; ceteris habetur solummodo ut privata professio fidei [168].

Byzantino-slavi norunt quae de hoc Symbolo investigationes factae sunt in Occidente [169]; quodsi illud admittere recussant DEMETRESCU, PREOBRAŽENSKII, POPOV [170] aliique, in causa est potissimum diversitas opinionum circa huius Symboli redactionem et eiusdem romana origo [171].

25. CONCILIA OECUMENICA: E viginti Conciliis Oecumenicis ab Ecclesia Catholica receptis Orientales, ut pronum est, ea tantum amplectuntur quae eorum antecedunt separationem.

---

162 H. BREWERS, *Das sog. Athanasianische Glaubensbekenntnis ein Werk des hl. Ambrosius,* Paderborn 1909.

163 A. E. BURN, *The athanasian Creed and its early commentaries,* Cambridge 1896 (Texts and Studies, IV-18); J. TIXERONT, *Athanase - Simbole de saint Athanase;* DTC, I, 2182-2186.

164 K. KÜNSTLE, *Antipriscilliana,* Freiburg in Br. 1905, 205 ss.

165 D. DEMETRESCU, *Câteva cuvinte asupra Simboluluĭ - Atanasian său Quicumque*; BOR, 23 (1899-1900), 481-498.

166 TH. PROKOPOVIČ, *Tractatus de Processione Spiritus Sancti,* Gothae 1722, 237-240.

167 V. LAURENT A. A., *Le Symbole Quicumque et l'Eglise byzantine;* EO, 35 (1936), 385-404. M. JUGIE A. A., *Sévérien de Gabala et le symbole athanasien;* EO, 14 (1911), 194-204, detegit originem primae partis Symboli, quae est de Trinitate in homilia Severiani Gabalae *in magna die luminum,* quam ex versione armena latine vulgavit J.-B. AUCHER, *Severiani sive Siberiani Gabalorum episcopi Emesseni homiliae nunc primum editae ex antiqua versione armena,* V 1837, 371-340.

168 Vide, sis, TDO, I, 281-287.

169 A. P. LEBEDEV, Берлинскій профессоръ церковной исуоріи Адолфъ Гарнакъ и возбужденные въ настоящее время споры по поводу символа Апостольскаго; BV, 1893, IV, 308-344, 481-520; I. MIHALCESCU, *Istoriul cerceterilor asupra Simboluluĭ apostolic;* BOR, 25 (1901-1902), 843-863. Recentiora si quaeras adeas J. DE GHELLINCK S. I., *Les recherches sur l'origine du Symbole depuis XXV années;* RHE, 38 (1942), 97-142; Id., *Patristique et Moyen Age,* I, Bruxelles, 1946.

170 D. DEMETRESCU, *Câteva cuvinte asupra Simboluluĭ Apostolic*; BOR, 23 (1899-900), 295-311; A. PREOBRAŽENSKII, Симболъ Апостольскій; PS, 1903, I, 801-834; V. D. POPOV, Апостольскій Символъ; TK, 1908, I, 207-233, 378-403; I. K. TSOVEVSKII, Апостолскиятъ Символъ; AUS 20 (1942-1943), n. 8.

171 I. MIHALCESCU, *Legenda despre origina Simbolului Apostolic;* BOR, 25 (1901-1902), 610-619.

Nimirum, *Nestoriani* Synodum Nicaenam I et Constantinopolitanam I; quibus *Monophysitae* addunt Synodum Ephesinum; *Byzantino-slavi* autem septem priora Concilia Generalia sancte retinent.

Nicaenae autem synodi *Nestoriani,* praeter 20 *canones* Concilii, colunt *canones arabicos 83,* quibus summam tribuunt auctoritatem [172]. Concilium vero *Chalcedonense* a quibusdam admitti videtur [173]; licet generatim reiciatur; damnavit enim Monophysismum, sed simul unitatem personae in Christo denuo proclamavit; chalcedonenses autem canones numerant 27 [174].

Monophysitae, sicut et Nestoriani, canones *nicaeno-arabicos* amplectuntur, quibus *Copti* alios 135 adhibent [175].

Ecclesia *Byzantino-slava* sese dictitat « Ecclesiam septem Conciliorum » [176], quae vel ipsa eorum inconographia celebrat [177]. Re tamen vera hic numerus augetur; nam Conciliis Oecumenicis adnumerant Synodum *Trullanam a. 691,* quae dicitur Synodus *Quinisexta,* et haud raro etiam Synodum *Photianam* a. 879-880 [178].

26. Eorum auctoritas. Iam si quaeras quaenam *auctoritas* sit Conciliorum Oecumenicorum, communis sententia est illa gaudere *suprema et infallibili* magisterii auctoritate; haec autem recta doctrina apud Byzantino-slavos obscuratur ob theorias de infallibilitate deque eius subiecto a theologis prokopovianis et slavophilis excultas.

Doctrinam Ecclesiae Byzantino-slavae compendiat Archimandrita Hippolitos [179], qui tamen non satis attendit ad varias quae inter Orthodoxos vigent opiniones.

---

172 Illos recole in CC. 2, 947 et apud O. Braun, *De sancta Nicaena Synodo; Syrische Texte des Maruta von Maipherkat,* Münster 1898, Quonam tempore sint inventi et quid de illis sentiendum v. infra ad n. 67.

173 Cfr. J.-B. Chabot, *Synodicon Orientale,* Pa 1902, 6, 556, 611 et *Chronicam Seertens.*; PO, 7, 103, 105, 139; C. Korolevskij, *Classification et valeur de sources connues de la discipline chaldéenne*; Cod. Can. Orientale, Fonti, 8, Città del Vat. 1932, 178-18.

174 *Discipline Chaldéenne,* I; Cod. Can. Orientale, Fonti 4, Città del Vaticano 1931, 4.

175 W. Riedel, *Die Kirchenrechtsquellen des Patriarchats Alexandrien,* L 1900, 178-18.

176 Sic inter alios Anthimus VII Patriarcha Constantinopolitanus in sua Encyclica a. 1895; EA, 1895, 242-244; v. nn. 6-13.

177 S. Salaville A. A., *L'iconographie des sept conciles écuméniques;* EO, 25 (1926), 144-176.

178 M. Jugie A. A., *Le nombre des conciles écuméniques reconnues par l'Église gréco-russe;* EO, 18 (1919), 305-320.

179 Arch. Hippolitos, Περὶ Συνόδων Οἰκουμενικῶν ; NS, 19 (1924), 605-620.

Veterem et rectam sententiam tradunt BARSOV [180] et praesertim FILEVSKII [181], vindicantes Conciliis veri nominis infallibilitatem, quemadmodum quamplurimi alii auctores byzantini [182] et slavi [183] suis tradunt commentariis. Haec autem sententia tam altas egit radices, ut vel ii ipsi qui Conciliorum auctoritati detrahunt, illa maximis laudibus cumulent.

Hoc pacto PROKOPOVIČ ait: « Conciliorum, praesertim Generalium, sed legitimorum, maxima est auctoritas, et ille qui eorum definitionibus contradicere vellet pro haeretico habendus » [184]. Sed mox subiungit eorum munus et officium esse Sacras Scripturas declarare, et fundamentum indicat non assistentiam Spiritus Sancti, sed collationem virium omnium qui Concilio intersunt. Haec sententia plane triumphat in operibus FALKOVSKII [185], SILVESTRI [186] et GORSKII [187]. A prokopovianis etiam inducitur opinio de subiecto infallibitatis; quod non est coetus episcoporum, sed communitas fidelium, quorum partes episcopi sustinent [188]. Id quod plures iterant recentiore tempore, ut generalis KIRJEEV [189], LEBEDEV [190], ZAPRUDSKII [191], et ad extremas usque conclusiones deducunt Slavophili.

Ipse CHOMJAKOV scribit: « Donum infallibilis cognitionis, quod nihil est aliud quam fides ipsa, ascribi debet non personis singulis

---

180 T. BARSOV, О вселенскихъ соборахъ, ChC, 1869, II, 191-192, 378-417, 795-829, 981-1011.

181 I. FILEVSKII, Ученіе православной Церкви о священномъ Преданіи, Charkov 1902, 557, non sine exaggeratione scribit: « Concilia Oecumenica ad placita strictioris doctrinae orthodoxae supparem plane Evangeliis auctoritatem suscipiunt. Vera doctrina Conciliorum Oecumenicorum ad fidem pertinens, inspirata est a Deo atque infallibilis eadem sane ratione ac Sacrarum Scripturarum verbum ».

182 Cfr. CH. ANDROUTSOS, Δογματικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, A 1907, 287, 290 s.

183 Juvenalis MEDVIEDSKII, Христіанское Богословіе, M 1826, III, 30 s.; Macarius PETROVIČ, Церкви восточныя православное ученіе, P 1873, 116 s; A. N. MURAV'EV, О значеніи вселенскихъ соборовъ; PTSO, 17 (1858); ac recentius P. LAPIN, Соборъ какъ высшій органъ церковной власти, Kazan 1909; prius editum in PS, 1906-1909. Cfr. huius operis summam P. LAPINE, Ἡ Σύνοδος ὡς ἀνώτατον ὄργανον τῆς Ἐκκλησιαστικῆς Ἀρχῆς; EPh. 7 (1911), 171-174.

184 Th. PROKOPOVIČ, *Christiana Orthodoxa Theologia*, L. 1782, I, 267 s.

185 I. FALKOVSKII, *Christianae Orthodoxae Theologiae compendium*, M 1802, I, 31 s.

186 Episc. SILVESTER, *Compendium Theologiae*[2], M. 1805, 59: « Concilium quodlibet sententias suas non potest ad eam sublevare auctoritatem, ut habeantur deinceps pro dogmate tanto rigore observando ut nulla necessitas, nulla alia potestas ecclesiastica possit eas dissolvere, quemadmodum se habent sacra praecepta divina ».

187 TH. GORSKII, *Orthodoxae Orientalis Ecclesiae Dogmata*, M 1831, 276 ss.

188 Ibid., 277: « In Concilio autem congregantur doctores et delegati Ecclesiae, quibus a tota credentium communione commissa est potestas cognoscendi et iudicandi de publica interpretatione Scripturae ».

189 A. KIRJEEV, О папской непогрѣшимости, M 1892, 83.

190 A. LEBEDEV, О гравенствѣ папы, P 1903, 171.

191 K. ZAPRUDSKII, Вселенскій Соборъ, M 1906, 16.

sed *totalitati* corporis Ecclesiae »[192]. Hic autem chomjakovianus conceptus « conciliaritatis » vel « sobornosti » a suis asseclis impense colitur. Iuxta Arsen'ev « Ecclesia non admittit ullam cleri vel episcopatus infallibitatem, sed unam amplectitur infallibilitatem totius corporis Ecclesiae »[193]. Nam illa « sobornost » non solum postulat laicorum in Synodis collaborationem, quam omnes propugnant[194]; verum etiam participationem in magisterio supremo et infallibili. Quae cum ita sint, infert Bulgakov[195], « Concilium oecumenicum suum habet momentum, non propterea quod infallibilem auctoritatem in rebus fidei possideat, quam ceteroquin non obtinet, sed quia medium est manifestativum et apta expressio genuini sensus totius Ecclesiae ». Theoria autem « sobornosti », quam Trempelas[196] contra Tsankov gravissimis verbis reprehendit, aperte fuit propugnata in Congressu Atheniensi a Bulgakov[197] aiisque theologis[198].

Denique, quum slavophili, tum veteris sententiae asseclae, differunt a Catholicis in assignando criterio *oecumenicitatis*. Reiecto enim Primatu Romani Pontificis, cuius est decreta Conciliorum confirmare et promulgare, recurrunt ad fidelium approbationem; quam criterium tantum *manifestativum* dixit Androutsos[199], sed plerique *constitutivum* esse asserunt[200]. Id obtinet praesertim apud modernos ut Bulgakov[201] et Florovskii[202].

27. Concilia particularia et alia documenta canonica: Ab omnibus Orientalibus Conciliis, de quibus supra, adnumerantur *Canones Apostolorum*, quorum tamen varius est numerus, et *quinque Synodos particulares*: Ancyrana (314), Neocaesareensis

---

192 A. S. Khomjakov, Сочиненія,, Pragae 1867, II, 939; cfr. 59, 121, 136.

193 N. von Arseniew, *Die Kirche des Morgenlandes*, Be 1926, 90.

194 Cfr. N. P. Dobronravov, Участіе клира и мирянъ на соборахъ въ первые девять вѣкахъ христіанства; BV, 1906, I, 263-283.

195 S. Bulgakov, Очерки ученія о Церкви; Put 2 (1926), 56.

196 P. N. Trempelas, Αἱ οἰκουμενικαὶ Σύνοδοι καὶ τὰ κριτήρια αὐτῶν; Ek, 9 (1931), 33-36, occasione collationum quas Berolini habuit St. Tsanrov, *Das Orthodoxe Christentum des Ostens*, Be 1928, cfr. 84-87, ostendit Concilia oecumenica, sub influxu Spiritus Sancti, iure proprio decernere veram doctrinam fidei quemadmodum vetus et communis Orthodoxorum doctrina commendat.

197 S. Bulgarov, *Thesen über die Kirche*; PV, 127-134; cfr. Id., *Does Orthodoxy possess an outward authority of dogmatia infallibility?*; CE, 7 (1926), 12-24.

198 Cfr. de iis B. Schultze S. I., *Problemi di teologia presso gli orientali;* OCP, 7 (1941), 189-205. Lege quae laudatus auctor, l. c., 185-187 de habitudine conceptus khomjakoviani ad *Encyclicam quattuor Patriarcharum* a. 1848 tradit.

199 Ch. Androutsos, Δογματικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας. A 1907, 90.

200 Cfr. N. Malinovskii, Православное догматическое Богословіе, III, Serg 1910, 558; V. V. Bolotov, Лекціи по исторіи древней Церкви, III, P 1913, 321.

201 S. Bulgakov, *Thesen über die Kirche;* PV, 131.

202 Cfr. C. Dumont, *En marge du premier congrès de théologie orthodoxe*; Russie et Chrétienté, 1937, 1, 58 s.; cfr. PV, 135.

(314-325), Gangrensis (350), Antiochena (341) et Laodicena (c. 341-381); his vero aliae accedunt, praesertim Sardicensis (343) et Carthaginensis (419), necnon alia synodalia et patristica documenta iuxta diversas Ecclesias [203].

Ab horum documentorum minuta consideratione, ut par est, abstinendum nobis est. Quae vero nostra maxime referunt hic accipe. Documenta canonica *Nestorianorum* recenset MAR 'ABDIŠO' in libro cui titulus *Ordo iudiciorum ecclesiasticorum* [204], numerans duplicem seriem *Canonum Apostolicorum* [205] et *Decreta Apostolorum* [206] necnon quinque *Occidentis synodos* particulares. Haec sequuntur sexdecim *Synodi orientales,* videlicet a Synodo MAR ISAAC a. 410, usque ad Synodum MAR HENANIŠO' a. 775 [207].

Inter *Monophysitas, Armeni,* quorum corpus iuridicum redegisse videtur IOANNES OZNI, et ipsi colunt praeter 85 vulgatos *Canones Apostolorum* aliam seriem 35 canonum Apostolicorum [208]; *concilia* autem particularia numerant quinque communiter recepta et Concilium *Sardicense,* quod Ozniensis ignorat, sed iam ante annum 1098 adhibebatur [209]. *Copti,* iuxta *Nomocanonem* SAFÎ IBN-AL 'ASSAL [210], documenta apostolica adhibent *Didascaliam* et *Canones,* quorum prima series novit 71, altera vero 56 [211], et Concilia particularia septem, nimirum, etiam *Sardicense* et *Carthaginense,* quod ultimum est summa Codicis Africani [212]. *Aethiopes* magis adhuc multi-

---

203 Ab anno 1930 quam plurima monumenta canonica edere coepit S. CONGREGAZIONE PER LA CHIESA ORIENTALE, *Codificazione Canonica Orientale.* Fonti.

204 Primum editum a I.-M. VOSTÉ O. P., « *Ordo Iudiciorum Ecclesiasticorum* » *collectus ... a Mar 'Abdiso Metrop. Nisibis et Armeniae* (Codif. Can. Orient., Fonti, Ser. II, fasc. 15), [Romae] 1940; cf. p. 35 s.

205 Ibid., 37-44, et fusius ab eodem auctore in sua *Collectione canonum synodicorum,* apud A. MAI, *Scriptorum veterum nova collectio,* 10, Romae 1938, 3-17. Canones autem numerantur in prima serie 27, in altera vero 81 vel 83 (in *Collect. Can.*).

206 Cfr. de iis F. NAU, *La didascalie des douze Apôtres, traduite du syriaque pour la première fois* [2], Pa 1912; F. X. FUNK, *Didascalia et Constitutiones Apostolorum,* Paderborn 1905.

207 Illas collegit J.-B. CHABOT, *Synodicon Orientale ou Recueil des Synodes nestoriens,* Pa 1902. Cfr. I.-M. VOSTÉ O. P., *Disciplina Chaldea;* et C. KOROLEVSKIJ, *Classification et valeur des sources connues de la discipline chaldéenne;* Codif. Can. Orient., Fonti, Ser. I, Studi storici sulle fonti del Diritto Canonico Orientale, [Romae] 1932, 649-664, 665-708.

208 H. GHEDIGHIAN, *Collectio Canonum Ecclesiae Armenae, I. Canones Apostolici* (Cod. Can. Orient., Fonti, Ser. II, 21), V 1941.

209 V. HATZUNI, *Disciplina Armena;* in *Studi Storici sulle fonti del Diritto Canonico Orientale* (Cod. Can. Orient., Fonti, Ser. I), [Romae], 1932, 156.

210 Haec canonica collectio prodiit arabice, cura PHILOTHEI AWAD, Cairii 1894.

211 H. TATTAM, *The Apostolical Constitutions or Canons of the Apostels in Coptic,* Lo 1848.

212 F. GOZMAN, *Disciplina Alessandrina. Copti;* in *Studi Storici sulle fonti del Diritto Canonico Orientale* (Cod. Can. Orient., Fonti, Ser. I), [Romae] 1932, 44.

plicant *Canones Apostolorum* [213] et Concilium *Sardicense* sibi retinent [214], iuxta eorum *Senodon* [215] seu collectionem canonicam. Denique etiam BARHEBRAEUS inter Iacobitas, qui magis est sobrius in Apostolicis documentis detegendis, locum facit Synodo Sardicensi in suo *Nomocanone* [216].

Ecclesiae *Byzantinae* iussum fuit in can. 2 *Trullanae Synodi* [217] amplecti 85 *Canones Apostolorum* [218] et Synodos, praeter oecumenicas, Ancyrensem, Neocaesareensem, Gangrensem, Antiochenam, Laodicenam, Sardicensem, Carthaginensem (419) et Synodum a S. Cypriano congregatam (256). Haec omnia Concilia habentur in *Nomocanone,* tam in illo antiquiore L titulorum, quam in altero XIV titulorum [219], tempore PHOTII denuo redactum [220]. Recussavit sane PHOTIUS vim agnoscere canonum Sardicensium [221], ast veterem erga illos venerationem vel artis antiquae byzantinae monumenta testantur [222].

---

213 W. FELL, *Canones Apostolorum aethiopice*, L 1871; G. HORNER, *The Statutes of the Apostoles or Canones ecclesiastici edited with translation and collation from ethiopic and arabic mss*, Lo 1904.

214 S. GRÉBAUT, *Disciplina Alexandrina. II. - Etiopi;* in *Studi Storici sulle fonti del Diritto Canonico Orientale* (Cod. Can. Orient., Fonti, Ser. I, 8), [Romae] 1932, 75.

215 De illo cfr. I. GUIDI, *Der äthiopische « Sênodos »*; Zeitschr. der deutschen Morgeländ. Gesellschaft, 55 (1901), 495-502.

216 Nomocanonem syriace edidit P. BEDJAN, *Nomocanon Gregorii Barhebraei*, Pa 1898; latine vero A. MAI, *Scriptorum veterum nova collectio*, 10, Pars 2, R 1838; accuratior autem versio latina praebetur in editione *Nomocanon di Bar-Hebreo* (Cod. Can. Orient., Fonti, Ser. I, 3), Città del Vaticano 1931, quae tamen non sequitur ordinem capitum auctoris.

217 I. B. PITRA, *Iuris Ecclesiastici Graecorum Historia et Monumenta*, II. R 1868, 21 ss.

218 Cfr. G. BEVEREGIUS, *Synodicon sive Pandectae Canonum SS. Apostolorum et Conciliorum ab Ecclesia Graeca receptorum*, Oxonii 1672. Praeter canonistas cfr. Древность и важность Апостольскихъ правилъ; Ca 4 (1885), 492-498, 546-554, 595-604; C. POPOVICI, *Canoanele Apostolici. Un adaus la deslegarea întrebări despre origenea lor*; Ca 15 (1896), 177-183, 227-235, 283-291, 331-339, 379-386, 436; E. ERBICEANU, *Despre canoenele Sf. Apostoli*; BOR, 22 (1898-1899), 374-404. N. I. AKSAKOV, Преданіе Церкви и преданіе школы; BV, 1908, I, 374-398 penitus denegat pondus traditionis apostolicae hisce canonibus.

219 Hic *Nomocanon* non solum praebet canones Concilii Sardicensis, verum etiam aliqui codices hac occasione scholium addunt de suprema Romanae Sedis auctoritate. Cfr. I. B. PITRA, *Iuris Ecclesiastici Graecorum Historia et Monumenta*, II, R 1868, 377, not. 7. Iuxta PITRA scholium tribuendum est ipsi auctori *Nomocanonis*, nempe IOANNI SCHOLASTICO.

220 Videlicet, anno 882, cum Photius obtineret thronum Patriarchalem; hac de causa ei illud tribuunt plures iam a saec. XII. Cfr. E. ZACHARIÄ VON LINGENTHAL, *Die griechischen Nomokanones*; Mémoires de l'Académie Impériale des sciences de St. Pétersbourg, Sér. VII, 32-37 (1877), 14.

221 Cfr. eius *Epist. 2 ad S. Nicolaum*; PG, 102, 660 s.

222 Concilium *Sardicense* exhibent, una cum 7 prioribus oecumenicis, et conciliis Carthaginensi, Laodiceno, Antiocheno et Ancyrano, opera musiva Basilicae Bethlehemiticae. H. STERN, *Les représentations des Conciles dans l'Église de la Nativité à Bethléem;* By 11 (1936), 101-154; 13 (1938), 415-455.

28. DE SANCTIS PATRIBUS: *Nestorianis* et *Monophysitis*, iam a primo separationis initio, solemne est propria dogmata sententia *Patrum* confirmare; Patres autem colunt tam *graecos* quam *syriacos* qui ante medium saeculum V floruerunt, quibus primos eorum *Doctores* adhibent; a *latinis* vero fere abstinent.

Nestorionarum Patres recenset MAR 'ABDIŠO' in suo *Catalogo librorum ecclesiasticorum* [223], ubi recurrunt, praeter Theodoretum Cyrensem aliosque scriptores antiochenos, praecipue S. Athanasius, tres Cappadoces, Aphraates et Ephraem syrus; primas vero attribuunt suis doctoribus Diodoro Tarsensi, Theodoro Mopsuesteno et Nestorio, quos laudat NARSAI [224], et quorum doctrinam, praesertim doctrinam Theodori sancte retineri iubent Synodi nestorianae [225]. E *latinis* MAR 'ABDIŠO' adducit S. Clementem Romanum et S. Damasum [226]; Synodi autem adhibent etiam S. Ambrosium Mediolanensem episcopum [227].

Quos usurpent Patres veteres *Monophysitae* eruere possumus ex florilegio TIMOTHEI AELURI [228] et ex *Libro contra impium Grammaticum* SEVERI ANTIOCHENI [229], quibus addendum foret florilegium IACOBI SARUGENSIS, quod nondum est editum [230]. Ut par est regnat S. Cyrillus Alexandrinus; postea veniunt S. Athanasius, S. Basilius, uterque Gregorius Nazianzenus et Nyssenus, quibus accedunt Chrysostomus, S. Proclus, S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Epiphanius et Severianus Gabalae; e *latinis* autem citantur S. Irenaeus Lugdunensis, S. Clemens Romanus, S. Cyprianus et S. Ambrosius. Iidem fere usuveniunt posteriore aetate ut testantur codices mss. *coptici* [231] et *armeni* [232]; qui SS. Patribus adnumerant Dioscorum Alexandrinum; Philoxenum Mabbugensem, Iacobum Sarugensem, Iacobum Baradai, Severum Antiochenum et Theophilum Alexandrinum.

In Theologia *Byzantina* primo tempore Patres *graeci* coluntur, exclusis *latinis*, quorum usus frequentior fit iam a saec. XIII;

---

223 BO, III, Pars 1, 13-85.

224 F. MARTIN, *Homélie de Narsès sur les trois docteurs nestoriens*; JA, Sér. IX, 15 (1900), 409-525.

225 Vide Synodos Mar IESUYASAB I a. 585 et SABARJESU a. 596 apud J. B. CHABOT, *Synodicon Orientale*, Pa 1902, 400, 458.

226 BO, III, Pars 1, 13, 16.

227 J. B. CHABOT, o. c., 511, 596.

228 F. CAVALLERA S. I., *Le dossier Patristique de Timothée Aelure;* Bulletin de Literature ecclésiastique, (1909), 342-359.

229 I. LEBON, *Severi Antiocheni Liber contra impium Grammaticum;* CSCO, Scriptores Syri, Ser. IV, 4-6.

230 Cfr. J. LEBON; Mus. 43 (1930), 19, not.

231 Cfr. A. HEBELLYNCK et A. VAN LANDSCHOOT, *Codices coptici Vaticani, Barberiniani, Borgiani, Rossiani*, I: Codices coptici Vaticani, Bibliotheca Vaticana, 1937.

232 J. MUYLDERMANS, *Repertoire de pièces patristiques d'après le catalogue arménien de Vénise;* Mus 47 (1934), 265-292.

in Theologia vero *Slavica* saec. XVII latini Patres primas obtinent.

Scriptores veteres byzantinos a Patribus *graecis* dependere in comperto est. Pauci tamen — ii vero perinsignes —Patres adhibentur, videlicet, S. Athanasius, qui pater dicitur Orthodoxiae, Patres Cappadoces, praesertim S. Basilius et S. Gregorius theologus, S. Ioannes Chrysostomus, ut princeps interpretum Sacrae Scripturae, S. Maximus Confessor et Ps-Dionysius ut magistri asceseos [233]. Accedit ad hos S. Ioannes Damascenus, sed posteriore tempore.

Patres autem *latini* silentur, minime excluso Sancto Augustino, licet vel ipsa Concilia Generalia illum, una cum S. Ambrosio et S. Leone Magno, laudibus cumulent [234]. Unus fere est S. Gregorius Magnus, seu *Dialogos,* qui a Byzantinis evolvatur. Hypponensis Doctor tandem in Oriente innotuit tempore controversiarum de Concilio Lugdunensi II [235], quando et Maximus Planudes primam Augustini versionem adornavit [236]. Post Concilium vero Florentinum, apud Scholarium et Patavinos Doctores inter Graecos, et apud Slavos sub influxu theologiae Kioviensis, SS. Patres latini coluntur impense; ita ut slavica theologia recentioris aetatis plus fere debeat latinis quam graecis Patribus, saltem si manualia Makarii, Filaret (Gumilevskii) aliaque ex iis profluentia adeas. Id autem valet potissimum de S. Augustino, qui Russorum mentem occupavit, praesertim a tempore quo edi coepta est Moscoviae (a. 1788) versio omnium operum S. Doctoris [237].

---

[233] F. Ehrhard, apud K. Krumbacher, *Geschichte der byzantinischen Litteratur²*, München 1897, 40.

[234] Cfr. Concilia Constantinopolitana II et III; CC, 9, 201 s; 11, 206, 248; 12, 1065; TDO, I, 726 ss.

[235] Cfr. Ioannem Beccum apud L. Allatium, *Graecia Orthodoxa,* R 1652, I, 169 s, 229.

[236] M. Rackl, *Die griechischen Augustinusübersetzungen*; Miscellanea Fransesco Ehrle, R 1924, I, 1-38.

[237] De momento S. Augustini in litteris theologicis slavicis lege TDO, I, 726-728 not., M. Jugie A. A., *St. Augustin dans la littérature théologique de l'Eglise russe*; EO, 29 (1930), 385-395; A. Iščak, Св. Августин і Схід; Boh 9 (1931), 49-63; quae vero apud laudatos auctores reperiuntur comple sequentibus elucubrationibus: M. J. Krasin, Творенie бл. Августина « de Civitate Dei » какъ апологія христіанства ..., Kazan 1873. Cfr. PS, 1873, III, 438-446; V. Plotnikov, Исторія христіанскаго Просвѣщенія въ его отношеніяхъ къ древней греко–римской образованности; PS, 1887, III, 267-286, 421-452; Gh. T. Piteștenu, *Viata Fer. Augustin și scrierele sale*; BOR, 12 (1888-1889), 63-70; A. P. Lopuchin, Идея Промысла Божія въ исторіи, преимущественно по воззрѣнію блаж. Августина и Боссюэта; ChC, 1892, I, 214-298; M. Popescu, *Aureliu Augustin;* BOR, 19 (1895-1896), 266-273; Id., *Sistemul Filosofico-Teologic al Fericitului Augustin*; BOR, 21 (1897-1898), 260-272; V. Ariou, *Filosofia Fericitului Augustin;* BOR, 21 (1897-1898), 85-94; N. Rodnikov, Ученіе блаж. Августина о принужденіи въ дѣлѣ вѣры; PS, 1898, I, 1-24; M. Popescu, *Sistemul Filosofico-Religios al fericitului Augustin*; BOR, 22 (1898-1899), 259-274, 852-865; 24 (1900-1901), 283-291; 403-411, 610-621, 749-755, 862-871; 25 (1901-1902), 33-42, 193-198, 241-248, 636-644; N. Kibardin, Система педагогики по твореніямъ Блаж. Августина;

Iam si quaeras de *methodo* Patribus excolendis adhibita; quum studia theologica mediante saec. XIX in Russia vires sumerent, non una mens fuit de studio operum SS. Patrum. Id lethale ducebat Tarjeev; perutile vero existimabat Popov; ita ut anceps quodammodo haereat scientia theologica, contenta exceptis quibusdam locis SS. Patrum ad theses confirmandas [238], Scientificam autem methodum inauguravit Filaret (Gumilevskii), edito opere *Historica doctrina de Ecclesiae Patribus* [239]. Illum imitati sunt plures compendiorum Patrologiae auctores, quos recenset Palmieri [240], quibus addendi sunt recentiore tempore alii ut Karsavin [241], Balanos [242], Logothetes [243] et Florovskii [244], qui diligenter satagunt, habitis prae oculis scientificis laboribus nostrae aetatis, mentem SS. Patrum critice investigare.

29. Sanctorum Patrum auctoritas: Si unum alterumve scriptorem excipias, Orthodoxi adducunt Patres ut *testes* Traditionis [245], et eorum consensum certissimum habent *veritatis signum* [246]; quare fons veri nominis ac genuinus ad dogmata haurienda habentur.

Patres floccifacit Tarjeev, quippe toti agnosticismo sunt imbuti; sola autem Sacra Scriptura theologo sufficere debet [247]. Pariter Rozanov eo usque progreditur ut Patribus attribuat corruptionem dogmatum Ecclesiae [248]. Verum haec longissime sane abeunt a com-

PS, 1910, I, 66-88, 169-179, 620-633; II, 144-202, 318-355; 1911, II, 153-170; N. N. Glubokovskii, Блаженный Августинъ въ изображенiи русскаго свѣтскаго историка; TK, 1911, I, 125-162; V. A. Troitskii, Вопросъ о Церкви въ полемикѣ блаж. Августина противъ донатистовъ; BV, 1912, III, 297-327; P. I. Vereščatskii, Умозрительное богословiе блаж. Августина, епископа иппонскаго; PS, 1915, III, 115-140; 1917, 86-103, 353-408; N. Kibardin, Блаженный Августинъ, епископъ Иппонскiй, какъ воспитатель клира; PS, 1915, II, 33-43, 197-214, 402-419.

238 Cfr. N. K. Niskol'skii, О предаванiи Патристики въ С-Петробургской духовной Академiи въ 40-50-хъ годахъ XIX столѣтiя; ChC, 1906, II, 878-888; N. Glubokovskii, Русская богословская наука, Varsaviae 1928, 37-43.

239 Filaret (Gumilevskii), Историческое ученiе объ Отцахъ Церкви, 3 vol., Černigoviae 1859; de quo vide K. D. Popov, Историческое ученiе объ Отцахъ Церкви Филарета архiепископа Черниговскаго. Критико-библiографическая замѣтка; TK, 1883, I, 148-170. Tamquam praecursor haberi potest starets Paisius Veličkovskii; cfr. PRB, 125-127.

240 TDO, I, 712-715.

241 L. P. Karsavin, Св. отцы и учители Церкви, Pa 1927.

242 D. Balanos, Πατρολογία, A 1930.

243 L. Logothetes, Ἡ φιλοσοφία τῶν Πατέρων καὶ τοῦ μέσου αἰῶνος, 2 vol., A 1930, 1934.

244 G. V. Florovskii, Восточные Отцы IУ-го вѣка, Pa 1931; Id., Византiйскiе Отцы У-УIII в., Pa 1932.

245 Z. de Rhosi, Σύστημα δογματικῆς τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, A 1905, 29 s.

246 Makarii, Введенiе въ православное Богословiе, § 131.

247 Cfr. N. Glubokovkii, o. c., 38 s.

248 V. Rozanov, Около церковныхъ стѣнъ, II, P 1906, 462 s.

muni sententia, quam propugnant Uspenskii [249], Filevskii [250], Malcinschi [251] quaeque apte respondet doctrinae catholicae [252].

Ceterum et ipsi distinguunt *Patres* Ecclesiae, qui sanctitate vitae, puritate doctrinae ac sapientiae gloria inclaruere [253]; *Doctores,* quorum in theologia fama maxime extollitur; et *Scriptores* ecclesiasticos, penes quos una alterave nota Patrum propria deficit. Planum est auctoritatem de qua loquimur Patribus et Doctoribus competere Ecclesiae.

Ad hoc vero ut scripta Patrum tantum ponderis sortiantur quaedam requiruntur *conditiones,* quas enumerat Prokopovič [254], videlicet: sit Patrum numerus sufficiens; non sint Patres inter se contrarii; loquantur ut magistri ecclesiastici, non ut philosophi vel privati doctores, ac proinde examinandum qua ratione asserta sua probent; sint integra, non corrupta verba; sint certa, non adulterina scripta. Bolotov in praefatione ad suas *Theses de Filioque* [255] nonnulla praemittit de pondere dogmatico textum SS. Patrum, nempe: ut aliquod *dogma* ex illis cum certitudine eruatur, oportet ut omnes illud doceant; quodsi varia est Patrum sententia, locum datur *theologoumeno,* quod plurium Patrum suffragio nititur, vel merae *opinioni theologicae,* unius alteriusve Patris testimonio innixae. Haec autem loquendi sentiendique ratio inter recentiores communissima est.

Ceterum, plures moderni, cum momentum SS. Patrum extollunt, magis quam *dogmata* vel sententias, quaerunt *doctrinam* seu systema theologicum, sive « spiritum », ut aiunt, SS. Patrum, quemadmodum videre est praesertim apud Florovskii [256].

---

[249] Arch. Porfirii Uspenskii, Объ авторитетѣ св. писаній Отцевъ Церкви и важности ихъ; PISO, 22 (1863).

[250] I. Filevskii, Ученіе православной Церкви о священномъ Преданіи, Kharkov 1902, 580 s.

[251] O. Malcinschi, *Autoritatea divină a Tradiției bisericești și raportul ei cu Sf. Scriptură*; Ca 40 (1929), 451-454.

[252] Cfr. TDO, I, 709, not. 3, ubi Palmieri scribit orthodoxos catholicis consentire *in principiis*, non *in regulis* quibus apud illos interpretatio SS. Patrum subiacet.

[253] Filaret (Gumilevskii), Историческое ученіе объ Отцахъ Церкви, I, p. III s.

[254] Th. Prokopovič, *Tractatus de Processione Spiritus Sancti*, Gothae 1772, 217-219.

[255] *Thesen über das « Filioque » von einem russischen Theologe*; RIT, 6. (1898), 681-712.

[256] G. V. Florovskii, *Patristic and modern Theology*; PV, 238-242; prodiit quoque sub eodem titulo in CE, 18 (1938), 30-34.

CAPUT II

DE NESTORIANISMI ET MONOPHYSISMI ORIGINE ET EVOLUTIONE

SAEC. V-VII

30. Praenotanda ex Historia Ecclesiastica: Prima medietate saec. V, regnante Theodosio II, exortae sunt magnae illae haereses christologicae, quae *Nestorianismus* et *Monophysismus* audiunt. Ad earum genesin et propagationem per Aegyptum et orientalem plagam Imperii rite declarandam, opus sane est habere prae oculis civilem historiam Imperii, eiusdemque divisionem administrativam, attendere ad constitutionem generalem Ecclesiasticam post ortum quattuor Patriarchatuum orientalium, ac praesertim meminisse ut se habeat doctrina christologica hac periodo ineunte.

Hoc tempore *Aegyptus* iam dudum iuribus gaudet provinciae, a Constantinopoli directe dependentis [1]; nationalismi autem spiritus fovetur etiam propria eorum coptica lingua, qua S. Athanasius usus est ad quaedam sua scripta [2]. Idem valet de *Dioecesi Orientis*, cuius lingua fere universalis est syriaca. Ceterum, Imperatores Byzantini, ad Imperii Orientalis compagem solidandam conantur hisce provinciis morem gerere, etiam in rebus religiosis [3].

Concilium Constantinopolitanum I (381) decretum Nicaenae Synodi iura Alexandriae et Antiochiae agnoscentis [4] evertere conatum est in commodum Sedis Constantinopolitanae [5]; id quod denuo tentant Patres in Concilio Chalcedonensi (451) lato canone 28 [6]. Sic habentur in Oriente magnae illae sedes patriarchales Constanti-

---

[1] Cfr. L. Homo, *L'Empire Romain*, Pa 1925, 65 s.

[2] L. Th. Lefort, *S. Athanase écripain copte;* Mus 46 (1933), 1-33. Id., *Athanasiana Coptica*; Mus 69 (1956), 233-241. Ceterum, quae eius novimus coptica scripta indolis sunt asceticae et homileticae.

[3] A. A. Vasiliev, *Histoire de l'Empire Byzantin* (tr. P. Brodin, A. Brargine), Pa 1932, I, 148.

[4] CC, 2, 670-671.

[5] Cfr. can. 3; CC, 3, 559 s.

[6] CC, 7, 369 s; de canone autem 28 sermo erit infra ad n. 60, 117.

nopoleos, Alexandriae, Antiochiae et Hierosolymorum [7], id quod frequentiores ac molestiores reddit simultates inter Byzantium et veteres illas sedes orientales.

Hisce positis, nihil mirum si doctrina a Constantinopolitanis reiecta Antiochenorum vel Alexandrinorum suffragium facile obtineat. Ceterum, haec adiuncta civilia et religiosa explicant quidem *propagationem* doctrinae nestorianae vel monophysitae, non vero primum eius *ortum*, qui arcte cohaeret progressui dogmatum de Christo Domino.

31. Doctrina christologica ineunte saec. V: Dogmati christologico evolvendo ecclesiastici auctores assiduam operam navant [8]. Iam Patres Apostolici, S. Ignatius Antiochenus, Tertullianus aliique debellarunt primam haeresin christologicam, quae fuit *Docetismus*, vindicantes Christo Domino realem humanitatem. Saeculo autem IV, in lucta contra Arianos, Christi divinitatem tuentur Ecclesiae doctores. Hisce vero duobus Christus ostenditur vere *homo-Deus*, qui proinde salutem nostram, mediante Redemptione, operatur [9]. De ipsa hypostatica unione tamen accurata doctrina tradi tunc coepta est, cum Apollinaris Laodicenus, Arianorum placita confutare volens, suam de unione praeposteram sententiam tradidit [10].

Christologia hac ratione apparet altera medietate saec. IV, cum in Occidente, apud S. Hilarium Pictaviensem [11], tum in Oriente ubi S. Athanasius simili prorsus ratione veritatem utriusque naturae demonstrat, earum vero unionem non sine formidine declarandam aggreditur [12]. Haec autem veluti fluctuatio perdurat donec in Con-

---

[7] R. Vancourt, *Patriarcats;* DTC, 11 (1932), 2253-2297.

[8] De his cfr., praeter occidentalium commentaria, Ep. Silvester, Опытъ Православнаго Догматическаго Богословія, t. IV, K 1889, 52-105; S. Bulgakov, На путяхъ догмы, Put 37 (1933), 3-35.

[9] Cfr. I. Rucker, *Das Dogma von der Persönlichkeit Christi,* Günzburg 1934; E. Weigl, *Christologie vom Tode des Athanasius bis zum Ausbruch des nestorianischen Streites,* München 1925 (Münchener Studien zur historischen Theologie, Heft 4).

[10] Cfr. A. Spasskii, Аполлинарій Даодикійскій, Serg 1895; de quo vide N. N. Bolotov, Отзывъ о сочиненіи : «Историческая судьба сочиненій Аполлинарія Лоадикійскаго : ChC, 1908, II, 1253-1275, 1400-1420; G. Voisin, *L'Apollinarisme,* Louvain 1901; H. Lietzmann, *Apollinaris pon Laodicea und seine Schule,* Tübingen 1904; A. d'Alès S. I., *Apollinaire.* Les origines du monophysisme; RA 42 (1926), 131-149.

[11] P. Smulders S. I., *La doatrine trinitaire de S. Hilaire de Poitiers,* R. 1944 (Analecta Gregoriana, Ser. Theol. 32), 197 ss, 291.

[12] E. Weigl, *Untersuchungen zur Christologie des hl. Athanasius,* Paderborn 1914, 173-177. Chr. Konstantinidis, 'Εδίδασκεν ὁ Μ. 'Αθανάσιος ὅτι εἶχεν ὁ Κύριος ἀνθρωπινὴν ψύχην; Orth 29 (1954), 286-293, 446-452; 30 (1955), 92-98; 31 (1956), 69-78.

ciliis Ephesino et Chalcedonensi res tota auctoritative definitur, fortasse non sine influxu terminologiae romanae [13].

Quomodo autem ad has definitiones ventum sit recenter pluribus exponit GRILLMEIER [14]. Videlicet, ut paucissimis eius dissertationem concludam, ad instar fundamenti est formula evangelica: *Verbum-caro,* quae una regnat quattuor primis saeculis. Illa vero abutuntur imprimis *Ariani,* accipientes in Christo *carnem sine anima,* et *Apollinaristae,* Christi *animam sine mente* inducentes. Hos ut confutarent, EUSTATHIUS, DIODORUS TARSENSIS et THEODORUS MOPSUESTENUS, confugiunt ad formulam *Verbum-homo,* recedunt vero a formula *Verbum-caro,* quam e contra sibi servant et S. ATHANASIUS, urgens conceptum Redemptionis, et S. CYRILLUS ALEXANDRINUS, cuius doctrina tanti fuit ponderis in Conciliis Ephesino et Chalcedonensi.

In his diuturnis controversiis iam dudum inter scriptores orientales sese prodit diversa cogitandi ratio. *Alexandrini* enim *unitatem* Christi Domini, eiusdemque *divinitatem* propugnant, non sine periculo Docetismi, ut animadvertunt auctores de CLEMENTE ALEXANDRINO et de ipso ORIGENE agentes. *Antiocheni* e contra *pluralitati* naturarum, et Christi Domini humanitati imprimis consulunt, praesertim quando veterem et renascentem apud Apollinarem Docetismum diluere satagunt.

Id autem tribui debet non singulorum opinionibus, sed diversis quae apud Orientales florebant *scholis theologicis,* propriam suis asseclis speciem tribuentibus.

Quae cum ita sint primo loco agemus de scholis theologicis, tum de primis scriptoribus nestorianis et monophysitis, denique de byzantinis, qui grassantibus haeresibus hoc tempore obsistunt.

---

[13] Cfr. textum *Fidei Romanae* a. 400 ca, propugnatum a W. M. PEITZ S. I., *Das vorephesinische Symbol der Papstkanzlei,* R 1939 (Miscell. Hist. Pontificiae, 1), 102 s, reclamantibus aliis.

[14] A. GRILLMEIER S. I. *Die theologische und sprachliche Vorbereitung der christologischen Formel von Chalkedon*; in suo opere *Das Konzil von Chalkedon, I,* Würzburg 1951, 5-202.

Art. I

Scholae Theologicae in Oriente

32. Quid hoc nomine veniat: *Scholas theologicas* dicimus illas ad clerum sacris disciplinis imbuendum conditas, quae et alumnorum frequentia et docentium auctoritate certam quandam ac determinatam scientiae sacrae excolendae rationem commendarunt [1]. Tales autem scholas in Occidente hac nostra periodo nullas novimus; in Oriente vero plures iam ante saeculum V recensere valemus.

Quandoque *schola theologica* accipitur etiam de indole quadam in doctrina tradenda; quo sensu sermo fit de *schola traditionali* S. Epiphanii, quam plures latini scriptores sequuntur, dum alii, ut S. Hilarius Pictaviensis, Marius Victorinus, S. Hieronymus, Rufinus et ipse S. Augustinus adscribi solent scholis theologicis graecorum [2]. Graecorum, inquam, non Constantinopolitanorum. Byzantii enim, licet iam saeculo V, auctore Theodosio Magno, studiorum Universitas condita sit, in illa litterae theologicae non excoluntur [3].

Quodsi tam vetus quam nova Roma altiore hac ecclesiastica institutione caret, illa gloriantur orientales urbes, ut puta Alexandria, Antiochia, Edessa, Nisibis, quarum notae sunt *scholae theologicae*. Illis autem omnibus, si fidem geras scriptori nestoriano Mar Barhdbšabba [4], initium fecerunt respectivi Metropolitae ex Nicaena Synodo in patriam reversi; re tamen vera Alexandrina saltem et Antiochena schola illo tempore antiquiores sunt.

---

1 R. Nelz, *Die theologischen Schulen der morgenländischen Kirchen wärend der sieben ersten Jahrhunderte in ihrer Bedeutung für die Ausbildung des Klerus,* Bonn 1916.

2 O. Bardenhewer, *Geschichte der altchristlichen Literatur,* III², Freiburg i. Br. 1923, 7-12; F. Cayré A. A., *Précis de Patrologie,* Pa 1927, I, 286-290.

3 L. Brehier, *Notes sur l'enseignement superieur à Constantinople;* Byz 3 (1926), 84. Iunilius *Africanus,* in praefatione, hisce utitur scribens ad Primasium: « Tu autem, more illo tuo nihil ante quaesisti quam si quis esset qui inter Graecos divinorum librorum studio intelligentiaque flagraret. Ad haec ego respondi vidisse me quendam Paulum nomine, persam genere, qui Syrorum schola in Nisibi urbe est edoctus, ubi divina lex per magistros publicos, *sicut apud nos in mundanis studiis* grammatica et rhetorica, ordine ac regulariter traditur »; *De partibus divinae legis*; PL, 68, 15 B-C.

4 Mar Barhdbšabba 'Arbaya' évêque de Halwan (VI siècle), *Cause de la fondation des écoles* (ed. A. Scher); PO, 4 (1908), 377.

33. Schola Alexandrina certe iam aderat, saltem ut schola *catechetica*, sub Pantaeno et Clemente Alexandrino [5], qui magnam illi conciliarunt existimationem; maxime vero floruit sub Origene [6], a quo edocta est praecipua quaeque exegetica et theologica principia, quibus deinceps tota innititur [7].

Primam originem si quaeras, prae oculis habeas oportet omnis generis eruditionem coli ab ethnicis alexandrinis, quorum celebre habetur *Musaeum* a Demetrio Falerio conditum [8]. Illos imitati sunt primo quidem Philo aliique scriptores iudaeo-alexandrini, deinde christiani. Ut conditor scholae a Philippo Sidensi habetur Athenagoras [9], etsi plerique id tribuant Pantaeno ca. 180 [10]. Ultimus « didaskalos » habetur Didymus ca. 334-386, vel Rhodon ante a. 395; de schola vero agit *Ordo ecclesiasticus Aegypti* ca. 450 [11].

Ceterum, schola Alexandrina suas propagines extendit usque ad *Cappadociam*, ubi Clemens Alexandrinus, e patria exul, docuit; ad *Caesaream Palaestinae*, quae gavisa est magisterio Origenis, saeviente persecutione Caracallae [12]; ed ad *Siden Pamphiliae*, quo Rhodon sedem scholae transtulisse fertur [13].

Qua vero ratione in schola Alexandrina, saltem a tempore Origenis, scientiae traderentur scire valemus ex S. Gregorio Thaumaturgo [14] aliisque documentis [15]. Videlicet, post humaniores litteras tradebantur philosophia, scientiae naturales et tandem Sacra Scriptura.

---

[5] R. Cadiou, *La jeunesse d'Origène, histoire de l'École d'Alexandrie au début du III siècle*, Pa 1935; G. Bardy, *Aux origines de l'École d'Alexandrie*; RSR, 27 (1937), 65-90.

[6] F. Prat S. I., *Origène. Le théologien et l'éxégete* [2], Pa 1907.

[7] De hac schola recole Orientalium elucubrationes A. A. Dmitrievskii, Александрiйская школа. Очеркъ изъ исторiи духовнаго просвѣщенiя отъ I до начала у. вѣка, Kazanii 1884; S. Saghinu, *Uă privire scurtă asupra scoalea catechetice din Alexandria;* Ca 4 (1885), 532-542; A. Diakonov, Ἡ Θεολογικὴ Σχολὴ τῆς Ἀλεξανδρείας (trad. Papamihail); EPh 12 (1913), 193-213; B. Stauridis, Θεολογικὴ Ἐκπαίδευσις ἐν τῇ Ἀλεξανδρινῇ Σχολῇ; Orth 29 (1954), 85-104, 173-203, 260-285, 430-432; 30 (1955), 61-68, 175-189, 336-362, 428-436; Id. Ἡ Ἀλεξανδρινὴ Σχολὴ μετὰ τὸν Ὠριγένη; Orth 32 (1957), 58-66, 187-193, 362, 370, 445-460; 33 (1958), 36-51, 305-320.

[8] A. et M. Croiset, *Histoire de la littérature grecque*, Pa 1901, V, 10-14.

[9] PG, 6, 182 BC. De hoc auctore cfr. N. Mironositskii, Аөенагоръ, христiанскiй апологетъ II вѣка ; PS, 1892, III, 217-251, 1893, II, 36-54, 276-307, 395-412; III, 73-100, 143-181, 441-456, 511-542.

[10] Eusebius, *Hist. Eccl.*, V, 10; PG, 20, 453.

[11] Ph. Schermann, *Die Allgemeine Kirchenordnung*, Paderborn 1914-1916; nonnulli putant hoc documentum esse potius saeculi IV.

[12] P. Athanasiades, Ὁ Ὠριγένης ὡς ἱδρυτὴς καὶ διδάσκαλος τῆς Παλαιστίνης κατηχητικῆς Σχολῆς ἐν Καισαρείᾳ; NS, 2 (1905), 856-870.

[13] Iuxta Philippum Sidensem; PG, 6, 182.

[14] *In Originem oratio panegyrica*; PG, 10, 1076 C - 1077 B.

[15] Eusebius, *Hist. Eccl.*, VI, 18; PG, 20, 560 s. Cfr. L. Allevi, *Il « Didascaleion » di Alessandria;* La Scuola Cattolica, Ser. VI, 4 (1924), 309-328.

Sed potius quam regulae et ratio ad disciplinas tradendas, nostra interest ipsa doctrina, cum *philosophica,* tum etiam *theologica* et *exegetica* a doctoribus alexandrinis exculta.

In schola Alexandrina magistri suum faciunt illud: *philosophiam theologiae ancillari oportere,* a PHILONE iam adhibitum [16], iteratum vero a CLEMENTE ALEXANDRINO [17] et ab ORIGENE [18]. Quare, nedum philosophiam spernant, illam impense colunt. Alexandrinorum autem systema philosophicum *ecclecticum* est, licet primae partes in eo tandem obtineat doctrina *neoplatonica* [19].

Sub ductu huius philosophicae disciplinae ORIGENES suam synthesin *doctrinalem* perfecit [20], utique nondum plenam, neque omni ex parte aeque probandam, sed quae a posterioribus magis magisque absolvitur et fastigium attigit in scriptis S. CYRILLI ALEXADRINI [21].

Errores vero Alexandrinorum maxima ex parte debentur eorum in sacris litteris interpretandis *allegorismo,* iam a iudaeis alexandrinis large adhibito. Quotiescumque enim textus sacer — cui restituendo suis *Exaplis* ORIGENES operam navavit assiduam — sensu litterali acceptus, absonum quid significare censetur, illo neglecto, accurrunt ad sensum quendam mysticum seu allegoricum [22].

34. SCHOLA ANTIOCHENA. Eius initia reponenda sunt mediante saeculo III. Ut auctores feruntur S. LUCIANUS et S. DORO-

---

16 M. GRABMANN, *Geschichte der scholastischen Methode,* Freiburg in Br 1909, I, 109.

17 *Strom.* I, 5; PG, 8, 723 s.

18 *Epist. ad Gregor.,* 1; PG, 9, 88.

19 J. SALAVERRI S. I., *La filosofía en la escuela Alejandrina;* Gr. 15 (1934), 485-499. Cfr. etiam I. ČISTOVIČ, Неоплатоническая философія и отношеніе ея кх Христіанству; ChC, 1860, II, 257-279, 551-588; 1861, I, 52-68, 213-240; M. A. KUPLETSKII, Неоплатонизмъ и христіанство; PS, 1881, II, 121-148; 178-275; III, 3-30; K. SKVORTSEV, Философія Клемента александрійскаго; ТК, 1866, III, 52-93; K. D. POPOV, Бѣра и ея отношеніе къ христіанскому знанію по ученію Клемента александрійскаго; TK, 1887, III, 577-616; K. I. LOGOTHETES, Ἡ φιλοσοφία τῶν Πατέρων καὶ τοῦ μέσου αἰῶνος, I, A 1930, 93-130.

20 F. PRAT S. I., *Origène, le Théologien et l'Exégète,* Pa 1907; G. MALEVANSKII, Догматическая система Оригена; TK, 1870, I, 76-148, 294-401, 513-610; II, 3-107, 245-323, 495-567; III, 3-82; CYRILLUS II Patr. Alex., *Reconstitution de la syntèse scientifique d'Origène,* 2 vol., Alexandriae 1907, 1909; A. P. ORLOV, Къ характеристикѣ христологіи Оригена; BV, 1909, II, 370-394; N. BALCĂ, *Teologie dialectică ca teologie a Origen*; RT 26 (1936), 294-299.

21 J. B. WOLF, *Commentaria in S. Cyrilli Alex. de Spiritu Sancto doctrinam,* R 1934, init.

22 P. M. CHUPOTSKII, О трудахъ Оригена въ изъясненіи новозавѣтныхъ книгъ св. Писанія; PTSO, 1861, 20; N. PETROV, Можно ли считать аллегоризмъ причиною догматическихъ заблужденій Оригена?; PS, 1900, II, 173-187; H. HÖPFL, *Introductio in omnes utriusque Testamenti libros*⁴. R 1940, I, 533.

THEUS, uterque ex factione PAULI SAMOSATENI. Fama autem scholae crevit, quo tempore sacras litteras interpretari coepit DIODORUS TARSENSIS, cuius disciplui clarissimi habentur S. IOANNES CHRYSOSTOMUS et THEODORUS MOPSUESTENUS, « interpres » dictus. Schola autem Antiochena, a qua prodierat NESTORIUS, cito periit post damnationem Nestorianismi in Concilio Ephesino [23].

Occasione Concilii Antiocheni a. 267 mentio fit presbyteri MALCHIONIS, capitis antiochenae scholae *sophistarum* et adversarii PAULI SAMOSATENI [24]; sed nescitur utrum agatur de schola theologica necne. E contra plura novimus circa S. LUCIANUM, addictissimum Paulo Samosateno, qui una cum DOROTHEO sacras litteras tradebat Antiochiae. Sed nonnisi sub DIODORO TARSENSI (ca. 370) obviam nobis fit schola proprie dicta [25]. Illam, rogatu EUSEBII EMESSENI, condidit DIODORUS in suo « asceterio » prope Antiochiam, ubi sacris vacarunt disciplinis S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, huiusque ocuiatissimus amicus THEODORUS, MOPSUESTENUS deinde episcopus [26], tantam postea famam adeptus.

THEODORO magistro usus est NESTORIUS, cuius damnatio insanabile scholae antiochenae vulnus inflixit; neque enim ab illo convaluit, etiamsi, Nestorianismo repudiato, ephesinam doctrinam amplexa sit. Inter ultimos vero doctores antiochenos recensentur S. CASSIANUS et S. PROCLUS [27].

Antiochenae scholae momentum, magis quam in ipsa *doctrina theologica,* quae a recto tramite saepius recedit, reponendum est in cultu *philosophiae aristotelicae* et praesertim in *methodo exegetica litterali-historica,* quae facile obtinuit, et modo etiam obtinet.

Ad *philosophiam* quod attinet, antiocheni *uni* adhaerent STAGYRITAE, quem coluit S. LUCIANUS, cui DIODORUS vacavit Athenis,

---

[23] De hac schola cfr. L. PIROT, *L'oeuvre exégétique de Théodore de Mopsueste,* R 1913, Introd.: L'école exégétique d'Antioche, p. 1-41; V. ERMONI, *Antioche (École théologique d')*; DTC, I, 1435-1439.

[24] EUSEBIUS, *Hist. Eccl.,* VII, 29; G. BARDY, *Paul de Samosate* ², Pa 1929, 224-227.

[25] G. BARDY, *Recherches sur Saint Lucien d'Antioche et son école,* Pa 1936; N. FETISOV, Діодоръ Тарсскій. Опытъ церковно-историческаго изслѣдованія его жизни и дѣятельности, K. 1915; R. ABRAMOWSKI, *Untersuchungen über Diodor von Tarsus*; Zeitschr. für Neutestament. Wissenschaft 30 (1931), 211-215.

[26] L. PIROT, o. c., 29 ss. Cfr. S. IOANNES CHRYS. *ad Theodorum lapsum;* PG, 47, 309-316, illum revocans ad monasterium.

[27] L. PIROT, o. c., 36.

THEODORUS autem Antiochiae, probabiliter sub ADRAGANTIO, magistro CHRYSOSTOMI [28].

Quodsi disciplina aristotelica aptam in conceptibus distinctionem fovebat, simul vero ansam praebuit antiochenis ut, rationis partes plus aequo ducentes, in errores *theologicos* facile prolaberentur. S. LUCIANUS enim primo quidem Adoptionismo PAULI SAMOSATENI morem gesit, postea vero, mediantibus suis discipulis seu « collucianistis », viam ad Arianismum parasse fertur [29]. DIODORUS vero et THEODORUS Arianismum et Apollinarismum profligarunt [30], hac tamen lege ut duas in Christo personas adstruant, id quod verum est saltem de THEODORO MOPSUESTENO [31].

In provincia vero *exegeseos*, propriam et valde commendandam methodum tradunt; cuius originem deprehendimus in S. LUCIANO, indefessam ss. Scripturarum textui operam conferente [32], doctores autem praecipuos DIODORUM et THEODORUM [33]. Innituntur quippe interpretatione litterali et historica, illam complentes, praesertim ad prophetias declarandas, « theoria », supra litteralem sensum semper fundatam, quam DIODORUS TARSENSIS data opera distinguit ab « allegoria » Alexandrinorum [34].

35. SCHOLA EDESSENA PERSARUM. S. Lucianus fertur studiis vacasse Edessae [35], ubi iam a saeculo II nomen sibi ut doctores acquisierant TATIANUS et BARDESANES. Schola vero momentum tunc obtinuit quando ex Nisibe, posteaquam IOVIANUS illam cessit Persis (a. 363), doctores syri orientales Edessam adventarunt et S. EPHRAEM praeesse coepit Scholae Edessenae, in qua clerus nisibenus erudiebatur, ita ut ab hoc tempore schola edessena audiat « schola Persarum » [36]. Persae enim doctores Scho-

---

28 FACUNDUS HERMIAN., *Pro defensione*, 1. IV, c. 2; PG, 67, 616. 621 commendat eruditionem DIODORI in re philosophica. De THEODORO cfr. LE NAIN DE TILLEMONT, *Mémoires*, XII, 434.

29 D. LEBEDEV, Евсевій Никомедійскій и Лукіанъ (Къ вопросу о происхожденіи аріанства); BV, 1912, I, 722-737; II, 180-189; G. BARDY, *Recherches sur Saint Lucien d'Antioche et son école*, 217ss..

30 A. SPASSKII, Аполлинарій Лаодікійскій. Serg 1895, 286-300; D. SPIRIDONOV, Къ полемикѣ Діодора Тарскаго съ Аполлинаріемъ Лаодикійскимъ; ChC, 1910, I, 256-265.

31 W. DE VRIES S. I., *Der « Nestorianismus » Theodors von Mopsuestia*; OCP, 7 (1941), 91-148.

32 G. BARDY, *Recherches sur Saint Lucien d'Antioche et son école*, 164-182.

33 L. PIROT, *L'oeuvre exégétique de Théodore de Mopsueste*, 177-213.

34 H. KIHN, *Über Θεωρία und ἀλληγορία nach den verlorenen hermeneutischen Schriften der Antiochener;* Tub. Quartalschrift, 62 (1880), 531-582; A. VACCARI S. I., *La Θεορία nella scuola esegetica di Antiochia;* Bi 1 (1920), 3-36; cfr. Bi 15 (1934), 94-101; J. M. BOVER S. I., *La « teoría » antioquena definida por Julián de Eclano;* EE 12 (1933), 405-415.

35 Contradicit huic opinioni G. BARDY, o. c., 35 s.

36 De hac Schola cfr. F. NAU, *Édesse (école d')*; DTC, 4 (1911) 2102-2103; E. R. HAYES, *L'École d'Édesse*, Pa 1930.

lae sunt praepositi usque ad annum 457, quando omnes nestoriani magistri pulsi sunt. Anno autem 489 Schola Persarum, iubente Imperatore ZENONE, diruta est, et eius loco exstructum fuit templum in honorem Deigenitricis [37].

Scholae Edessenae, simul et Encratistarum sectae, conditor fertur TATIANUS [38], qui Romae fuit discipulus S. IUSTINI, postea vero (a. 172) in patriam reversus, litteris impense vacavit, ut testantur eius *Diatessaron* [39] et *Oratio ad Graecos* [40]. Plures vero numeravit discipulos BARDESANES philosophus [41], quaerens dogmatis christiani cum placitis astrologiae Babylonicae conciliationem, cuius asseclae Edessae perseverarunt usque ad saeculum V [42].

A coetu autem Bardesianorum, quos vehementer confutavit S. EPHRAEM [43], aliena prorsus fuit « Schola Persarum »; in qua, praeter persas, alii quoque aderant syri, cum inter alumnos, tum etiam inter doctores [44], praesides vero omnes exstiterunt persae, videlicet, S. EPHRAEM (a. 363-373), CYORE (a. 373-437) et NARSAI (a. 437-457), qui a. 457 cum suis asseclis in Nisiben proficisci coactus est. Perduravit autem Schola, in qua deinceps magistri docent monophysitae [45].

Sub ductu Persarum Schola syra Edessena intimius ac frequentius commercium habet cum graecis christianis litteris, praesertim cum Schola Antiochena. Una vero cum antiochenorum commentariis acceperunt quoque doctrinam nestorianam,

---

37 E. R. HAYES, *L'École d'Édesse*, 208, 260.

38 Cfr. K. SKVORTSEV, Христiанскiй философъ Татiанъ; TK, 1867, II, 3-24; N. M., Апологiя Татiана; VR, 1898, II, 139-156, 390-412; K. I. LOGOTHETES, Ἡ φιλοσοφία τῶν Πατέρων, I, 68-70.

39 Cfr. C. PETERS, *Das Diatessaron Tatians*. Seine Überlieferung ... sowie der heutige Stand seiner Erforschung; R 1939 (OCA, 123); recentiora tibi dabit I. ORTIZ DE URBINA S. I., *Patrologia Syriaca*, R 1958, 34-35.

40 *Oratio ad Graecos*, recens. a E. SCHWARTZ, L 188 (Texte und Untersuchungen, 4); P. A. PREOBRAŽENSKII, Сочиненiя древнихъ христiанскихъ апологетовъ, P 1895, 1-45; W. BORNSTEIN, *Beiträge zu Tatians Rede and d. Griechen*, Rostock 1923.

41 E. R. HAYES, o. c., 74-97.

42 Illos ad rectam fidem deduxisse tradunt episcopum RABBULAM (412-435); sed teste IACOBO EDESSENO nonnulli Bardesiani aderant etiam saec. VIII.

43 S. EPHRAEM, *Opera Omnia* (ed. Lamy), II, 428. 438, 443. 444. 553. 557; *Carmina Nisibena* (ed. Bickell), 102; C. W. MITCHELL-F. C. BURKITT, *S. Ephraim's prose refutations of Manì, Marcion and Bardaisan*, 2 vol., Lo 1912, 1921. De S. Ephraem v. S. TERNOVSKII, Св. Ефремъ Сиринъ; PS, 1884, III, 220-242; N. BARSOV, Св. Ефремъ Сиринъ какъ проповѣдникъ; ChC, 1886, I, 732-770; G. RICCIOTTI, *Sant'Efrem Siro*. Biografia, Scritti, Teologia, R 1925.

44 In schola Persarum docebant IBAS ex Mesopotamia, MARUM ELITHA sacerdos edessenus, KUMI et PROBUS syri occidentales; E. R. HAYES, o. c., 145.

45 Edessae hac periodo versantur PHILOXENUS MABBUGENSIS, PAULUS EDESSENUS, IACOBUS BARADAI, IACOBUS SARUGENSIS; Ibid. 254 ss.

quam doctores persae mordicus retinent, etiam contradicentibus edessenis episcopis et factione cyrillianorum.

Cyore praeside, Ibas, Kumi et Probus ex graeco in syriacum transtulerunt tractatus Aristotelis et *Isagogen* Porphyrii [46]; laudatus autem Ibas et Ma'na syriaca fecerunt opera Theodori Mopsuesteni [47]. Quantum vero sit harum versionum ponderis in comperto positum est; hoc enim tramite philosophia *Aristotelis* primum arabibus, deinde vero latinis innotuit theologis; plura etiam antiochenorum scripta deperdita in originali graeco, syriace nobis servata sunt.

Haec vero theologica commentaria docuerunt Persas *Nestorianismum;* neque illum deponunt post Concilium Ephesinum, cum Rabbulas episcopus edessenus syriacum fecit opusculum S. Cyrilli Alexandrini *de recta in Dominum Iesum Christum fide* [48] et nihil intentatum reliquit ut eos ad orthodoxam sententiam comiter reduceret [49]. Cum enim Ibas episcopalem cathedram conscenderet, Nestoriani validiores fiunt; nec tamen factionem Cyrillianorum, cui praeerat Xenaias (seu Philoxenus Mabbugensis), extinguere adepti sunt; quinimo, ab illa sub Nonno episcopo (a. 457-471) superati sunt.

36. Schola Nisibena: Cum vero dyophysitae nestoriani Edessam cum Nisibi commutarent, vires resumit antiqua huius civitatis Schola, quae post foedus a. 363 initum inter Persas et Byzantinos prorsus interierat. Anno autem 457 Schola Persarum Edessena transfertur denuo in Nisiben, ubi Narsai rectoris munere fungi pergit. In ea autem studiorum ratio Edessae iam usu diuturno probata perseverat; simul ac doctrina nestoriana, cui omnes assentiuntur, si excipias Henanam Adiabenum, scholae rectorem ab a. 572, qui Chalcedonensi Concilio publice favit [50].

Studiorum rationem in Schola Nisibena, quae aliarum multarum in Perside mater fuit, usurpatam novimus ex eius *Statutis*. Inter

---

46 BO, I 85.

47 J. M. Vosté O. P., *De versione syriaca operum Theodori Mopsuesteni;* OCP 8 (1942), 477-481.

48 J. Oberbeck, *S. Ephraemi Syri, Rabbulae episcopi ... Opera selecta,* Oxonii 1865, 200.

49 Id respondet indoli Rabbulae, quem tamen tetre nobis agentem inducit Mar Barhadbšabba nestorianus, *Cause de la fondation des écoles*; PO, IV, 380 s.

50 De Schola Nisibena cfr. I. Guidi, *Gli statuti della scuola di Nisibi*; Giornale della Società Asiatica Italiana, 4 (1890), 165-195; J. B. Chabot, *L'École de Nisibe, son histoire, ses statuts*; Journal Asiatique, ser. 9, 8 (1896), 43-93; A. Scher, *École de Nisibe, son origine, ses statuts, et ses hommes célèbres,* Beyruth 1905; Th. Hermann, *Die Schule von Nisibis vom 5. bis 7. Jahrhundert. Ihre Quellen und ihre Geschichte;* Zeitsch. f. die neutest. Wissenschaft 25 (1926), 89-122.

magistros aderat *Interpres* seu *Commentator*, ad s. Scripturam explanandam; *Lector*, qui una cum lectione, vel potius cantu, ss. Scripturarum grammaticam docebat; *Scrutator*, cuius erat philosophiam tradere; *Meditator*, inferioribus elementaribus studiis praepositus [51]. Statuta plura quoque tradunt ad rectam pietate et studiis eruditionem alumnorum, inter quos vigebat regimen simile, fortasse rigidius, ac in nostris mediaevalibus Universitatibus.

Verum age: licet Nisibeni ad sacras scientias philosophiam adhibeant, quae libertatem quandam secum fert in speculatione theologica, Scholae doctores tuentur strenue doctrinam nestorianam, quae, exul ex provinciis Imperii, altas in Persarum ecclesia radices egit.

37. Momentum Scholarum ad doctrinam de Unione hypostatica: Hoc pacto duae praecipuae sunt in Oriente, ad Theologiam quod attinet, scholae theologicae: Alexandrina altera, altera Antiochena, ad quam Edessena et Nisibena accedunt. Age iam; ad mutuam utriusque naturae, divinae inquam et humanae, in Christo habitudinem declarandam, Antiocheni, vi eorum philosophia, *distinctionem* omnimodam statuunt, etiam in ipsa Christi, quam geminant, Persona; id quod iuxta ipsos roboratur haud paucis sacrae Scripturae textibus, sensu litterali acceptis. E contra, Alexandrini, propria ducuntur philosophia ad *unitatem* stabiliendam in Christo Domino; primo quidem in Persona, deinde etiam in ratione ipsa Naturae, minime praepediti sacrae paginae testimoniis, quae facile allegorice declarant. Atqui haec satis ostendunt *ortum Nestorianismi* apud Antiochenos, *Monophysimi* autem apud Alexandrinos.

Porro, opiniones theologicae Antiochenorum solummodo penes Nisibenos doctores perdurant. Reliqui enim syri illas abiciunt; retinent vero et philosophiam aristotelicam et methodum exegeticam Antiochenorum, quam maximo in honore habere pergunt. Quare, doctores *syri monophysitae*, hac imbuti disciplina, formulas monophysiticas necessario mitigant, et *nominalem tantum monophysismum* colunt, prout ex sequentibus magis patebit.

---

[51] J. B. Chabot, l. c., 47 putat illum esse professorem rhetorices.

Art. II

Theologi Nestoriani

38. Prima Nestorianismi initia: *Incunabula* Nestorianismi reponenda sunt in Antiochia, ubi floruerunt Diodorus Tarsensis et Theodorus Mopsuestenus quos una cum Nestorio Ecclesia Nestoriana celebrat tamquam suos « tres doctores » praecipuos [1]. Illorum vestigia tenuere nonnulli graeci antiocheni et syri occidentales. Verumtamen Nestorianismus cito *migravit in Persidem,* ex qua iam ad finem huius nostrae periodi in plures Asiae regiones illatus fuit [2].

Si doctrina nestoriana plenum in Perside triumphum reportavit, id tribui debet et artibus politicis Metropolitae Barsauma et operi theologico Narsai. Barsauma, qui Edessae Scholam Persarum frequentaverat, a Rabbula episcopo a. 434 pulsus, in Persiden remeavit, ibique, continuo fere luctans cum Catholicis Babowai et Accaccio, favorem Imperatoris Peroz sibi et Nestorianismo conciliavit, illam ingerens regi spem: fore ut christiani persae, hisce imbuti doctrinis, odio necessario haberent Graecos. Simul vero Narsai, a nemine non plurimi habitus, in renata schola Nisibena pro aris et focis tuebatur opiniones nestorianas iam ab anno 457.

Hoc pacto, *recessio Ecclesiae Persicae* ab Ecclesia Syro-Antiochena, quae sese prodit in Synodo Markbatensi (423), accedente novo in dogmate discrimine, perfecta est in Synodo ad Bet Lapat (484) [3], profitente aperte doctrinam Theodori Mopsuesteni [4]. Postea vero Persarum Ecclesia una est quae opiniones colat nestorianas, quas per universam fere Asiam, usque ad Indiam, Tibet, Mongoliam et Sinam indefessa opera propagavit [5].

---

[1] F. Martin, *Homélie de Narsès sur les trois docteurs nestoriens*; Journal Asiatique, Ser IX, 14 (1899), 446-492. Ecclesiam autem quam nos dicimus « Nestorianam » eius asseclae vocant potius « Orientalem » vel « Orthodoxam »; quia « nec Nestorius eorum Patriarcha fuit, neque eius linguam ipsi intelligunt » ut vult Ebedjesu, *Margarita*; apud A. Mai, *Scriptorum veterum nova bibliotheca,* X b, R 1838, 354.

[2] V. V. Bolotov, Изъ исторіи церкви сиро-персидской ; ChC, 1899, I, 95-121, 323-349, 535-547, 789-804, 1004-1131, 1182-1204; J. Labourt, *Le Christianisme dans l'Empire Perse sous les Sassanides* (224-632), Pa 1904, 131-161; E. Hayes, *L'École d'Édesse,* Pa 1930, 209-252; E. Tisserant, *Nestorienne* (*L'Église*); DTC, 11 (1931), 157-228; G. Bardy, *Les débuts du Nestorianisme*; ap. A. Fliche-V. Martin, *Histoire de l'Église,* IV, Pa 1937, 163-196.

[3] I. Ortiz de Urbina, S. I., *Storia e causa dello scisma della Chiesa di Persia*; OCP 3 (1937), 456-485.

[4] Cfr. canonem 1 in SO, 302.

[5] F. Nau, *L'expansion nestorienne en Asie,* Pa 1914, 193-388; G. Rosenkranz, *Die älteste Christenheit in China* (Schriftenreihe der Ostasien-Mission,

Quare, cum sermo est de Nestorianis, generatim unice agitur de scriptoribus Persis seu Chaldaeis; cum vero quaestio instituitur de primis Nestorianismi initiis, opus est etiam attendere ad auctores Antiochenos. De his primo loco dicemus.

§ 1. *Antiocheni Scriptores*

39. S. EUSTATHIUS ANTIOCHENUS: S. EUSTATHIUS, Antiochenus Metropolita († c 337), Concilii Nicaeni, cui interfuit, strenuus contra Arianos propugnator, a nonnullis fertur placitis Nestorianorum viam sternere. Sed immerito [6].

Eius mentem clare demonstrare operosum est; cum eius scripta maxima ex parte sint deperdita. Rectam de Unione hypostatica sententiam praebet *homilia in Lazarum, Mariam et Martham,* quae voce Θεοτόκος utitur et unitatem Personae Christi repetito asserit [7]. Verumtamen haec homilia large adhibita a KUDRJAVTSEN ad sententiam auctoris illustrandam [8], probabiliter EUSTATHIO deneganda est [9].

Ex alia vero parte S. EUSTATHII fragmenta, ea praesertim a THEODORETO CYRENSI collecta, nativitatem ex Virgine, passionem et mortem Verbo concedere nolle videntur [10].

Hisce autem ita se habentibus, dici debet S. EUSTATHIUS recta de Persona Christi abundare sententia; illis vero formulis quandoque uti, quae facile possunt usurpari ad commendationem terminologiae Nestorianorum [11].

40. DIODORUS TARSENSIS: DIODORUS († c. 391), monachus et « Interpres », ab a. 378 Tarsensis episcopus, non minus ingenii quam sanctitatis fama claruit [12], et plura scripta monumenta

---

Heft 3/4), Be 1939; P. M. D'ELIA S. I., *Fonti Ricciane*, I: Storia dell'Introduzione del Cristianesimo in Cina, R 1942, LV-LXIII.

[6] De illo recole N. KUDRJAVTSEV, Евстаѳiй Антiохiйскiй; BV, 1910, I, 453-464; II, 59-77, 426-439; III, 66-78; M. SPANNEUT, *Recherches sur les écrits d'Eustathe d'Antioche, avec une édition nouvelle des fragments dogmatiques et exégétiques*, Lille 1948.

[7] F. CAVALLERA S. I., *S. Eustathii Episcopi Antiocheni in Lazarum, Mariam et Martham homilia christologica,* Pa 1905, 41, 38 s., 48.

[8] Cfr. praesertim duos ultimos articulos, l. c., II, 426 ss., III, 66 ss.

[9] Cfr. L. SALTET, BLE 7 (1906), 212-220.

[10] PG, 83, 177. 285. 288; cfr. TDCO, V, 109 s., nota.

[11] FACUNDUS HERMIANENSIS, *Defensio trium Capitulorum,* l. VIII, c. 1, 4; l. XL, c. 1; PL 67, 711. De mente et formulis Eustathii cf. A. GRILLMEIER S. I., a. c.; *Das Konzil von Chalkedon,* I, 124-135.

[12] Cfr. laudes quas ei tribuit S. IOANNES CHRYS., *In laudem Diodori Tarsensis*; PG, 52, 761-766.

reliquit, cum exegetica, tum polemica et theologica, quorum pauca ad nos usque transmissa sunt [13].

Si morem geras EBEDIESU [14] « composuit libros 60, quos Ariani combusserunt » e quibus ipse 7 recenset syriace redditos [15]. Ex iis vero solummodo pauca nobis servata sunt ab auctoribus monophysitis, Diodori adversariis [16].

Utrum vero hisce suis scriptis *doctrina nestoriana* de duabus in Christo personis exhibeatur necne, controvertitur, asserentibus aliis DIODORUM « Nestorianismi parentem » habendum esse [17], aliis id negantibus [18].

Haec autem in eius doctrina diiudicanda diversitas roboratur et extrinseca *auctoritate* et *testimoniis* ipsius DIODORI. Illum enim haereseos accusant S. CYRILLUS ALEXANDRINUS [19] et LEONTIUS BYZANTINUS [20]; dum e contra in decreto Imperatoris THEODOSII (30 Iulii 381) celebratur una cum PELAGIO LAODICENSI tamquam columna Orthodoxiae in Oriente [21]. Neque in illum animadvertunt S. HIERONYMUS, S. EPIPHANIUS, neque Concilium Constantinopolitanum II (553), damnans propositiones THEODORI [22].

Simile quid eruitur ex collatione textuum. Fragmenta enim petita ex libro *contra Synusiastas* seu Apollinaristas admittunt in Chri-

---

13 V. ERMONI, *Diodore de Tarse et son râle doctrinal;* Mus Nouv. Sér. II, 2 (1901), 424-444.

14 BO, III, 1, 28-29.

15 Ex his quaedam fragmenta syriace dedit P. DE LAGARDE, *Analecta Syriaca,* L et Lo 1858, 91-100.

16 Quaedam e Libro contra Apollinaristas referunt LEONTIUS BYZANTINUS, *Contra Nestorianos et Eutychianos*; PG, 86, 1385-1388; SEVERUS ANTIOCHENUS, *Philalethes,* ed. A. SANDA, Beryti 1928, 16 s., 25 s.; cfr. PG, 33,1560; 76, 1449; EUTHERIUS TYANNENSIS, *Ep. ad Alexandrum Hieropolitanum*: CC 5, 980. Cfr. etiam *Acta Ephesena,* ed. E. SCHWARTZ, Acta Concil., V, Be 1924, 177-179. *Commentarium in Psalmos* reperit L. MARIÈS S.I. Cfr. huius auctoris *Études préliminaires à l'édition de Diodore de Tarse sur les Psaumes,* Pa 1933. Abstineo vero a quattuor tractatibus « quaestiones et responsiones ad orthodoxos », « quaestiones christianorum ad Gentiles », « quaestiones gentilium ad christianos » et « confutatio dogmatum quorundam aristotelicorum » ab A. HARNACK, *Diodor von Tarsus,* L 1901, 40 s. et N. FETISOV, Діодоръ Тарскій, K 1915, Diodoro gratuito, ut videtur, concessis. Cfr. F. X. FUNK, *Kirchengeschichtliche Abhandlungen* [3], Paderborn 1907, 323-350.

17 Cfr. E. CAVALLERA S. I., *Le Schisme d'Antioche,* Pa 1905, 302; J. TIXERONT, *Histoires des Dogmes,* III, Pa 1912, 12; V. ERMONI, *Diodore de Tarse et son rôle doctrinal,* Mus Sér. II, 2 (1901), 424-444; M. JUGIE A. A., TDCO, V. 85.

18 E. R. HAYES, *L'École d'Édesse,* Pa 1930, 162; L. MARIÈS, S. I., o. c., 149.

19 Ep. 45 *ad Succensum; Ep. 47 ad Ioannem Antiochenum, Ep. 71 ad Theodosium Imperatorem;* PG, 77, 239, 336, 343.

20 *Contra Nestorianos et Eutychianos*; PG, 86, 1364. 1385.

21 HÉFÉLÉ-LECLERCQ, *Histoire des Conciles,* VIII, Pa 1917, 41.

22 Scripta DIODORI a Concilio implicite damnata putat O. BARDENHEWER, *Geschichte der altkirchlichen Literatur,* III, Freiburg im Br 1923, 306.

sto *duos Filios* Dei, alterum natura, alterum gratia, et nonnisi aegre et improprio sensu patitur vocem *Deigenitricem* [23]. In fragmentis autem *Commentariorum in Psalmos* orthodoxam prorsus doctrinam tradit. Quo fit ut MARIÈS putet tractatum contra Apollinaristas nothum esse [24], JUGIE vero pronuntiet Commentarios in Psalmos vel sequioris esse aetatis vel interpolatos [25]. Utrumque vero opus genuinum haberi potest; de mente vero auctoris probabiliter dicendum existimo, illum verbo tenus Nestorianis consentire; sed cum, in iis saltem quae novimus, a consequentiis abstineat quae ex gemina Christi persona necessario profluunt, nefas est asserere DIODORUM nestoriana sententia abundare. Id vero roboratur ex eo quod S. IOANNES CHRYSOSTOMUS a christologia nestoriana alienus extiterit [26], quam data opera refutavit alter suus antiochenus discipulus S. PROCLUS. Imo, FACUNDUS HERMIANENSIS dicere non dubitavit DIODORUM ab omnibus indiscriminatim Orientalibus doctorem suscipi [27].

41. THEODORUS MOPSUESTENUS: Aliud vero censendum est de eius praeclarissimo discipulo THEODORO († 428), episcopo Mopsuesteno, qui reliquorum antiochenorum famam, suorum scriptorum numero et pondere facile superavit [28].

IOANNES ANTIOCHENUS asserit illum decem millia volumina conscripsisse [29]; id autem dictum accipe de ingenti suorum operum copia. In iis primum locum obtinent opera exegetica, quibus praecipua eius laus consistit [30]; sed praeter haec plura elucubratus fuit opera theologica et catechetica. Horum omnium fragmenta variis ex auctoribus collegit MIGNE [31]; operibus exegeticis edendis operam dederunt SWETE, CHABOT, DEVREESSE et VOSTÉ [32]; MINGANA autem homi-

---

[23] Praecipua tibi dabit TDCO, V, 87-89.

[24] L. MARIÈS S. I., *Études préliminaires à l'édition de Diodore de Tarse sur les Psaumes,* 148.

[25] M. JUGIE A. A., *A propos du commentaire des Psaumes attribué à Diodore de Tarse;* EO 33 (1934), 190-193.

[26] Ceterum, terminologiae Antiochenorum, saltem in quibusdam, morem gerit; ut cum sermonem miscet de B. M. V., quam nusquam « Deigenitricem » dicere audet.

[27] *Pro defensione trium capitum,* l. VIII, c. 1; PL, 67, 711.

[28] De illo cfr. O. F. FRITZSCHE, *De Theodori Mopsuesteni vita et scriptis,* Halae 1836; ap. PG, 66, 9-78.

[29] Cfr. FACUNDUS HERMIANENSIS, *Pro defensione trium capitum*; PL, 67, 562. De eius labore litterario v. J.-M. VOSTÉ O. P., *La chronologie de l'activité littéraric de Théodore de Mopsueste;* RB 34 (1925), 54-81.

[30] H. KIHN, *Theodor von Mopsuestia und Junilius Africanus als Exegeten,* Freiburg i. Br. 1880; L. PIROT, *L'oeuvre exégétique de Théodore de Mopsueste,* R 1913.

[31] PG, 66.

[32] H. B. SWETE, *Theodori Episcopi Mopsuesteni in Epistulas B. Pauli commentarii,* Cambridge 1880-1882; J. B. CHABOT, *Commentarius Theodori Mop-*

lias catecheticas nobis dedit [33]; ex tractatibus autem dogmaticis pauca novimus, edente NAU [34]; opera autem *de Incarnatione* et *contra Apollinarem,* quae nostra maxime referunt, manum critici adhuc exspectant [35].

Libris autem Theodori nestorianam de Christo Domino sententiam contineri, in comperto est. Quare, iure damnata sunt eius opera a Concilio Generali V [36]. Nam ipse saepenumero loquitur de *homine assumpto,* in quo tamquam in templo Verbum inhabitat, inhabitatione autem *complacentiae* dumtaxat. Imo, ipse non deterretur a *consequentiis* huius doctrinae relate ad alia dogmata; quare, eius mens plane nestoriana fuit.

Contra orthodoxiam THEODORI, nemo, ut videtur, reclamavit ante mortem THEODOSII II (450). Sub IUSTINIANO autem eius scripta tuentur impugnantes reiectionem *Trium Capitum* [37]; postea vero TILLEMONT aliique nihil in THEODORO, praeter minus aptam terminologiam, censura dignum inveniunt; quam sententiam amplectitur recenter AMANN, usus *Libro ad baptizandos* [38]. Theodorianam autem doctrinam, etiam in suis operibus catecheticis, nestorianam esse demonstrarunt JUGIE [39] et DE VRIES [40].

---

suesteni in Evangelium S. Ioannis, Pa 1897; R. DEVREESSE, *Le commentaire de Théodore de Mopsueste sur les Psaumes;* StT 93 (Città del Vaticano 1939); J.-M. VOSTÉ O. P., *Theodori Mopsuesteni commentarius in Evangelium Iohannis Apostoli,* Pa 1940 (CSCO, Syri, ser. IV, 3); R. M. TONNEAU O. P., *Théodore de Mopsueste. Interprétation de la Genèse;* Mus 66 (1953), 45-64.

33 A. MINGANA, *Commentary of Theodore of Mopsuestia on the Nicene Creed,* Cambridge 1933 (Woodbrooke studies, V); Id., *Commentary of Theodore of Mopsuestia on the Lord's prayer and on the sacraments of baptism and the eucharist,* Cambridge 1933 (Woodbrooke studies, VI).

34 F. NAU, *Controverse de Théodore de Mopsueste avec les Macédoniens;* PO IX, Pa 1913.

35 Versionem syriacam libri de Incarnatione reperit A. SCHER, *Catalogue des Mss. syr. et arabes de la Bibliothèque de Seert,* Mossoul 1905, 65; codex autem modo deperditus est.

36 In Concilio etiam reiciuntur interpretationes quaedam THEODORI de S. Scriptura, et quidem legitime, ut ostendit J.-M. VOSTÉ O. P., *L'oeuvre exégétique de Théodore de Mopsueste au II Concile de Constantinople;* RB 38 (1929), 542-554.

37 Cfr. FACUNDUS HERMIANENSIS, *Pro defensione Trium Capitum;* PG, 67, 581-825.

38 E. AMANN, *La doctrine christologique de Théodore de Mopsueste;* Revue des Sciences Religieuses 14 (1934), 160-191. Hac sententia abundat R. DEVREESSE, *Essai sur Théodore de Mopsueste;* StT 141 (Città del Vaticano 1948).

39 M. JUGIE A. A., *Le « Liber ad baptizandos » de Théodore de Mopsueste;* EO 34 (1935), 257-271.

40 W. DE VRIES S. I., *Der « Nestorianismus » Theodors von Mopsuestia in seiner Sakramentenlehre;* OCP 7 (1941), 91-148. Recentius idem tradit F. SULIVAN S. I., *The Christology of Theodore of Mopsuestia,* R 1956.

Age iam; in primo suo opere, quod fuit *Commentarii in Psalmos* [41], THEODORUS loquitur de duabus naturis et una persona in Christo [42]; simul vero de « suscepto homine, qui est crucifixus » [43]. Quid vero hisce subsit data opera declarat praesertim in opere *de Incarnatione* ante annum 392 iam perfecto, propugnans unionem « secundum complacentiam » dumtaxat inter Verbum inhabitans et hominem assumptum [44], quem Filium Dei adoptivum tantum dicit [45], veram autem Personae unitatem pesumdat [46]. In suis autem operibus catecheticis, competentes alloquens, moderatione quadam usus est; doctrinam vero immutatam retinuit [47].

Nec licet asserere hanc dicendi rationem unice pendere a *terminologia* a THEODORO usurpata; Ipse enim sententiam de duplici in Christo Domino persona ad suas necessarias conclusiones perducit variis in provinciis dogmatis. Sic, confidenter scribit: « est quidem dementiae Deum ex Virgine natum esse dicere » [48]; in quaestione autem de Redemptione, cum opus Redemptionis ab homine Iesu perfectum fuerit, THEODORUS etiam a recto veritatis tramite declinat [49]. Ceterum, alia quoque doctrinae capita a vero aberrantia, suos docuit; ut puta, de peccato originali, quod negat [50]; de praesentia reali Christi Domini in SS. Eucharistiae Sacramento, quam ultra omnes limites deprimit [51], de origine Spiritus Sancti, a qua Filium excludit [52]. Ad has autem theologicas conclusiones devenit suo ductus

---

41 Recole testimonium ipsius THEODORI de his commentariis « quae etiam prima ceterorum scripsimus » apud FACUNDUM HERMIANENSEM, PG, 67, 602.

42 R. DEVREESSE, *Le commentaire de Théodore de Mopsueste sur les psaumes*, 289.

43 Ibid., 11; cfr. 7, 43, 47, 49 etc.

44 PG, 66, 974. Hanc autem unionem « secundum complacentiam », innixus philosophia neoplatonica, confutat NEMESIUS EMESSENUS, auctor opusculi *de natura hominis;* PG, 40, 503-818. Cfr. R. ARNOU S. I., *Nestorianisme et Neoplatonisme. L'Unité du Christ et l'union des « Intelligibles »*; Gr 17 (1936), 116-131.

45 Ibid., 987.

46 « Quomodo igitur homo et Deus unum per unitatem esse potest? »; ibid., 969.

47 « Ita loquens [S. Paulus, Phil. 2, 6-7] claram induit distinctionem inter naturam illius qui est in forma Dei et illius qui est in forma servi; illius qui assumpsit et illius qui assumptus est ». Ap. A. MINGANA, l. c., V, 65.

48 *Contra Apollinarium;* PG, 66, 993 s.

49 Cfr. W. DE VRIES S. I., l. c., 98-111.

50 THEODORUS auctor est libri *contra fautores peccati originalis*, cuius fragmenta nobis mandarunt MARIUS MERCATOR et PHOTIUS; apud H. B. SWETE, *Theodori episcopi Mopsuesteni in Epistolas B. Pauli commentarii*, Cambridge 1882,332-337. Quo factum est ut IULIANUS ECLANAE cum suis pelagianis, ab Occidente recedere coactus, a. 418 ad THEODORUM confugiat. Cfr. MARIUS MERCATOR, *Praefatio ad Symbolum Theodosii M.*; PL, 48, 215.

51 Cfr. *Librum ad baptizandos*; edit. A. MINGANA, o. c., VI, 74-78; F. J. RECUE, *The Eucharistic Doctrine and Liturgy of the Mystagogical Catechesis of Theodore of Mopsuestia*, Washington 1942.

52 Symbolum nestorianum, in Ephesina Synodo lectum, habet: « Quem [Spiritum Sanctum] nec Filium esse neque per Filium exsistentiam accepisse

« rationalismo », qui illum vel hodiernis pluribus scriptoribus assimilat [53].

42. Errores Nestorii: Nestorius († c. 451), ex Persia oriundus, natus est Germaniciae in Syria Euphratensi, educatus vero in monasterio Euprepii, prope Antiochiam, ubi eloquentiae fama illustris haberi coepit. Cum vero a. 428 renuntiatus sit a Theodosio II Constantinopolitanus Patriarcha, praepostera sua contra Deiparam opinione, quam palam propugnare non est veritus, animos sibi adversos reddidit. Quare, a Concilio Ephesino damnatus, exul vitam egit primo quidem in suo monasterio Euprepii, deinde ad Magnam Oasin in Aegypto superiore.

Aliunde notas supponimus res gestas a Nestorio[54], quem Catholici et Monophysitae tetris depingunt coloribus, Nestoriani autem laudibus cumulant [55]. Eius orthodoxiam, virtutes et miracula extollit *epistula ad Cosmam*, paululum post eius obitum scripta [56], qua usi sunt Barḥadbšabba [57] et auctor *traditionis syriacae* de Nestorio [58], quam ligato sermone evolvit Sliba (saec. XVI), in suo *hymno de graecis doctoribus* [59].

Nestorii *scripta* quae supersunt constant litteris 16 et homiliis 30 [60] et *libro Heraclidis*, quem ad finem vitae in sui defensionem redegit, quique integer, in syriaca versione, repertus est [61]. Ex aliis

---

putamus »; A. Hahn, *Bibliotheke der Symbole und Glaubensregeln der alten Kirche*[3], Breslau 1897, 305; CC 4, 1347.

[53] L. Patterson, *Theodore of Mopsuestia and modern thought*, Lo 1926.

[54] Cfr. M. Jugie A. A., *Nestorius et la controverse nestorienne*, Pa 1912; E. Amann, *Nestorius;* DTC, 11 (1931), 76-157.

[55] F. Nau, *Nestorius d'après les sources orientales*, Pa 1911.

[56] Saltem prima pars videtur iam saec. V mediante exarata; altera vero probabilius nonnisi saec. VII. Illam edidit F. Nau, PO, XIII, 273-286.

[57] F. Nau, *Seconde partie de l'histoire de Barhadbešabbe 'Arbaia*, c. XX ss; PO, IX, 517-587.

[58] M. Brière, *La Légende syriaque de Nestorius;* ROC 15 (1910), 1-25.

[59] Sliba de Mansourya, *Hymne sur les docteurs grecs*. Ed. F. Nau; PO, XIII, 287-316.

[60] Illa omnia collegit F. Loofs, *Nestoriana*, Halle 1905, complenda fragmentis editis a J. Lebon, *Fragments syriaques de Nestorius;* Mus 36 (1923), 47-65. Fere omnia edita a Loofs modo critice vulgata reperies ab E. Schwartz, *Acta Conc. Oec.*, Tom. I Concilium Universale Ephesinum, Vol. I, Be 1927-1928. Ipse E. Schwartz, *Die sogenanten Gegenanathematismen des Nestorius*, München 1922 (SBBA, Phil. Phil. Kl. 1922, I) ostendit « centro-anathemata » quae Loofs dubia putat, spuria esse. Ad homilias quod attinet P. Batiffol, *Sermons de Nestorius*; RB 1 (1900), 329-353 contendit Nestorio tribuere alias 52 homilias; eius autem sententia non obtinuit.

[61] Illo usus est iam J. F. Bethune-Baker, *Nestorius and his teaching*, Cambridge 1908; sed typis datus est syriace a P. Bedjan, Paris-Leipzig 1910; versione gallica a F. Nau, *Le livre d'Heraclide de Damas*, Pa 1910; versione anglica a G. R. Driver - L. Hodgson, *The Bazaar of Heracleides newly translated*

vero nestorianis opusculis: *Theopaschitos* et *Tragoedia* nihil praeter brevissima quaedam fragmenta modo servatur [62].

Circa germanam NESTORII de Incarnatione *doctrinam*, utrum orthodoxa fuerit necne, penes auctores recentiores acriter controvertebatur. Attamen, quae ipse profert contra Beatissimae Virginis divinam Maternitatem, necnon plura dicta de unione utriusque naturae in Christo, satis demonstrant eius mentem ephesinae definitioni e regione oppositam.

Quaestio de orthodoxia NESTORII, etiamsi de hoc auctore nominatim instituatur, respicit doctrinam nestorianam in genere, quam fere omnes scriptores rationalistae rectam fuisse pronuntiant [63]. His haud pauci consonant catholici auctores, existimantes terminologiam NESTORII temerariam, falsam si mavis, retinendam esse; illi autem catholicam subesse sententiam [64]. Sed longe praeferenda videtur eorum opinio qui NESTORIUM non solum verbis, sed etiam mente a catholico dogmate deviare tradunt [65].

Ita sentiendum esse de NESTORIO infertur primo quidem ex controversia de Θεοτόκος, quae crisi nestorianae initium fecit [66]. In epistula ad CAELESTINUM Papam verbum Θεοτόκος « rite explicatum »

---

from the Syriac, Oxford 1925. Contra eius authentiam dubia movit J. LEBON; RHE 12 (1911); sed generatim ab omnibus recipitur ut opus genuinum NESTORII.

[62] Cfr. ad *Theopaschitos;* F. LOOFS, *Nestoriana*, 208-211; ad *Tragoediam;* ibid. 203-208.

[63] F. LOOFS, *Nestoriana*, Halle 1905, 160; J. F. BETHUNE-BAKER, *Nestorius and his teaching. A fresch examination of the evidence*, *Cambridge* 1908; A. HARNACK, *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, II[4], Tübingen 1909, 355-358; R. SEEBERG, *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, II[6], L 1923, 219 s.; R. ABRAMOWSKI, *Zur « Tragedia » des Nestorius;* Zeitschrift der Kirchengeschichte 47 (1928), 305-325; E. CASPAR, *Geschichte des Papsttums*, I. Tübingen 1930, 389; E. BUONAIUTI, *La « Tragedia » di Nestorio;* Ricerche Religiose 7 (1931), 199; F. HEILER, *La Madre di Dio;* Ibid., 405; F. LOOFS, *Nestorius and his place in the history of christian doctrine*, Cambridge 1914.

[64] Huius sententiae sunt L. FENDT, *Die Christologie des Nestorius*, Kempten 1910, 103 ss.; J. P. JUNGLAS, *Irrlehre des Nestorius;* Der Katholik, 4 Folge, 11 (1913), 437-447; E. AMANN, *Nestorius*; DTC, XI (1931), 155; I. RUCKER, *Das Dogma von der Persönlichkeit Christi und das Problem der Häresie des Nestorius*, Oxenbronn 1934.

[65] M. JUGIE A. A., *Nestorius et la controverse nestorienne*, Pa 1912; R. M. SCHULTES, *Die Bewährungslehre des Nestorius;* Der Katholik, 4 Folge, 11 (1913), 233-247; CHR. PESCH S. I., *Nestorius als Irrlehrer; zur Erläuterung einer wichtigen theologischen Prinzipienfrage*, Paderborn 1921; F. S. MÜLLER S. I., *Fuitne Nestorius revera Nestorianus?*; Gr 2 (1921), 266-284; L. LOHN S. I., *Doctrina Nestorii de mysterio Incarnationis*, Leopoli 1933 (CTh 14). Ceterum, aperta sunt verba PII XI: « Omnes igitur in comperto habeant Nestorium revera haeretica praedicasse commenta »; Enc. *Lux veritatis*, 10 maii 1931; AAS 23 (1931), 505.

[66] A. EBERLE, *Die Mariologie des heiligen Cyrillus von Alexandrien*, Freiburg i. Br. 1921, 33-36: Die Stellung des Nestorius gegenüber des « Theotokos »; TDCO, V, 121-123; P. NILUS A BROCARDO O. C. D., *De Maternitate divina B. Mariae semper Virginis Nestorii Constantinopolitani et Cyrilli Alexandrini sententia*, R 1944.

patitur [67]. Quaenam vero explicatio sit adhibenda ipse declarat, nimirum, in quantum Verbum unitum est homini assumpto, ex Virgine nato [68]. Quare, Beatam Mariam Virginem appellari mavult « Christotokos » vel « Theodochon » [69]; nec unquam ab hac loquendi ratione amoveri se sinit [70]. Id autem pendet ab intima sua persuasione de duabus personis in Christo Domino, etiamsi « prosopon unionis » ipse magis amplificet ei tribuens non solum nomina: *Christus, Dominus, Filius,* verum etiam *Iesus et Unigenitus* [71].

Quae cum ita se habeant, NESTORIUS eiusque sententia reprobatur a Synodo Ephesina (22 iunii 431), quae suam fecit epistulam II S. CYRILLI ALEXANDRINI ad Nestorium. In hac epistula, quae rectam de duabus naturis et una hypostasi seu persona terminologiam adhibet, quaerenda est definitio ephesina; non in « anathematismis » S. Cyrilli, quibus definitionis pondus Concilium non videtur tribuisse [72].

Ut est notissimum, plures episcopi antiocheni et orientales sententiae Ephesi contra Nestorium prolatae, non illico consentiunt; omnes tamen obsignarunt *symbolum unionis* anni 433, etiamsi unus alterve nestorianae doctrinae morem gerere pergat.

Hos inter nominandi sunt duo illi, quorum opera reiecit Concilium Constantinopolitanum II; videlicet, IBAS, magister in schola Persarum et deinde episcopus Edessenus, auctor epistulae ad Mari [73] et THEODORETUS episcopus Cyrensis, quem russi beatum appellant [74].

---

67 F. LOOFS, *Nestoriana,* 167.

68 « Non peperit creatura creatorem, sed genuit hominem, divinitatis instrumentum »; Ibid., 252; cfr. 352.

69 F. LOOFS, *Nestoriana,* 276.

70 LEONTIUS BYZANTINUS, *Contra Nestorium,* III, 10; PG, 86, 1363 refert de THEODORO MOPSUESTENO: « cum explanaret Scripturas, ausus est cum multa alia tum vocem Θεοτόκον, id est Deipara, vituperare, ut ita inde totum contra se populum commoveret »; sed ut notat FACUNDUS HERMIANENSIS, *Pro defensione trium capitum;* PG 67, 771: « sentiens perturbationem quam non minima divulgatio illius dicti excitaverat... non post multos dies illud quod ab eo dictum erat, ad utilitatem Ecclesiae sine confusione correxit ». Ab illo exemplo longe abest NESTORIUS, qui etiam in *libro Heraclidis* sententiam non mitigat. Cfr. F. NAU, *Le livre d'Héraclide de Damas,* 132, 154, 163.

71 Cfr. TDCO, V, 112-125. Cfr. L. I. SCIPIONI O. P., *Recerche sulla cristologia del « Libro di Eraclide » di Nestorio,* Friburgo 1956.

72 A. DENEFFE S. I., *Der dogmatische Wert der Anathematismen Cyrills;* Scholastik 8 (1933), 64-89, 203-217; I. PUIG DE LA BELLACASA S. I., *Los doce anatematismos de S. Cirilo, fueron aprobados por el Concilio de Éfeso?;* EE 11 (1932), 5-26; P. GALTIER S. I., *Les anathematismes de saint Cyrille et le Concile de Chalcédoine;* RSR 23 (1933), 45-58.

73 CC 7, 241-250; Cfr. F. HOFMANN, *Verhandlungen der Kirchenversammlung zu Ephesus am 22 August 449,* Kiel 1873, 24 ss.

74 Cfr. M. RICHARD, *Un écrit de Théodoret sur l'unité du Christ après l'incarnation;* Revue des Sciences Religieuses 14 (1934), 34-61; Id., *Notes sur l'évolution doctrinale de Théodoret;* RSPhTh 25 (1936), 459-481; COSTANTINO

§ 2. *Scriptores Persae nestoriani*

43. Litterae theologicae apud Persas: In suo *Catologo librorum ecclesiasticorum* recensuit Ebediesu ad 47 scriptores qui a medio saeculo V ad annum usque 637, quado arabes rerum publicarum potiti sunt, in Ecclesia Persidis floruerunt [76]. Neque id mirum; litterae enim sacrae impense coluntur, cum in Schola Nisibena tum in aliis, quas alumni nisibeni praecipuis in civitatibus condiderant.

Historiam Scholae *Nisibenae* ad finem usque saeculi VI novimus ex Barḥdbšabba [76] aliisque fontibus historicis [77]. *Seleuciae* Aba I initio sui episcopatus conditam voluit Scholam, cui praesidere iussit ut Interpretem Isaiam. *Arbela* Schola gaudet saec. VI, in qua Paulus Bassorensis per plures annos docuit. Georgius Kaškarensis, discipulus arbelensis, magister vero in schola Seleuciae, antequam a. 596 eligeretur in metropolitam Nisibenum, suam civitatem *Kaškar* Schola auxit theologica. His accedunt aliae Scholae in *Mesopotamia*. Simul vero scholae inaugurantur monasticae; quas inter celeberrima habetur Schola *Monasterii ad montem Izala,* conditi a nisibeno alumno Abrahamo Kaškarensi, quam Babai Magnus suis illustravit lectionibus et scriptis [78].

Ut fert indoles Scholae apud Persas, exegesin dogmatis simul et liturgicam complectentis, plures scriptores accensendi sunt mysticis, praesertim a saeculo VI ineunte [79]; plerique vero ad Theologiae provinciam pertinent.

In Scholis autem doctores persae evolvunt *doctrinam* Theodori Mopsuesteni et Nestorii, quam secum tulerant ex edessena Schola Persarum. Ephraem vero, Theologiae syrae orientalis vere parens, adhibetur sane, sed eius christologia, quae recta est, minus attenditur.

S. Ephraem, etsi quandoque terminologiam minus rectam usurpet, ut cum de « mixtione » utriusque naturae in Christo loquitur [80],

---

de Mazzarino O. F. M. Cap., *La dottrina di Teodoreto di Ciro sull'Unione ipostatica delle due nature in Cristo,* R 1941.

75 BO, III, 1, 38 ss.

76 Mar Barhadbšabba 'Arbaya, évêque de Halwan, *Cause de la fondation des écoles*. Ed A. Scher; PO, 4 (1908), 384-404.

77 Th. Hermann, *Die Schule von Nisibis von 5-7 Jahrhunderten;* Zeischrift für neutestamentl. Wissenschaft, (1926), 89-122.

78 E. Tisserant, *Nestorienne* (l'Église); DTC 11, 269 s.

79 F. Nau, *A propos d'un feuillet d'un manuscrit arabe;* Mus 43 (1930), 85-116, 221-262; cfr. 89-116: II. La Mystique chez les Nestoriens.

80 S. Ephraem, *Opera Syriaca,* II, 419; sed bene nota hoc eodem termino

e regione opponitur Nestorianis. Unitatem enim personae Christo vindicat et communicationem idiomatum propugnat [81]. Ad Θεοτόκον quod attinet, licet verbum ipsum omittat, conceptum divinae maternitatis clare exhibet [82].

Doctores autem persae *nestorianismo* inhaerent antiochenorum, quem NARSAI *fideliter* refert, alii ut BABAI altius *declarare* conantur, alii denique ut HENANA ita *interpretantur* ut ad Chalcedonenses accedant. Hisce autem tribus auctoribus adiungemus PAULUM BASSORENSEM, ob pondus quod obtinuit in Occidente Catholico.

44. NARSAI DOCTOR: Primo autem loco inter scriptores persas nestorianos venit NARSAI (399-502), a monophysita SIMEONE BEIT-ARSCHAMANENSI « leprosus » dictus, ab EBEDIESU autem nestoriano « Sancti Spiritus cythara » nominatus [83], Scholae Edessenae usque ad annum 451, deinde vero Scholae Nisibenae praeses et interpres, plura edidit opera exegetica, catechetica, liturgica, homiletica et poetica, e quibus pauca nobis servata sunt. In iis vero quae novimus doctrinam christologicam tradit ad mentem Theodori, cuius ipse validissimus inter Persas patronus exstitit [84].

Si fidem adhibeas *Catalogo* EBEDIESU [85], NARSAI posteris scripto reliquit, praeter commentarios in libros fere omnes Veteris Testamenti, 360 homilias, pleraque opuscula de Liturgia, de Sacramentis, de corrigendis moribus, tandem cantica et conciones. Ex iis vero tantum typis data sunt pauca quaedam ex eius hymnis et homiliis a FELDMANN [86] et accuratius a MINGANA [87]. Ab hoc ultimo petiit CONNOLLY quattuor homilias de re liturgica, quas anglico sermone vertit [88]. His accessere explicationes Mysteriorum, quas syriace KELAITA

---

uti in Occidente adversarios Eutychetis S. LEONEM M.; PL, 54 200 et S. PETRUM CHRISOLOGUM; PL, 52, 579.

[81] *Serm.* 6 *in hebd. sanct.*; ed TH. LAMY, I, 475-477; *Adv. scrutatores*, Serm. 4, 32; *Opera Syriaca*, III, 5 s., 58; *Hymni dispersi* 15; ed. TH. LAMY, IV, 729-731.

[82] L. ORTIZ DE URBINA S. I., *La mariologia nei Padri siriaci;* OCP 1 (1935), De his lege G. RICCIOTTI, *Sant'Efrem Siro. Biografia, Scritti, Teologia,* R 1925, 160-176.

[83] BO, I, 350; III, pars 1, 63.

[84] De auctore cfr. J.-B. CHABOT, *Narsai le docteur et les origines de l'École de Nisibe;* JA ser. 10, 6 (1905), 157-177; GSL, 109-113; E. TISSERANT, *Narsai;* DTC 11 (1931), 26-30; E. HAYES, *L'Éole d'Édesse,* Pa 1930, 236-240.

[85] BO, III pars 1, 65 s.

[86] F. FELDMANN, *Syrische Wechsellieder von Narsai,* L 1896.

[87] A. MINGANA, *Narsai doctoris syri homiliae et carmina* (syriace), Mausilii 1905.

[88] R. H. CONNOLLY, *The liturgical homilies of Narsai,* Cambridge 1909 (TS, VIII, 1).

edidit [89]. Iam ante hos auctores in lucem dederat MARTIN homiliam de tribus doctoribus nestorianis [90].

Ad *doctrinam* quod attinet sententia MINGANA Narsai ab omni veri nominis errore excusantis [91] obtinet apud alios auctores [92]; sed, ut animadvertit TISSERANT [93], editor locos seligit ubi minus apparet Nestorianismus. Age iam; NARSAI studiose tenere vestigia THEODORI admonet MARI [94]; et ipse suum enthusiasmum quo fertur in placita nestoriana minime celat in homilia *de tribus doctoribus*, ubi et communicationem idiomatum aperte reicit [95]. Ceterum, vel ipsae propositiones octo, quibus MINGANA doctrinam christologicam NARSAI conclusam voluit, satis demonstrant illum falsa laborare opinione de Unione, quam unice « amoris » seu quod idem valet « complacentiae » admittit [96].

His adde nostrum NARSAI, occasione data, formulas nestorianas, nedum mitiget, magis magisque urgere. Sic, ubi *Symbolum Nestorianum* habet: « Conceptus et natus est ex Maria Virgine »; ipse rem magis explicat: « Eius corpus conceptum est in templo Mariae » [97].

45. THOMAS EDESSENUS ET PAULUS BASSORENSIS: Ad finem usque saeculi VI Nestorianismus immutatus perseverat apud Persas, ut licet inferre ex duobus scriptoribus huius aetatis: THOMA EDESSENO, syro nestoriano (ca. 552) et PAULO BASSORENSI († 571), qui initio regni IUSTINIANI I commorabantur Constantinopoli [98].

De vita THOMAE EDESSENI scimus tantum quae refert COSMAS INDICOPLAUSTES [99] et biographia Catholici MAR ABA [100], quocum diuturna amicitia devinctus erat. Ex operibus autem ab ipso lucubratis, unam novimus orationem *de festo Nativitatis Domini* [101]. PAULUS

---

89 J. KELAITA, *Narsai syri Homiliae. Explicationes mysteriorum* (syriace), Mossul 1928.

90 F. MARTIN, *Homélie de Narsès sur les trois docteurs nestoriens;* JA, ser. 9, 14 (1899), 446-492.

91 A. MINGANA, l. c., 10-13; cfr. DTC 11, 29-30.

92 E. R. HAYES, *L'École d'Édesse,* Pa 1930, 236 ss.

93 E. TISSERANT, *Narsai;* DTC 11, 29, secutus J.-B. CHABOT in JA ser. 10, 6 (1905), 158, not. 2.

94 H. GISMONDI, *Maris, Amri et Slibae de patriarchis nestorianis commentaria,* R 1899, 39.

95 F. MARTIN, l. c.; JA, ser. 9, 14 (1899), 476.

96 Sic manifeste sonat propositio tertia iuxta MINGANA.

97 R. H. CONNOLLY, o. c., lxxii-lxxiv.

98 J. LABOURT, *Le Christianisme dans l'Empire Perse,* Pa 1904, 165-169.

99 *Topographia Christiana;* PG, 88, 73.

100 P. BEDJAN, *Histoire de Mar Jabalaha...* (syriace), L 1895, 206-274; Vie de Maraba; cfr. 218.

101 S. J. CARR, *Thomae Edesseni tractatus de Nativitate Domini nostri Christi,* R 1898. De hac oratione et de aliis huius similibus cfr. A. BAUMSTARK, *Die nestorianischen Schriften « de causis festorum »;* OrC 1 (1901), 320-342.

autem BASSORENSIS per 30 fere annos sacras litteras docuit Arbelae, postea vero renuntiatus est Metropolita Nisibenus. Auctor est operis *Instituta regularia divinae legis,* quod IULIANUS AFRICANUS latinum fecit et per Occidentem divulgavit [102]. Ei etiam bonis argumentis attribuit MERCATI [103] *disputationem cum manichaeo* [104]Byzantii anno 527 habita,

Uterque cum scribat Constantinopoli, una cum chalcedonensibus agmen contra Monophysitas ducens, abstinet ab agitanda controversia ad tuendas opiniones nestorianas, quas potius praetervolat. Nihilo tamen minus aperte nestoriana est formula adhibita a THOMA EDESSENO [105]. PAULUS vero in suo *dialogo cum Photino manichaeo* versatissimum sese ostendit in philosophia, praesertim in dialectica [106]; sed frustra in eo quaeres indicia Nestorianismi, praeter allusionem ad interpretationem de Baptismate Iesu Christi ad mentem THEODORI MOPSUESTENI [107]. Huius autem discipulus apparet PAULUS in suis *Institutis,* retinens Canonem mutilum tam Veteris quam Novi Testamenti [108], loquens de homine a Verbo suscepto [109], et probans in ultimo capite opusculi rationalismum Interpretis proprium [110]. Ceterum opus Pauli et perspicuitate sententiarum et ordine tractationis commendat methodum in scholis persis adhibitam ecclesiasticae disciplinae.

46. HENANA ADIABENUS: Hucusque THEODORI MOPSUESTENI doctrina pacifice regnat inter Persas. Ultimis vero decenniis saeculi VI ab illa HENANA ADIABENUS († 610), Nisibenae Scholae praeses, aperte recedit, cum in re exegetica, tum etiam in quaestione christologica, quam evolvit ad mentem dyophysitarum chalcedonensium; qua de causa in illum animadvertunt Synodi nestorianae. Synodorum autem decretis minime fractus, HENANA suam sententiam tradere non desiit [111].

---

102 H. KIHN, *Theodor von Mopsuestia und Junilius Africanus als Exegeten,* Freiburg i. Br. 1880; L. PIROT, *Junilius Africanus;* DTC, 8, 1872.

103 G. MERCATI, *Note di letteratura biblica e cristiana antica;* XIV: Per la vita e gli scritti di « Paolo il Persiano »; ST 5 (1901), 180-206. PAULO nostro conceditur quoque versio Logices edita a J. P. N. LAND, *Anecdota syriaca,* IV, Lugdunii 1875, 1-30.

104 PG, 88, 529-578.

105 « ... Deum inesse illi homini qui ex nobis sumptus est »; S. J. CARR, o. c., 40.

106 Cfr. G. MERCATI, o. c., 185.

107 Cfr. G. MERCATI, o. c., 194 s.

108 L. I, 3-6; PL, 68, 16-19.

109 L. I, c. 16; Ib., 22.

110 L. II, c. 30; Ib., 42.

111 De illo agunt historiagraphi nestoriani, praesertim *Chronica Seert;* PO 13. Cfr. J. LABOURT, *Le Christianisme dans l'Empire Perse,* Pa 1904, 278-280; A. SCHER, *École de Nisibe, son origine* etc., Beyrouth 1905 et brevius in PO 7, 7-10.

Quanta HENANA apud suos cives auctoritate polleret nobis indicant laudes quas BARDHADBŠASSA ei tribuit loquens de Schola Nisibena[112], quam sub HENANA ad 800 frequentabant alumni [113]. Ex eius operibus binas tantum novimus breves tractationes liturgicas [114], quae dogma vix attingunt. Constat vero illum plures libros edidisse, quorum haud pauci « propter Commentatorem » repudiati sunt [115]. His verbis indicat EBEDIESU potissimam rationem cur HENANA male audiat inter doctores nestorianos, videlicet, propterea quod parvi pendat exegesin THEODORI MOPSUESTENI, cui sufficere conatus est opera S. IOANNIS CHRYSOSTOMI, et Interpretis sententiam de Canone Sacrarum Scripturarum corrigat admittendo ut inspiratos librum Iob aliosque a THEODORO reiectos. Hac de causa contra Henanam, magistri opera tuetur MAR JESUYAHB I, in Synodo anni 585 [116].

Anno autem 596 Catholicus SABRISO' loquitur non solum de abalienatione a THEODORO, sed etiam « de opinionibus antea inauditis et alienis, refertis omni fictione et blasphemia, quae contradicunt verae et genuinae doctrinae huius sancti doctoris » [117]. Quae fuerint hae peregrinae sententiae colligere licet ex eius adversariis; videlicet HENANA non formidat Beatissimam Virginem Θεοτόκον appellare, et unam dicere « hypostasin » in Christo Domino iuxta modum loquendi chalcedonensium; id quod BABAI reputat influxui Severianorum tribuendum esse [118].

Contra communem Nestorianorum doctrinam asseruit HENANA existentiam peccati originali [118]. Denique, ei tribuuntur errores Origenismi; sic saltem volunt eius adversarii; neque in paucis quae exstant eius scriptis quidquam habetur quod hanc diluat suspicionem [120].

47. BABAI MAGNUS: Contra placita HENANAE et contra Monophysismum, qui hac tempestate in Perside grassari coepit [121], insurgunt praesertim monachi, veteris « orthodoxiae » custodes. Hos inter eminet BABAI, MAGNUS dictus (551 - c. 628), inter theo-

---

[112] *Cause de la fondation des écoles;* PO 4, 390; iuxta *Chronicam Seert* BARHADRŠABBA magistri sententiam repudiavit.

[113] Saltem sic vult MARI, ed. GISMONDI, 45; alii loquuntur de 500 vel de 300.

[114] A. SCHER, *Traités d'Isaie le docteur et de Henana d'Adiabène sur les Martyrs, le Vendredi d'or et les Rogations;* PO 7 (1911), 1-91.

[115] BO, III, pars 1, 81-84.

[116] SO, 399-400. Decretum huius Synodi iterat GREGORIUS I in Synodo a. 605; SO, 475-476.

[117] SO, 459.

[118] *Liber de Unione*, ed. A. VASCHALDE; CSCO, Scriptores Syri, 61, 247.

[119] Hanc excludit opinionem SABARIESU I in Synodo a. 596; SO, 459.

[120] BABAI M., in *Vita S. Georgii Martyris,* illum vocat « Chaldaeum et Origenistam »; SO. 626. M. JUGIE, TDCO, V, 30 falso credit et calumniose dictum Henanam Origenismo laborare, secutus A. SCHER, P, 7, 8; verumtamen unus locus ab hoc auctore adhibitus non videtur Henanam purgare valere.

[121] J. LABOURT, *Le Christianisme dans l'Empire Perse,* 239-241.

logos nestorianos facile princeps, archimandrita monasterii ad montem Izalam. BABAI nomen sibi amplissimum conciliavit, operibus evulgatis, quibus labefactatam doctrinam Nestorii communire studuit [122]

BABAI 83 varia opera conscripsisse fertur [123]; edita vero sunt duo tantum: *Commentaria in Evagrium* [124] et *Liber de Unione* [125], quibus accensenda est *Vita S. Georgii Martyris* [126], conditoris Monasterii Izalensis, qui plura egit contra Henanianos, illos a communione arcens [127]. Ab illo hausit BABAI suam in HENANAM aversionem, quem « sentinam omnium haereseon » nominavit [128].

Ne putes tamen illum unum adversarium haberi. BABAI enim suum opus dirigit ad confutanda systemata de Unione duarum naturarum in Christo ab Arianis, Apollinaristis, Cyrillianis monophysitis et Chalcedonensibus excogitata, et imprimis contra opusculum IUSTINIANI I, cuius plura dat excerpta [129]; ignorat autem libros LEONTII BYZANTINI.

Age iam; illum non latet difficultatem potissimam residere in eo quod Nestorianismus non satis definierit conceptum *hypostaseos* neque illum apte distinxerit a ratione *personae* et *naturae*. Pariter difficultates creat illa unica *persona filiationis* a Nestorianis asserta, aliaque horum similia. Quare, BABAI iis dilucidandis incumbit ut retineat « Interpretis » doctrinam, illam vero simul compleat atque tueatur [130].

In suo *libro de Unione* primo quidem recolit quae ab omnibus recipiuntur doctrinae capita de unione humanitatis et divinitatis in Christo. Tum, praemissis haereticorum sententiis, rationem declarat

---

122 Cfr. GSL, 137-139; V. GRUMEL A. A., *Un théologien nestorien: Babai le Grand*; EO 22 (1923), 153-181, 257-280; 23 (1924), 9-33, 162-177, 257-274, 395-399.

123 BO, III, pars 1, 88-97.

124 *Expositio libri Centuriarum Evagrii Pontici*, ed. W. FRANKENBERG, Be 1912.

125 *Babai Magni Liber de Unione*, ed. A. VASCHALDE, R-Pa 1915; cui accedit Appendicis instar *Tractatus adversus eos qui dicunt: Quemadmodum anima et corpus sunt una hypostasis, ita Deus Verbum et homo sunt una hypostasis;* Ib., 235-247.

126 Syriace edita a P. BEDJAN, *Histoire de Mar Jabalaha* [2], Pa 1895, 416-571; ex illa quae ad controversiam cum Henanianis pertinent gallice reddidit J. B. CHABOT, SO, 625-629.

127 SO, 626 s.

128 *Liber de Unione;* l. c., 111.

129 Ibid.,

130 Cfr. V. GRUMEL A. A., l. c.; TDCO, V, 179-205; et brevius nostrum *Compendium Theologiae Orientalis* [3], R 1950, 216-218.

ipsius Unionis [131], adhibitis exemplis, et praesertim argumentis rationis. Videlicet, reiecta « hypostatica » unione, ipse eam dicit cum THEODORO « adhaesionem » [132] inter hypostasin divinam et humanam Christi Domini. Unde qui non profitentur « duas hypostases in una persona, doctrinam orthodoxae oeconomiae huius adorandae parvi pendunt » [133].

Quae cum ita sint non est dicendus BABAI systema nestorianum mitigasse. Nam, etiamsi multiplicet nomina quibus persona unionis insignitur [134] et non cunctetur vocem « Deigenitricem » usurpare [135], nihilominus suis additis explicationibus de duabus hypostasibus in Christo, usu tritas formulas christologicas nestorianas roborat, omnem ab illis ambiguitatem tollens.

48. DOCTRINA CHRISTOLOGICA SYNODORUM NESTORIANARUM: Quae de theologis dicta manent illustrant sententiam Ecclesiae Persidis synodice congregatae. Prima documenta rigidum Nestorianismum propugnant. Mediante saeculo VI decreta synodalia, saltem verbo tenus, doctrinam praebent adeo rectam ut plures nostri auctores illas ab errore liberas dicant [136]. Sed mox, contra Henanianos et Monophysitas denuo apparet antiqua doctrina nestoriana, praesertim in consessu episcoporum a. 612 [137].

Synodi constanter extollunt auctoritatem THEODORI MOPSUESTENI, cuius libros et doctrinam tueri non cessant [138]. Quare, quaecumque reperias dicta in Synodico, illa ad mentem « Interpretis » explices oportet,

Formula autem communiter adhibita illa est: « Una persona et duae perfectae naturae ». Illam ACACIUS (a. 486) iis effert [139] ut ASSEMANI, qui huius Catholici orthodoxiam vindicat, locum adulte-

---

131 *Liber de Unione;* l. c. 82-140; lege, sis, cap. 17: Quaenam est differentia inter hypostasin et personam?; ibid., 129 ss.

132 *Liber de Unione;* l. c., 135-199.

133 *Liber de Unione;* l. c., 132.

134 *Liber de Unione;* l. c., 161-183.

135 *Liber de Unione;* l. c., 219; sensum vero rectum huius vocis excluserat antea, 214-218. Circa Mariologiam, BABAI explicans rationem *Primogeniti* videtur negare Virginitatem Mariae in partu: « illud quidem [nomen Primogenitum] naturaliter ad eum pertinet, quia est adaperiens vulvam virginalem matris suae »; Ibid., 113.

136 E. R. HAYES, *L'École d'Édesse,* Pa 1930, 244; M. JUGIE A. A., TDCO, V, 172 ss.

137 SO, 581 ss.

138 Cfr. Synodos IESUIAHB I (a. 585), SABARIESU (a. 596), GREGORII I (a. 605), MAR ABA I (a. 544); SO, 398-400, 458. 463. 475. 552. Gregorius I refert decretum latum in Synodo ad Beit Laphat, sub BARSAUMA, a. 484.

139 SO, 302.

ratum fuisse putet [140]. MAR ABA autem, qui vitam egerat Constantinopoli, pacem retinens cum chalcedonensibus dyophysitis (a. 544), IOSEPH (a. 554), EZECHIEL (a. 576), IESUYAHB I (a. 585), SABARIESU (a. 596) et GREGORIUS I (a. 605) [141] ita loquuntur ut praesertim insistant in asserendis duabus naturis perfectis et impermixstis contra Monophysitas.

Sed a. 612, CHOSROAS, episcopis poscentibus novum Catholicum iniunxit ut prius fidem nestorianam rectam demonstrarent contra Monophysitas qui arte et industria GABRIELIS SINGAR favore regio gaudebant. Hac occasione, sub ductu doctorum Izalensium [142], nestoriani praesules scripto proponunt denuo eorum doctrinam, propugnantes unionem « adhaesionis » dumtaxat [143], agnoscentes Christum « in duabus naturis et in duabus personis » [144], vindicantes titulum « Christotokon » contra voces « Theotokon » et « Anthropotokon », quas aeque falsas pronuntiant [145], contendentes denique sententiam NESTORII iam antea a Patribus fuisse edoctam [146].

49. ALIA DOCTRINAE CAPITA: Una vero cum doctrina christologica nestoriana, aliae falsae opiniones, a THEODORO MOPSUESTENO magnam partem petitae, radices agunt penes Nestorianos in Perside, praesertim circa originale peccatum, SS. Eucharistiam et Novissima.

Peccatum originale satis aperte reicit Synodus SABARIESU (a. 596) damnans eos qui profitentur « peccatum naturae inhaerere et homines absque actu propriae voluntatis peccare » [147].

Relate ad *SS. Eucharistiam* NARSAI docuit Sacramentum perfici *Epiclesi* [148], qua sententia abundat BABAI MAGNUS [149]. *Praesentiam realem* Christi Domini ita explicat BABAI ut naturam panis et vini

---

140 BO, III, pars 1, 395. De mente nestoriana huius Synodi agit W. F. MACOMBER S. I., *The Christology of the Synod of Seleucia - Ctesiphon A. D. 486;* OCP 24 (1958), 142-154.

141 SO, 551-553, 372, 397-398, 458, 474.

142 Lege quae de hoc episcoporum conventu refert BABAI in *Vita Georgii martyris*, qui opem tulit episcopis, imo hac in contentione martyrium subiit, in SO, 629-634.

143 SO, 582.

144 SO, 597: « Il est clairement manifeste que le Christ est en deux natures et en deux personnes » (hypostases).

145 SO, 588-589.

146 SO, 591-598; adhibent vero testimonia S. Ioannis Chrysostomi, S. Gregorii Nazianzeni, S. Athanasii, Concilii Constantinopolitani I, S. Damasi Romani, S. Basilii, S. Gregorii Nysseni, Attici, S. Iustini, S. Amphilochii Iconiensis, S. Ambrosii. Ne mireris si etiam Atticus adducitur; vel ab ipsa auctoritate S. Cyrilli non abstinuit postea Synodus GEORGII I (a. 680); SO, 512 s.

147 SO, 459.

148 E. BISHOP, *The moment of consecration;* in opere R. H. CONNOLLY, *The Liturgical homilies of Narsai*, Edinburg 1909, App. VI, 126-163.

149 *Liber de Unione*, 87 s.

immutatam servet [150], et unionem tantum moralem statuat inter dona et Christum.

Circa *sortem animarum* post mortem iam apud Narsai invenimus sententiam de retributione obtinenda solum post ultimum iudicium [151]; id quod clarius legimus in homilia *de sanctis martyribus*, auctore Isaia Ambarensi († post 570) [152], primo rectore et interprete scholae Seleuciae.

Denique, ad *Processionem Spiritus Sancti* quod attinet Babai iterat doctrinam Theodori de Processione ex Patre solo [153].

Art. III

Theologia Monophysitarum

50. Conspectus historicus de ortu Monophysismi: Altero decennio post condemnationem Nestorii in Synodo Ephesina, tamquam extrema quaedam oppositio contra errorem de duplici persona seu hypostasi in Christo, oritur in factione Alexandrinorum *haeresis monophysitica*. Huius varia fortuna arcte connectitur cum historia Imperii Byzantini, cui praesunt Marcianus (450-337), Leo I (457-474), Zeno (474-475), Basiliscus (475-477), Zeno altera vice (477-491), Anastasius (491-518), Iustinus I (518-527), Iustinianus I (527-565), Iustinus II (565-578), Tiberius II (578-582) et Mauricius (582-602) [1].

Primi favorem praestant Concilio Chalcedonensi obsistunt vero Monophysitis; sed Basiliscus, edita sua *Encyclica* [2], eorum partes aperte fovet. Zeno vero, suadente Acacio Patriarcha Constantinopolitano, a. 482 tulit *Henoticum* [3], media gradiens via inter placita Monophysitarum et doctrinam Chalcedonensem, et dans initium *schismati Acaciano* (484-518), quod perduravit sub eius successore Ana-

---

150 *Liber de Unione*, 229; cfr. 180 s.

151 A. Mingana, *Narsaï doctoris syri homiliae et carmina*, Mossoul 1905, I, 15.

152 A. Scher, *Traités d'Isaï le docteur et de Henana d'Adiabène sur les Martyrs, le Vendredi d'or et les Rogations;* PO, 7, 30-32; Isaias animas sanctorum ante ultimum Iudicium collocat in Paradiso.

153 *Liber de Unione*, l. c., 25. 26.

1 Cfr. A. I. Brilliantov, Происхожденіе Монофиситизма ; ChC 1906, I, 793-822; J. Lebon, *Le Monophysisme Severien*, Louvain 1909. Première Partie: Étude historique, 1-82; S. Salaville A. A., *Hénotique*; DTC 6, 2153-2178; A. Fliche-V. Martin, *Histoire de l'Église*, IV, Pa 1937, 211-240, 425-482.

2 Illam recole apud Evagrium, *Historia Ecclesiastica*, III, 4; PG, 86, 2600-2604.

3 Apud Evagrium, l. c., III, 14; ibid., 2620-2625.

STASIO monophysita. Orthodoxam sententiam simul et pacem cum Ecclesia Romana instauravit IUSTINUS I, firmavit autem IUSTINIANUS I, quorum vestigia reliqui premunt.

Dum autem Imperatorum religiosa politica, non tam triumphum intemeratae fidei quam provinciarum civilem pacem quaerens [4], fluctuat, Catholica Ecclesia rectam sententiam de duabus in Christo naturis iterare non cessat, ut videre est in Epistula seu *Tomo ad Flavianum* S. LEONIS MAGNI, in *Tractatu de duabus naturis* S. GELASII I, in *Epistula ad Senatores Constantinopolitanos* IOANNIS II et in *Epistula ad Childebertum* PELAGII I [5].

Res vero ab orthodoxis Imperatoribus gestae compescere nequeunt progressus Monophysismi, cum in Armenia [6], tum in Aegypto et Syria, ubi fatiscentem hierarchiam monophysiticam, mediis in difficultatibus, excitavit denuo JACOBUS BARADAI [7]. Cito vero Monophysismus *varias in sectas* divisus est.

Origo sectarum monophysiticarum quaerenda est magis quam in altercationibus de sedibus patriarchalibus, tempore Henotici, in diversa ratione explicandae doctrinae de Unione. Omnes sane conveniunt in reverentia erga S. CYRILLUM ALEXANDRINUM, cuius iterant dictum μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη [8]; differunt vero in altiore declaratione illius unicae naturae ex Uunione resultantis. Sic habentur:

Eutychiani, rigido Monophyysismo ab EUTYCHETE, haereseos auctore, edocto, adhaerentes;

---

[4] G. KRÜGER, *Monophysitischen Streitigkeiten im Zusammenhang mit der Reichspolitik,* Jena 1884.

[5] Haec omnia colligit F. CAVALLERA S. I., *Thesaurus doctrinae catholicae,* Pa 1936, 365-393.

[6] Armeni Monophysismo adhaeserunt in Synodo a. 491. De illis vide E. F. K. FORTESCUE, *The Armenian Church,* Lo 1872; F. TOURNEBIZE S. I., *Histoire politique et religieuse de l'Arménie,* Pa 1900; A. ANNISKII, Исторія Армянской Церкви, Kișinau 1900; L. PETIT A. A., *Arménie;* DTC, 1 (1902), 1888-1968; M. ORMANIAN, *L'Église Arménienne. Son histoire, sa doctrine, son régime, sa discipline, sa liturgie, sa litterature, son présent,* Pa 1910.

[7] De illo cfr. H. G. KLEYN, *Jacobus Baradaeus, de Stichter der Syrische Monophysietische Kerk,* Leyden 1882.

[8] Hisce usus est S. CYRILLUS pluribus in locis, videlicet, *Adv. Nestorii blasphemias,* 2; PG, 76, 60; *De recta fide ad reginas,* 9; PG, 76, 1212; *Ep. 40 ad Acacium Melitin.;* PG, 77, 192 s.; *Ep. 42 ad Succensum,* 2; PG. 77, 241, deceptus S. ATHANASII, cui haec verba falso attribuit — sunt enim APOLLINARII LAODICENSIS — auctoritate. CHR. PAPADOPOULOS, Ὁ ἅγιος Κύριλλος Ἀλεξανδρείας καὶ τὰ συγγράμματα τοῦ Ἀπολλιναρίου; Th 10 (1932), 97-105. Ceterum, nostri auctores rectam Doctoris Alexandrini sententiam, quam vel ipsi Chalcedonenses Patres expressis verbis probant, absque negotio tuentur. Cfr., sis, M. JUGIE A. A., *La terminologie christologique de Saint Cyrille d'Alexandrie;* EO 15 (1912), 12-27; P. GALTIER S. I., *Saint Cyrille d'Alexandrie et Saint Léon le Grand à Chalcédoine;* in opere A. GRILLMEIER S. I., *Das Konzil des Chalkedon,* t. I, Würzburg 1951, 345-387.

Phantasiastae, post Unionem, apparentem dumtaxat humanitatem in Christo ferentes;

Acephali, qui Zenonis Henotico obtemperare renuentes, a propriis Patriarchis Petro Fullone et Petro Mongo recesserunt;

Iulianistae, dicti quoque *Aphthartodocetae*, vel *Gaianitae* [9], fautores doctrinae Iuliani Halicarnassensis;

Actistitae, Iulianistis accensendi, qui asserunt increatam esse Christi Domini humanitatem;

Severiani, quorum dux est Severus Antiochenus. Hi rursus diversos crearunt coetus, ut sunt *Agnoetae* [10], *Theodosiani* etc [11].

Nos autem tres praecipuas Monophosytarum familias respicimus: *Mnophysismum realem*, seu Eutychianismum, *Monophysismum nominalem* Severianorum et *Iulianismum*.

51. Monophysismus realis Eutychetis: Satis constat apud omnes veri nominis Monophysismo laborare Eutychetem (c. 378-454), negantem Christum Dominum nobis hominibus consubstantialem esse. Qua de causa anathemate perculsus est a Synodo Constantinopolitana (a. 448), a Synodo Romana (a. 449) et tandem a Concilio Chalcedonensi (a. 451) [12].

Quaenam fuerit mens Eutychetis dicere operosum est, praesertim cum agatur de homine litteris parum exculto [13]. Ipse, coram Synodo permanenti Constantinopolitana [14] et in sua epistula ad S. Leonem [15] studiose vitat suam sententiam apertis verbis declarare [16]. Quo fit ut variarum haereseon reus habeatur a Synodo Constantinopolitana quae ei tribuit errores Valentini et Apollinaris, et ab

---

[9] Hanc ducunt appellationem a Gaiano, ab eis in Patriarcham Alexandrinum electo post obitum Timothei IV (536).

[10] De illis vide J. Marić, *De Agnoetarum doctrina*, Zagabriae 1914.

[11] Plura tibi dabit TDCO, V, 400-456. Ex antiquis auctoribus cfr. Timotheum presb. Constant., qui 11 secenset sectas monophysiticas ineunte sae. VII in suo libro *De receptione haereticorum;* PG, 86, 13-68.

[12] M. Jugie A. A., *Eutychès et Euthychianisme*: DTC V (1913), 1582-1609; E. Schwartz, *Der Prozess des Eutyches;* SBBA, 1929, Helft 5.

[13] S. Leo Magnus de illo scribit: « imperitus senex », « imprudentissimus senex »; Ep. 29; PL, 54, 781. 783; « indoctus impugnitor »; Ep. 34; ibid., 802; « stultissimus homo »; Ep. 88; Ibid., 828; eius error « de imperitia magis quam de versutia natus est »; Ep. 31; Ibid., 790.

[14] CC, 5, 728, 740-743.

[15] CC, 5, 1016. In his rationem Unionis hypostaticae declarans haec tantum habet: « sicut ipse novit et voluit ». De momento huius recursus Eutychetis lege P. Batiffol, *Les recours à Rome en Orient avant le Concile de Chalcédoine;* RHE 21 (1925), 29 s.

[16] Quinimo, et postquam adductus est ad confitendum Christum esse nobis consubstantialem, Flavianus arguit: « Ergo per necessitatem, non per voluntatem, veram fidem confiteris? »; CC, 6, 743, 748.

ipsis posterioribus Monophysitis, ex. g. a TIMOTHEO AELURO, eum de Docetismo accusante [17].

Videtur autem EUTYCHETEM in ea esse sententia quam THEODORETUS CYRENSIS apud quosdam sibi contrarios, denuntiat [18], videlicet humanitatem Verbo unitam ab eo absorberi et in illud commutari [19].

Verumtamen rigidus hic Monophysismus seu Eutychianismus nonnisi primis exordiis Monophysismi extitisse creditur. Monophysitae enim uno omnes ore EUTYCHETEM reprobant [20], etsi unus alterve re et sententia ad illum accedat, ut videre est in scriptis TIMOTHEI AELURI, qui eutychianos dicit ISAIAM HERMOPOLITANUM episcopum et THEOPHYLUM ALEXANDRINUM presbiterum [21], et apud SEVERUM ANTIOCHENUM, qui eandem carpit opinionem in SERGIO GRAMMATICO, quocum pluribus disputavit [22]. Pari ratione ZACHARIAS RHETOR loquitur de palaestinensi archimandrita TIMOTHEO, deque aliis monachis palaestinensibus, quos redarguerunt PETRUS IBERUS et ISAIAS ABBAS, propterea quod Christum nobis consubstantialem dicere formidarent [23].

52. SENTENTIA DIOSCORI ALEXANDRINI ET TIMOTHEI AELURI: Incertum est utrum Entychianismo adhaeserint DIOSCORUS ALEXANDRINUS († 454), praeses Latrocinii Ephesini (a. 449) et TIMOTHEUS AELURUS († c. 477), qui antesignanus fuit Monophysitarum in Ecclesia Alexandrina, cui mediis in procellis moderatus est ab a. 455 contra legitimos Patriarchas chalcedonenses [24].

DIOSCORUS, quem Monophysitae omnes ut sanctum colunt, damnatus fuit una cum EUTYCHETE in Concilio Chalcedonensi [25], etsi ultima et verior damnationis causa ea fuerit, quod S. LEONEM dam-

---

[17] J. LEBON, *Le Monophysime Sévérien*, 489 s.

[18] *Eranistes;* PG, 83, 153. 157.

[19] Cfr. F. DE GROOT S. I., *Conspectus Historiae Dogmatum*, I, R 1931, 119.

[20] Cfr. epistulas THEODOSII ALEXANDRINI et SEVERI ANTIOCHENI apud J.-B. CHABOT, *Documenta ad origines monophysitarum illustrandas;* CSCO, 37, Lovanii 1933, 4. 16.

[21] J. LEBON, *Le Monophysisme Severien*, 96 s., 489.

[22] J. LEBON, *Severi Antiocheni liber contra impium Grammaticum;* CSCO Ser. IV, 5, Lovanii 1929.

[23] J. LEBON, *Le Monophysisme Severien*, 19.

[24] Cfr. J. LEBON, *Autour du cas de Dioscore d'Alexandrie;* Mus 59 (1946), 515-528. TER MERKERTTSCHIAN-TER MINASSIANTZ, *Timotheus Aelurus, des Patriarchen von Alexandrien Wiederlegung der auf der Synode zu Chalcedon festgesetzten Lehre.* Armenischer Text, L 1908; N. AKINEAN, *Timotheus Aelurus in litteratura armenica* (armenice), Vindobonae 1909; J. LEBON, *La Christologie de Timothée Aelure, archevëque monophysite d'Alexandrie;* RHE 9 (1908), 677-702.

[25] CC, 6, 1048 A. Cfr. libellus adversus Dioscorum, ibid., 985-1033.

nare ausus fuerat [26]. Ephesi autem, eo auctore, sancita fuit sententia EUTYCHETIS. Attamen, deficientibus testimoniis longioribus ipsius Patriarchae Alexandrini, ipse errorem a se arcere conatus est anathematizans dicentem « confusionem, mutationem, mixtionem » duarum naturarum in Christo Domino [27]. Quodsi EUTYCHETEM ad suam communionem recepit, id fecit inductus orthodoxa fidei professione ab EUTYCHETE subscripta, omnem haeresim dolose celante, ut contendunt posteriores Monophysitae [28].

Ceterum, sententiam DIOSCORI iure poteris inferre ex doctrina TIMOTHEI AELURI, ei addictissimi, qui plurium operum auctor est contra synodum Chalcedonensem et Tomum Leonis [29]. TIMOTHEUS, si antiquos consulas scriptores, haereticus veri nominis habendus est. Juxta recentiores autem verbo tenus erravit. Ipse enim conceptis verbis reicit placita EUTYCHETIS asserentis « Emmanuelem non esse secundum carnem consubstantialem Virgini Deiparae ». Simul vero abhorret a definitione chalcedonensi: « Deus a nobis avertat ut credamus Iesum esse duas naturas vel in duabus naturis ». Ratio vero huius aversionis in eo est quod statuens praeposteros conceptus naturae et hypostaseos, sibi persuadet identicam esse doctrinam Chalcedonensium et doctrinam Nestorii; cuique enim cordato patet, ait, « Idcirco Nestorium fuisse reiectum quod *duas naturas* in Domino profiteretur ». Ceterum, TIMOTHEUS, humanitatem et divinitatem distinctas, etiam post Unionem, retinens, humanitatem realem ac perfectam Christi Domini naturam appellare recusat quia propria caret persona; secus vero se habet divinitas, quae proinde natura dicenda est [30]. Sed longius procedit cum asserit in Christo Domino « unam tantum essentiam » seu οὐσίαν, id quod vel ipse SEVERUS ANTIOCHENUS postea reprehendit [31].

53. MONOPHYSISMUS NOMINALIS SYRORUM: Haec autem mitior ratio Monophysismi propugnandi, quae agnoscit plene in-

---

[26] M. JUGIE A. A., *Monophysisme;* DTC. 10 (1928), 2220.

[27] CC, 6, 676.

[28] Cfr. testimonia TIMOTHEI AELURI, PHILOXENI MABBUGENSIS et SEVERI ANTIOCHENI apud J. LEBON, *Le Monophysisme Sévérien*, 490-492. Praescindo ab *Anaphoris Dioscori*, in quarum prima omnis « phantasia » expresse excluditur, cum Dioscori non sint. G. DE VRIES S. I., *Anaphora Dioscori Alexandrini prima;* in opere *Anaphorae Syriacae*, I, 3, R 1944, 268. Cfr. F. HAASE, *Patriarch Dioskur I von Alexandria nach monophysistichen Quellen*, Breslau 1908.

[29] Ex operibus TIMOTHEI solum habentur edita pauca fragmenta ab auctoribus antimonophysitis relata; J. LEBON, *La Christologie de Timothée Aelure:* l. c., 680-683, in codicibus syriacis reperit *Librum contra impiam Synodum Chalcedonensem, Refutationem Synodi Chalcedonensis et Tomi Leonis*, et plures *epistulas*.

[30] J. LEBON, *La Christologie de Timothée Aelure:* l. c., 685-687 s. 691-694.

[31] Haec dicta sunt ad mentem LEBON, corrigentis opinionem antiquorum, praesertim GIESELER, *Dissertatio qua monophysitarum veterum errores ex eorum scriptis recens editis praesertim illustrantur*, Göttinge 1838, qui innituntur fragmentis modo collectis in PG, 86, 273 s. et PG, 86a, 1850, quod ultimum excerptum apocryphum ducit LEBON, l. c., 680 not. 1.

tegras perfectasque in Christo humanitatem et divintatem, etiam post Unionem, Christum vero in duabus naturis dici non patitur, triumphat apud theologos syros monophysitas, quorum fama et doctrina latissime spargitur. Hos inter praecipui habentur:

Iacobus Sarugensis (451-521), qui litteris vacavit Edessae in Schola Persarum, deinde episcopus Batnae prope Edessam creatus est [32]. Ad 760 carmina sacra, quibus homiliae et litterae accedunt, nobis mandavit, quorum pauca hactenus edita sunt [33].

Philoxenus Mabbugensis († 523), et ipse Edessenus alumnus, natione persa, primas partes habuit in Monophysismo syro, quem pro aris et focis tuetur, primo quidem Edessae contra Nestorianos, deinde in ditione Antiochena. Renuntiatus episcopus Hierapolitanus-Mabbugensis a Petro Fullone (a. 485) plura egit contra Patriarcham Antiochenum Flavianum, quem de Nestorianismo accusabat. Sed et ipse, iubente Iustino I, sede privatus et in exilium actus, morte occubuit in Paphlagonia [34]. Quamplurima scripsit opera exegetica, theologica, ascetica, plures quoque epistolas et quaedam documenta liturgica [35].

---

[32] c. Tisserant, *Jacques de Saroug;* DTC VIII, 300-305; GSL, 148-158; I. Ortiz de Urbina S. I., *Patrologia Syriaca,* R 1958, 97-101. Hactenus Iacobus a plerisque ducebatur veri nominis Monophysita, non obstantibus Assemani et Abbeloos, illum Catholicis adscribentibus. Res vero aliter se habet post editos labores P. Peeters S. I., *Jacques de Saroug appartient-il à la secte monophysite?;* AB 56 (1948), 134-198; P. Krüger, *War Jakob von Serugh Katholik oder Monophysit?;* Ostkirchliche Studien, Nov. 1953, 199-208; C. Vona, *Omelie Mariologiche di S. Giacomo di Sarug;* Lat 19, nn. 1-4 (R 1953), 28-35.

[33] Illa recole apud J. B. Abbeloos, *De vita et scriptis S. Iacobi Batnarum Sarugi in Mesopotamia episcopi,* Lovanii 1867; P. Zingerle, *Sechs Homilien des heil. Jakob von Sarug,* Bonnae 1867; P. Martin, *Lettres de Jacques de Saroug aux moines du couvent de Mar Bassus et à Paul d'Édesse;* Zeitschr. der deutscher morgenländ. Gesellschaft, 30 (1876), 217-275; P. Bedjan, *Homiliae selectae Mar Iacobi Sarugensis* (syriace), 4 vol., Pa-L 1905-1910. Cfr. P. J. Rabakhan, *Essai de vulgarisation des homélies métriques de Jacques de Saroug, évêque de Batnan en Mésopotamie;* ROC 17-19 (1912-1914).

[34] E. Tisserant, *Philoxène de Mabboug;* DTC 12 (1935), 1509-1532; GSL, 141-144; A. A. Spasskii, Филоксенъ Іерапольскій; BV, 1896, IV, 144-159.

[35] Catalogum suorum operum dant BO, II, 10-46 et E. Tisserant, l. c., 1516-1527. Edita sunt: E. W. Budge, *The discours of Philoxenus, bishop of Mabbôg,* Lo 1894; A. Vaschalde, *Three letters of Philoxenus, bishop of Mabbôg,* R 1902; Id., *Philoxeni Mabbugensis tractatus de Trinitate et Incarnatione;* CSCO, Ser. II,25, R 1907; M. Brière, *Philoxeni episcopi Mabbugensis dissertationes decem et octo de uno e Sancta Trinitate incorporato et passo;* PO 15 (Pa 1902); J. Lebon, *Textes inédits de Philoxène de Mabboug,* Mu 43 (1930), 24-84, 149-220. Cfr. PO 13, 247-251; P. Krüger, *Der Sermo des Philoxenus von Mabbug de annuntiatione Dei Genitricis Mariae;* OCP 20 (1954), 153-155; E. Lemoine, *Les homélies de Philoxène de Mabboug,* Pa 1956 (Ed. Sources Chrétiennes); Id., *La spiritualité de Philoxène de Mabboug;* OS 2 (1957), 351-366; Id., *Physionomie d'un moine syrien: Philoxène de Mabboug;* OS 3 (1958), 91.

Severus Antiochenus († 538) Sozopoli in Pisidia natalia sortitus est, Beryti autem disciplinae iuridicae et canonicae operam dedit. In Palaestinam se recepit, ubi monasticam vitam amplexus est. Constantinopolim a. 508 profectus, ab Anastasio Imperatore a. 512 suffectus est Flaviano in sede Antiochena, quam a. 518 cum exilio commutavit. In Aegypto ad Alexandriam suas celebres disputationes cum Iuliano Halicarnassensi habuit. Obiit in Aegypto a. 538 [36]. Severus auctor est plurium operum, quae lingua originali graeca periere [37]; sed eorum praecipua servantur in versione syriaca [38].

Illis omnibus solemne est *Chalcedonense* Concilium respuere; simul vero omnem *Eutychianismi* speciem abhorrent, ita ut « phantasiastam » reputent quemlibet statuentem discrimen inter nostram naturam et humanitatem Christi Domini.

Id autem tribue immediate Zenonis *Henotico*, cui plures, quos inter Iacobus, adhaeserunt; mediate vero disciplinae Antiochenae, qua imbuti fuerant [39].

Data vero opera suam nobis doctrinam aperit Iacobus Sarugensis in homilia *contra Concilium Chalcedonense* [40], carminibus in Gen. 1, 26, Is. 7, 14; 9, 6, et Io. 1, 1 [14] et in *epistula ad monachos Mar Bassi* [42], in qua sincere recipit *Henoticon* [43].

---

36 Antiquas vitas Severi, auctoribus Zacharia Rhetore et Ioanne Abbate, edidit M. A. Kugener; PO 2, Pa 1903, 1905.

37 Fragmenta graeca Severiana recenset O. Bardenhewer, *Geschichte der altchristlichen Literatur*, V, Freiburg i. Br 1932, 4. Severo concedit scripta *pseudo-Dionysii* J. Stiglmayr S. I., *Der sog. Dionysius Areopagita und Severus von Antiochien;* Scholastik 3 (1928), 1-27, 161-189; contra quem scripsit J. Lebon, *Le pseudo-Denys Aréopagite et Sévère d'Antioche;* RHE 26 (1930), 880-915.

38 Ad editiones quod attinet adi A. Mai, *Adversus Tomum Iuliani Halicarnassensis;* Spicilegium Romanum, 10, pars 1, R 1839, 169-201; E. W. Brooks, *The sixth book of the select letters of Severus, patriarch of Antioch, in the Syriac version of Athanasius of Nisibis,* 2 vol., Lo 1902, 1904; Id., *A collection of letters of Severus of Antioch;* PO 12. 14, Pa 1916, 1919; A. Sanda, *Severi Philalethes,* Beryti 1928; *Le Philalèthe;* CSCO, Script. Syri 68-69, Louvain 1952; J. Lebon, *Severi Antiocheni liber contra impium Grammaticum;* CSCO Script. Syri, Ser. IV, 4, 5, 6; Lovanii 1938, 1929, 1933; Id., *Orationes ad Nephalium;* CSCO, Script. Syri, IV, 7, Louvain 1949; A. Sanda, *Severi antijulianistica,* Pars 1, Beryti 1931; M. Brière, R. Duval, M. A. Kugener, I. Guidi, *Les Homiliae Cathedrales de Sévère d'Antioche;* PO 4, 8, 12, 16, 20, 22, 23, 36; Pa 1908, 1912, 1919, 1922, 1929, 1930, 1932. Haud pauca ad res gestas a Severo reperies apud J.-B. Chabot, *Documenta ad origines Monophysitarum illustrandas;* CSCO, Ser. II, 37, Lovanii 1933.

39 Cfr. supra ad n. 37.

40 P. Bedjan, *Homiliae selectae Mar Iacobi Sarugensis,* I, p. iv.

41 GSL, 156 not. 8.

42 P. Martin, *Lettres de Jacques de Saroug;* l. c., 219 s.

43 Piam in rebus theologicis sententiam exhibet Iacobus, praesertim in *Mariologia,* et perpetuam Deiparae *Virginitatem* vindicando in altero carmine de Beata apud J.-B. Abbeloos, l. c. 256-301, et commendando eius interematam

PHILOXENUS MABBUGENSIS, sibi ipsi constans, asserit Christum esse nobis consubstantialem — quo Eutychianismum arcet — simul vero abstinet ab appellatione « naturae » quando sermo est de humanitate Christi, Unione iam peracta; vocabula enim « persona » et « natura », quae in Trinitate distinguuntur, idem prorsus significant cum agitur de Oeconomia Incarnationis. Porro, haec diversa acceptio unius eiusdemque termini apud Monophysitas syros pendet ex terminologia Cyrilliana, necnon ex operibus quae sub ementito nomine IULII Papae et PROCLI Constantinopolitani tunc temporis circumferebantur [44].

54. MONOPHYSISMUS SEVERIANUS: In systemate autem Monophysismi nominalis primae partes deferendae sunt SEVERO, qui nemine fuit secundus in debellando Eutychianismo; obscurus autem fit cum propriam sententiam declarare aggreditur [45].

SEVERUM ab Eutychianismo seu reali Monophysismo longe abesse ultro fatentur vel ipsi auctores chalcedonenses. EUSTATHIUS monachus ait: « Severus ... duas naturas agnoscit ... unam vero dicit illas simulate tantum, ad perdendos suos asseclas » [46]; LEONTIUS BYZANTINUS animadvertit Severum a controversia cum Iulianistis adduci ut differentias et proprietates utriusque naturae pro viribus vindicaret [47]. Quare nullo negotio asserere possumus ad Severianos respicere VIGILIUM TAPSENSEM, iuxta quem plures adsunt in Oriente qui « quodam ... circuitu expositionis utuntur, ut duas [naturas] se credere ostendant, sed duas nudo sermone non pronuntiant » propter Nestorianismi formidinem [48].

Et revera ipse minime parcet iis omnibus « qui poculo bibunt erroris *Eutychetis* » [49], quemadmodum ostendit sua cum IULIANO HALICARNASSENSI contentione, de qua mox agendum, et praesertim suis libris editis contra definitionem chalcedonensem, *Philalethes*, inquam, eiusdemque *Apologia* et *contra Impium Grammaticum* [50].

In iis conatur S. CYRILLUM ALEXANDRINUM, a quo Chalcedonen-

Dormitionem; A. BAUMSTARK, *Zwei syrische Dichtungen auf das Entschlafen der allerseligsten Jungfrau;* ORC 5 (1905), 91-99.

44 DTC 12, 1529.

45 Praeter J. LEBON, *Le Monophysisme Sévérien*, Louvain 1909, cfr. J. TIXERONT, *Histoire des dogmes*, III, Pa 1912, 117-127; I. EUSTRATIOS, Σευῆρος ὁ Μονοφυσιτῆς Πατρ. Ἀντιοχείας, L. 1894. Argumentum autem recentius retractavit J. LEBON, *La christologie du monophysisme syrien*; in opere A. GRILLMEIER S. I., *Das Konzil von Chalkedon*, I, Würzburg 1951, 425-580.

46 *Epistula de duabus naturis contra Severum;* PG, 86a, 938.

47 *Contra Nestorianos et Eutychianos;* PG, 86a, 1318.

48 *Contra Eutychetem;* PL, 62, 110.

49 J. LEBON, *Le Monophysisme Sévérien*, 496.

50 Quae autem vicissitudines hisce operibus occasionem dederint cfr. apud J. LEBON, o. c., 123-172.

ses plura petunt testimonia in favorem sententiae dyophysiticae [51], ad suam trahere sententiam, quam repetito et multis declarat, quamque hisce concludere possumus. SEVERUS, propter identitatem assertam inter φύσιν, ὑπόστασιν et πρόσωπον concludit unionem secundum hypostasin necessario esse debere unionem secundum naturam; quare, terminus huius unionis, si est una hypostasis seu persona, est etiam una natura, non tamen una essentia seu οὐσία, quam a natura secernit [52]. Adsunt igitur in Christo humanitas et divinitas integrae, inconfusae, realiter distinctae; sed humanitas et divinitas nequeunt post Unionem respici tamquam duae naturae, nisi quadam mentis abstractione [53]; re enim sunt duae essentiae, non duae naturae. Ad hanc autem distinctionem adstruendam, non admittit illud S. LEONIS in suo *Tomo*: « Salva igitur proprietate utriusque naturae et substantiae ... Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura » [54]; sed discrimen statuit inter proprietates in genere seu ἰδιώματα et proprietatem in quidditate physica; prima transeunt ad naturam unicam ex Unione resultantem; secus vero « proprietas physica » quae in unaquaque substantia remanet. Et hoc pacto inter divinitatem et humanitatem habetur « synthesis », nulla tamen confussio [55]. Haec autem clariora fiunt ultimis scriptis SEVERI contra factionem Iulianistarum.

55. SENTENTIA IULIANI HALICARNASSENSIS: Prima IULIANI HALICARNASSENSIS episcopi mentio fit a. 508, cum una cum SEVERO et suis monachis monophysitis Constantinopolin appulit. Deinde, edicto a. 518 perculsus, perfugium quaerit, ut plures alii praesules monophysitae, apud TIMOTHEUM IV, Patriarcham Alexandriae. In hac autem urbe, ob suam doctrinam de « incorruptibilitate » corporis Christi, maximos civit motus, qui non solum disputationes, verum etiam schismata excitarunt [56].

Antea, ut videtur, vix quidquam scripto lucubraverat [57]; sed controversia fervente plura scripta confecit [58], videlicet *Tomum*,

---

[51] De florilegio christologico in quo ad 244 testimonia S. Cyrilli collecta erant cfr. J. LEBON, o. c., 125 ss.

[52] J. LEBON, o. c., 212 ss, 283 ss.

[53] PG, 86, 908, 921, 1841.

[54] ES, n. 143; cfr. n. 148.

[55] J. LEBON, o. c., 433-442.

[56] Cfr. R. DRAGUET, *Julien d'Halicarnasse et sa controverse avec Sévère d'Antioche sur l'incorruptibilité du Corps du Christ*, Louvain 1924; M. JUGIE A. A., *Julien d'Halicarnasse et Sévère d'Antioche*, Pa 1925; cfr. EO 24 (1925); R. DRAGUET, *Une pastorale antijulianiste des environs de l'année 530;* Mu 40 (1927), 75-92; Id., *Pièces de polémique antijulianiste;* Mu 44 (1931), 255-317; 54 (1941), 59-89.

[57] R. DRAGUET, *Un commentaire arien sur Job;* RHE 20 (1924), 38-65 negat authentiam Commentarii in Job, a pluribus IULIANO concessi.

[58] Cfr. R. DRAGUET, *Julien d'Halicarnasse*, 10-70.

eiusdemque *Additiones, Apologiam* et decem libros *Adversus blasphemias Severi* [59], quibus corpus Christi iam a momento Unionis ἄφθαρτον seu *incorruptibile* esse contendebat; incorruptibilitas autem sub se comprehendit etiam immortalitatem et impassibilitatem; non eo sensu quod Christus apparenter solummodo passus vel mortuus fuerit, sed quatenus natura sua immortalis et impassibilis, etiam quoad carnem, voluntarie dolores et mortem subierit [60].

Ad hanc autem conclusionem devenit, quia passibilitatem, et in genere omnem corruptionem, sequelam ducebat *peccati originalis,* a quo Christus liber exstitit; quare iuxta DRAGUET ultima ratio discriminis inter SEVERUM et IULIANUM in eo est quod SEVERUS neget peccatum originis, IULIANUS vero illud admittat [61]; iuxta JUGIE in eo quod IULIANUS male accipiat naturam huius peccati [62]. Praeterea, quod est praecipuum, IULIANUS intelligere non valet quomodo de una eademque natura ex Unione resultante, praedicetur « mortalis » et « immortalis », « impassibilis » et « passibilis »; reicit enim tamquam Monophysismo exitiale dicere « duas essentias », ut voluit SEVERUS [63].

Hic autem in IULIANO reprehendit primo quidem suas *novas* formulas, a sanctis Patribus alienas prorsus; simul vero praeposterum *Monophysismi conceptum,* quo eius auctor manibus pedibusque it ad castra Eutychianorum et Valentinianorum, distinctionem tollens inter « *essentias* » divinam et humanam. Denique, carpit illas passiones in corpore impassibili, quae et Redemptionem et Christi Domini cum hominibus consubstantialitatem pessum dant [64].

Hac de causa male audiunt *Iulianistae,* cum apud reliquos Monophysitas, tum apud nostros scriptores, illos « docetismi » accusantes [65]. Hanc vero opinionem mitigavit valde JUGIE [66], cuius sententia de monophysismo nominali IULIANI a recentioribus probata est.

56. ALIA DOCTRINAE CAPITA: Atqui haec dicta sufficiant de prisco Monophysismo [68]. Una vero cum doctrina christologica

---

[59] Horum operum fragmenta 154 syriace et graece edidit R. DRAGUET, o. c., 5*-78*. Contra lucubrationes IULIANI scripsit SEVERUS *Criticam Tomi, Refutationem propositionum Iuliani, Contra Additiones* et *Adversus Apologiam Iuliani,* quae colligit A. SANDA, *Severi antiiulianistica,* Beryti 1931.

[60] R. DRAGUET, *Julien d'Halicarnasse,* 181-206.

[61] Ibid., 134 s.

[62] M. JUGIE A. A., *Julien d'Halicarnasse et Sévère d'Antioche,* 36-42; Id., TDCO, V, 436 n. 3.

[63] R. DRAGUET, o. c., 139.

[64] Ibid., 163-169.

[65] Ibid., 170-179.

[66] M. JUGIE A. A., GAÏANITE (*controverse*); DTC 6 (1920), 999-1023.

[67] R. DRAGUET, *Julien d'Halicarnasse,* Louvain 1924.

[68] Alii sane plures celebres habentur, ut IOANNES PHILOPONUS, cuius opera edidit A. SANDA, *Opuscula monophysitica Ioannis Philoponi,* Beryti 1930. Ex ethnico monophysita factus c. 530 systema transtulit etiam ad Trinitatem, etsi

primi monophysitae alia commendant quibus a catholica doctrina discedere visi sunt.

De *Spiritus Sancti processione,* silentio praetermissis formulis apprime cyrillianis [69], adhibetur illud, a Sacra Scriptura ad verbum petitum; « Ex Patre procedit et ex Filio accipit », quod usuvenit apud IACOBUM SARUGENSEM [70] et PHILOXENUM MABBUGENSEM [71], vel « ex natura Patris et Filii », ut habet idem PHILOXENUS [72].

Circa Sacramenta plura habent quae attentionem merentur [73]; relate autem ad quaestionem de *Epiclesi,* etsi IACOBUS SARUGENSIS et PHILOXENUS [74] ancipites fuerint, SEVERUS clare omnem vim consecratoriam [75] tribuit verbis dominicis [76].

Denique, circa *Primatum Romani Pontificis,* licet Monophysiti ab eo longius distent, nihilominus hoc primo tempore doctrina S. EPHRAEM, cuius nota est sententia de auctoritate primatiali S. Petri, retinetur a IACOBO SARUGENSI [77]. Sed ob *Tomum Leonis* a Concilio Chalcedonensi receptum, cito insurgunt contra Romanos Pontifices, qui cum in Nestorianismum sint lapsi, non solum auctoritate Petri amplius non gaudent, sed neque « uti aiunt, primatu honoris, quem ex consuetudine habent », ut scribunt PHILOXENUS MABBUGENSIS et IOANNES PHILOPONUS [78]. Sed ut notat IUGIE [79] haec sententia necessario mitigata valde fuit postea ob receptionem canonum nicaeno-arabicorum, quibus, ut deinde dicetur, Romanae Ecclesiae auctoritas disserte commendatur.

---

fateatur quaestionem potius agitari de verbis tantum; cfr. eius *Diaiteten,* n. 2; apud A. ŠANDA, l. c., 36.

69 Ut alia omittamus, in suo *De adoratione in spiritu et veritate,* S. CYRILLUS inquit: « Siquidem est Dei et Patris et Filii ille qui substantialiter ex utroque, nimirum ex Patre per Filium profluens Spiritus »; PG, 68, 148.

70 *Epistula ad Samuelem Abbatem;* apud J.-B.ABBELOOS, *De vita et scriptis S. Iacobi,* 121.

71 *De Trinitate* (ed. A. VASCHALDE); CSCO, ser, II, 27, 174.

72 *Epistula ad monachos Teledenses;* cfr. TDCO, V, 605 s.

73 Plura invenies apud W. DE VRIES S. I., *Sakramententheologie bei den Syrischen Monophysiten;* OCA, 125 (R 1940). De Eucharistia autem cfr. quoque TH. J. LAMY, *Dissertatio de Syrorum fide et disciplina in re eucharistica,* Lovanii 1859.

74 Cfr. W. DE VRIES, S. I., o. c., 164.

75 Quid de *transubstantiatione* senserint recole ibid., 142-148.

76 W. BROOKS, *The sixth book of the select letters of Severus,* II, Lo 1904, 238.

77 P. G. SFAIR, *La promessa del Primato nei commentari siriaci;* Bes 32 (1916), 83-109; 33 (1917), 14-35, 125-150; v. 129-134.

78 M. JUGIE A. A., *La primauté romaine d'après les premiers théologiens monophysites;* EO 33 (1934), 181-189.

79 Ibid., 189.

Art. IV

Theologia Byzantina aevo Iustiniani

57. Polemica antinestoriana: Theologia orthodoxa, ut est planum, hac periodo fere tota versatur in doctrina christologica contra Nestorianos et Monophysitas vindicanda. Contra Nestorium primi insurgunt S. Cassianus et S. Proclus, uterque ex Schola Antiochena.

Latinorum sententia dependet a Cassiano, qui versus a. 430, rogante diacono Leone — postea S. Leone Papa — scripsit *septem libros de Incarnatione Christi,* quibus Nestorio attribuit quoque errorem de momento Unionis, peractae posteaquam « homo Iesus » iam conceptus erat in sinu Virginis [1], quemadmodum paulo post iterant S. Leo Magnus [2], S. Vincentius Lerinensis [3] et Marius Victorinus [4], qui haeresiarcam probris cumulat et suam facit opinionem Ioannis Tomi episcopi [5] asserentis Nestorium errasse circa momentum Unionis [6].

Byzantii vero praecipuus Nestorianorum adversarius exstitit S. Proclus Patriarcha Constantinopolitanus (434-446), cui plures modo conceduntur homiliae mariales in laudem « Deigenitricis » [7]. Ipse auctor est *Tomi ad Armenios* [8], quorum episcopi in Synodo congregati a. 436 eum sententiam rogarunt circa scripta Theodori Mopsuesteni [9]. In suo autem Tomo, ab antiochenis episcopis subscripto, rectam de Unione hypostatica doctrinam perspicue tradit; simul vero illis verbis utitur quae sequenti saeculo molestis disputationibus ansam dabunt: « Deus Verbum, *unus de Trinitate,* incarnatus est ».

---

1 PL, 50, 95 s. De auctore cfr. H. J. Marrou; OCP 13 (1947), 588-596.

2 Ep. 102; PL, 54, 983.

3 *Commonitorium,* I, 2; PL, 50, 655.

4 *Nestorii blasphemi capitula;* PL, 47, 912.

5 Illius testimonium invenit et edidit G. Morin O. S. B., in The Journal of theological Studies, 7 (1906), 74-77.

6 De tota hac quaestione cfr. M. Jugie A. A., *Nestorius et la controverse Nestorienne.,* Pa 1912, 194-201: Nestorius et les docteurs occidentaux.

7 Cfr. J. Lebon, *Discours d'Atticus de Constantinople « Sur la sainte Mère de Dieu »*; Mu 46 (1933), 167-202, putans hanc homiliam syriace servatam esse « Attici per Proclum »; et praesertim B. Marx, *Procliana. Untersuchung über den homiletischen Nachlass von Patr. Proklos von Konst.,* Münster 1940, qui tamen nimis facilem se praebet in detegendis Procli homiliis.

8 PG, 65, 860-871. Textum graecum et versionem latinam Dionysii Exigui critice edidit E. Schwartz, ACO, IV, 2, 187-205. De versionibus cfr. O. Berdenhewer, *Geschichte der altchristlichen Literatur,* IV, Freiburg i. Br. 1924, 208.

9 R. Devreesse, *Le début de la querelle des trois-chapitres: La lettre d'Ibas et le Tome de Proclus;* Rev. Sc. Rel. 11 (1931), 543-565; v. 550; A. Vardanian, *Ein Briefwechsel zwischen Proklos und Sahak;* Wiener Zeitsch. f. die Kunde des Morgenlandes 27 (1913), 415-441.

Haec voce usi sunt, non sine scandalo, monachi *Scythae,* qui idcirco censuram Imperatoris IUSTINIANI et Papae S. HORMISDAE incurrerunt [10]. Inter monachos qui ca. 519 Romae versabantur aderat IOANNES MAXENTIUS, qui auctor est *Dialogorum cum Nestorianis* [11], quibus propugnat titulum « Deigenitricis » et formulas confutat nestorianas, innixus sacris litteris et simplici disputandi ratione.

58. CHRISTOLOGIA LEONTII BYZANTINI: Efficatiore methodo et altiore doctrina Nestorianos et Monophysitas refutavit LEONTIUS BYZANTINUS (485-543), qui primo quidem tempore irretitus est erroribus nestorianis, ut ipse de se fatetur [12], sed mox illos deposuit et monachus factus est Novae Laurae prope Hierosolymam [13]. Etsi *Origenistarum* factioni faveret [14], magna gavisus est fama ob doctrinam christologicam, quam erudite evolvit suis libris, quamque Constantinopoli et Romae voce explanavit.

Praecipuum eius opus inscribitur *Libri III adversus Nestorianos et Eutychianos* [15]; quibus addenda sunt opuscula *Solutio argumentorum Severi, Triginta capita adversus Severum* et *Adversus fraudes Appollinaris,* quae omnia respiciunt Christologiam. Alias autem exagitavit quaestiones, quas in unum collegisse videtur — neque enim res est certa — sub nomine *Scholia.* Libri *Adversus Nestorianos* et *Adversus Monophysitas* [16] alia manu exarati sunt, etsi plane consonent doctrinae LEONTII.

Suis autem libris contra Nestorianos et Eutychianos reicit « unionem quae dividit, unionem quae confundit », ut Christo vindi-

---

10 Cfr. E. SCHWARTZ, ACO, IV, 2, p. v-xii; De monachis Scythicis.

11 PG 86a, 115-158. Criticam editionem perfecit E. SCHWARTZ, l. c., 14-44, qui et reliqua eiusdem auctoris documenta, iam in PG relata accuratius reddit, 3-64.

12 *Adv. Nestor. et Eutych.* l. III; PG 86a, 1357-1360.

13 De auctore cfr. F. LOOFS, *Leontius von Byzanz,* L 1887 in TU, III, l. 2; W. RUGAMER, *Leontius von Byzanz,* Würzburg 1894; J. P. JUNGLAS, *Leontius von Byzanz. Studien zu seinen Schriften, Quellen und Anschauungen,* Paderborn 1908; V. GRUMEL A. A., *Léonce de Byzance;* DTC 9 (1926), 400-426; Id., *La sotériologie de Léonce de Byzance*; EO 36 (1937), 385-397; A. THEODOROS, Χριστολογικὴ ὁρολογία καὶ διδασκαλία Λεοντίου τοῦ Βυζαντίου; Th 26 (1955), 212-222, 421-435, 584-592; 27 (1956), 22-44.

14 Lege quae refert CYRILLUS SCYTHOPOLITANUS in sua *Vita S. Sabae;* apud COTELIER, *Ecclesiae graecae monumenta,* Pa 1677, III, 344 s., 361-366. M. RICHARD, *Léonce de Byzance était-il origeniste?;* REB 5 (1947), 31-66, demonstrat LEONTIUM non esse distinguendum ab origenista, cuius meminit CYRILLUS SCYTHOPOLITANUS, ut recenter voluit E. SCHWARTZ, *Kyrillos von Scythopolis,* L 1939, 388; pondus vero doctrinae Leontii valde minuit CH. MOELLER, *Le chalcédonisme et le néo-chalcédonisme en Orient du 451 à la fin du VIe siècle;* apud A. GRILLMEIER S. I., *Das Konzil von Chalkedon,* I, Würzburg 1951, 638-720. Cfr. quoque A. ORBE S. I., *En torno a la filosofía de Leoncio Bizantino,* R. 1955.

15 PG 86a, 1267-1396; cfr. A. CASAMASSA, *I tre libri di Leonzio Bizantino contro i nestoriani ed i monofisiti*; Bes 25 (1925), 33-46,

16 PG 86a, 1399-1901; cfr. V. GRUMEL A. A. in DTC 9, 403.

cet « unionem quae unit » [17]. Ratus enim utriusque erroris fundamentum residere in illa quam falso asserunt identitate terminorum « natura » et « persona », operam dat in libro I his notionibus enucleandis ope philosophiae. In altero autem dialogum instituens inter Orthodoxum et Aphthartodocetam, confutat placita Iulianistarum. Demum in ultimo libro verba facit ad Nestorianos.

Quo pollebat ingenio LEONTIUS argumenta Scripturae et Patrum adhibuit; eius vero laus potissima reponenda est in argumentis indolis dialecticae. Neque enim veritus est, praeter philosophiam aristotelicam, qua una Syri tam nestoriani quam monophysitae innitebantur, ad neoplatonismum recurrere ut declararet quomodo se habeat natura humana Christi Domini, quae non est hypostasis, sed ἐνυπόστατος tantum; id enim sufficit ut sit vera et realis natura, etiamsi non propria, sed aliena subsistat persona seu hypostasi [18].

Hic conceptus ab ipso primum inductus, iteratur postea a S. IOANNE DAMASCENO [19], exulat autem in commentariis saeculi VI, ut puta, in epistula EUSTATII MONACHI [20] et in opusculis IUSTINIANI I, de quo iam agendum nobis est.

59. IUSTINIANUS I; EIUS OPUS THEOLOGICUM: In Theologia byzantina huius periodi magnum pondus obtinent scripta IUSTINIANI I Imperatoris (527-565), cuius nota est politica religiosa, ardenti zelo non minus quam caesaropapismo imbuta [21]. Ipse enim, non solum ut Imperator favorem praestat Chalcedonensibus contra Monophysitas et Nestorianos, verum etiam theologum agens suis editis libris contra haereses disceptavit, licet ad finem vitae suae *aphthartodocetismum* IULIANI HALICARNASSENSIS orthodoxum pronuntiare tentaverit [22].

---

[17] *Adv. argumenta Severi;* 86 b, 1940-1941.

[18] Cfr. V. GRUMEL A. A., DTC 9, 408-423.

[19] *Dialectica,* 44; PG 94, 615; *Contra Iacobitas,* 12; Ib., 1441; *Contra Acephalos,* 5-6; PG 95, 120.

[20] *Epistula ad Timotheum Scholasticum de duabus naturis adversus Severum*; PG 86a, 901-942.

[21] TH. A. KURGANOV, Прокопій Кесарійскій и значеніе его для характеристики царствованія Юстиніана; PS 1879, II, 311-358; III, 12-63; Id., Императоръ Юстиніанъ и его отношеніе къ Церкви; PS 1880, II, 215-252, 366-418; II, 98-154, 155-169; A. KNECHT, *Die Religionspolitik K. Justinian* I, Würzburg 1896; Hieron. MICHAIL, Двѣ системы отношеніи государства къ Церкви; PS 1902; II, 26-46; G. GLAIZOLLE, *Un empereur théologien. Justinien, son rôle dans les controverses, sa doctrine christologique,* Lyon 1905; DR. KIDD, *The Churches of Eastern Christendom from 451 A. D. to the Present Times,* [Lo] 1927, 35-52: Justinian. The theologian; B. BIONDI, *Giustiniano Primo, principe e legislatore cattolico,* Milano 1936.

[22] R. DRAGUET, *Julien d'Halicarnasse,* Louvain 1924, 259; cfr. M. JUGIE A. A., *L'empereur Justinien a-t-il été aphthartodocète?*; EO 30 (1932), 399-402.

Prima autem arma fecit contra *Monophysitas*, edito suo tractatu (a. 536)[23]. In eos autem animadvertit propterea quod, reliquis S. Cyrilli Alexandrini scriptis posthabitis, unice respiciant eius *Epistulam ad Succensum*, quam praepostera donant interpretatione[24]. Quare, nervos omnes contendit ut ex doctrina ipsius S. Cyrilli et aliorum Patrum rectam de duabus naturis sententiam roboret. Refutat autem imprimis dicta ab *Acephalis;* deinde Timotheum Aelurum adoritur, quem durissimis verbis ut haereticum refellit; tandem de Severo hoc profert iudicium: Severus, renuens Patrum vocibus acquiescere, maxima creavit pericula fidei; nam « si iuxta insaniam Severi verba a sanctis Patribus recte praedicata, ab haerecticis vero maligne interpretata, removenda sunt, evertet etiam divinam Scripturam, ex qua haeretici suo morbo remedia haurire confidunt »[26]. Hisce habes qua via procedat Imperator; voluit enim adversarios superare praesertim testimoniis S. Cyrilli aliorumque Patrum, quos ipsi recipiunt.

Una cum Monophysismo, fortasse quo altius eum everteret, Iustinianus, qui iam anno 529 scholas philosophicas Athenienses propter « hellenismi » periculum cessare iusserat[27], *Origenismum* damnavit in suo ad Menam Patriarcham tractatu[28], cui subiunxit novem anathematismos, respondentes, magis quam doctrinae ipsius Origenis, placitis quorundam monachorum palaestinensium[29].

Ut notum est Hierosolymis, inter monachos Novae Laureae et Magnae Laureae hoc tempore excanduit disceptatio de doctrina et auctoritate Origenis. Imperator autem, permotus libello Ioannis Scythopolitani[30], in suo tractatu a. 543, *Origenem*, ut « hellenismi et arianismi tabe infectum » damnavit. Huic autem imperiali decreto subscripserunt quattuor Patriarchae et Vigilius Papa.

Ut autem commotionem Monophysitarum sedaret, eosdemque ad veritatem alliceret, Imperator illis morem gerere coe-

---

23 *Tractatus contra Monophysitas;* PG 86a, 1103-1146.

24 PG 86a, 1111.

25 PG 86a, 1127. 1130.

26 PG 86a, 1135 s.

27 A. A. Vasiliev, *Histoire de l'Empire Byzantin* (trad. P. Brodin), I Pa 1932, 198.

28 *Liber adversus Origenem;* PG 86a, 946-994; CC 9, 533-537.

29 Hos inter numerandus est Leontius Byzantinus; cfr. F. Prat S. I., *Origène*, Pa 1907, lii-liv. De controversia origenista recole F. Diekamp, *Die origenistischen Streitigkeiten im VI Jahrhundert*, Münster 1899; T. P. Themelas, 'Απόψεις τινὲς τοῦ ἐν Παλαιστίνῃ 'Ωριγενισμοῦ; NS 10 (1910), 3-31.

30 *Libellus de erroribus Origenis;* PG 86a, 231-236; directus ad Imperatorem et ad Patriarchas Orientales.

pit. Hac de causa *Tria Capitula*[31] primo quidem sua propria auctoritate damnavit, deinde obtinuit ut ab Oecumenico Concilio reprobarentur. Ad finem vero suae vitae decretum tulit in favorem *Iulianismi*, quem medium quid existimavit inter Severianos et Chalcedonenses.

Anno 544 IUSTINIANUS epistulam dedit[32] ad quinque Patriarchas, denuntians *Tria Capitula,* nempe opera THEODORI MOPSUESTENI et THEODORETI CYRENSIS, necnon epistulam IBA ad Mari. Orientales Patriarchae vel inviti subscribunt; sicuti etiam postea, coadunato Concilio Generali a. 553, Tria Capitula anathemate percutiunt[33], vel absente et renuente Papa VIGILIO.

Huius agendi ratio non semper eadem fuit. *Iudicatum* a. 548, servata incolumi auctoritate Concilii Chalcedonensis, quod THEODORETUM et IBAM receperat, damnat Tria Capitula et eorundem auctores. Episcopis autem Africanis, Illyricis et Dalmatis acriter reclamantibus[34], rem totam committi voluit Concilio. Cum vero Synodus res agat ad nutum Imperatoris, non solum praesens non interfuit laboribus, verum etiam *Constitutum* edidit, « apostolicae sententiae auctoritate » damnans 60 propositiones THEODORI MOPSUESTENI, nec ultra progredi voluit. Tandem, 23 februarii 554 ratam habuit sententiam Concilii, quod eo ipso Oecumenicum reddidit. Quae cum ita se habeant, Vigilius *non mutavit sententiam circa doctrinam* ipsam nestorianam Trium Capitulorum, quam constanter reicit; sed *imperialibus decretis restitit* tribus de causis: quod mos non esset anathema proferri in homines vita iam functos; ne videretur probare rationem agendi Imperatoris in litibus dogmaticis dirimendis, inconsulto Pontifice; denique, ut omne vitaret praeiudicium Concilio Chalcedonensi, quod mitius egerat erga THEODORETUM et IBAM[35].

---

[31] Ut se res habuerit antea vide apud H. M. DIEPEN O. S. B., *Les Trois Chapitres au Concile de Chalcédoine. Une étude de la christologie de l'Anatolie Ancienne,* Oosterhaut (Pays Bas) 1953.

[32] Hoc documentum servatum non est.

[33] ES, 224-228.

[34] Illis auctoribus prodierunt Apologiae Trium Capitum; quarum servatae sunt duae: FACUNDUS HERMIANENSIS episcopus, *Pro defensione trium capitulorum*; PL, 67, 527-852; PELAGIUS diaconus (deinde Vigilii successor in Pontificatu), *In defensione trium capitulorum,* edita a R. DEVREESSE, in ST 57 (1932); cfr. E. SLOOTS, *De diakon Pelagius en de werdediging der Drie Kap.,* Nymegen 1936. Scimus etiam RUSTICUM diaconum, nepotem Vigilii, tractatum lucubrasse contra sententiam Concilii Constantinopolitani II, qui tamen frustra hactenus quaesitus est.

[35] Polemistae Graeco-slavici posteriores adhibent res gestas Vigilii, perinde ac si Summus Pontifex probaverit errores Tribus Capitulis contentos, propterea que damnatus esset a Concilio. Vide, sis, *Encyclicam* ANTHYMI VII in Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια, 15 (1895), 246.

60. Iustinianus et Primatus Romanus: Vel ex paucis iis quae commemoravimus [36] satis patere censeo ut se gesserit Imperator erga supremam Romanam Sedem [37]. Verbis quidem amplissimis supremam Romanae Sedis auctoritatem in universam Ecclesiam iterato agnoscit. Sed sua agendi ratione et documentis canonicis editis doctrinam de Primatu labefactavit.

Testimonia Iustiniani de Romani Pontificis Primatu abundant[38]. Iam enim sub Iustino I, ut Comes Imperatori addictus, in suis ad S. Hormisdam epistulis pluries declarat penes Romanum Praesulem quaerendam esse ultimam fidei regulam; « Hoc enim credimus esse catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum » [39]; et alibi: « Ostendat ergo tuus apostolatus, quod merito Petro sucessit apostolo, quoniam Dominus a vobis utpote summis pastoribus exacturus est universorum salutem, qui poterunt esse salvi firmata concordia » [40]. Idem asserit Imperator scribens ad Ioannem II (6 iunii 533): « Nec enim patimur quidquam quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum et indubitatum sit quod movetur, ut non etiam vestrae innotescat sanctitati, quae caput est omnium sanctarum Ecclesiarum » [41]. Quae verba adeo peremptoria sunt, ut frustra adlaboret Alivisatos illa accipiens tantum honoris et defferentiae testimonia [42].

Recta vero de Primatu sententia obscuratur apud Iustinianum theoria *Caesaropapismi,* qua primas sibi partes confidenter attribuit, perinde ac si Romano Pontifici non liceret sua suprema auctoritate uti inscio vel contradicente Imperatore. Id apparet iam in quaestione de monachis Scythis — in qua tamen res non obtinuit — et praesertim in damnatione Origenismi et Trium Capitulorum. In hac ultima controversia eo usque progressus est ut, accepto *Constituto* Papae Vigilii, non reformidet a distinctione inter *sedem* et *sedentem,* retinens communionem cum Sede Romana, abrumpens vero omne vinculum cum Vigilio [43].

61. Iustinianus et privilegia Sedis Constantinopolitanae: Haec autem Iustiniani in Caesaropapismum aperta inclinatio

---

36 Cfr. R. Draguet, *Julien d'Halicarnasse,* Louvain 1924, 259.

37 Res omnes ad hanc quaestionem pertinentes colligit P. Batiffol, *L'Empereur Justinien et le Siège Apostolique;* RSR 16 (1926), 193-264. Aliter sentit L. Stan, *Impăratul Justinian, Sinodul V Ecumenic si Papalitea*; ST Ser. II, 1 (1953), 347-364.

38 Cfr. M. Jugie A. A., *Justinien;* DTC 8 (1925), 2285 s.

39 Epist. 15 oct. 519; apud P. Batiffol, a. c., 203.

40 Epist. *ad Hormisdam* 9 sept. 520; ibid., 205.

41 Ibid., 212; cfr. 215 verba Joannis II respondentis Imperatori.

42 H. S. Alivisatos, *Die kirchliche Gesetzgebung des Kaisers Iustinian I,* B 1913, 60.

43 Cfr. P. Batiffol, l. c., 285-287.

sese prodit in eius *legibus,* quae omnes norunt quantum valeant in Iure Canonico Orientali [44]. Age iam, Imperator non solum plura dedit statuta disciplinam clericorum et monachorum, necnon ius matrimoniale spectantia, verum etiam suprema Ecclesiae Constantinopolitanae iura sancivit, inserens capiti secundo Novellae 131 [45] *canonem 28 Chalcedonensem* de privilegiis Sedis Constantinopolitanae.

Iam ab Urbe Constantinopolitana condita exurgit idea *Novae Romae* [46], prorsus aequandae quod attinet ad civilia munia Veteri Romae, cuius imaginem refert etiam in ipsa politica administratione. Sic Byzantium apparet, ut verbis loquar S. AUGUSTINI [47], tamquam « civitas Romano Imperio socia. velut ipsius Romae filia ». Filia autem cum sit, veluti haereditario iure sibi usurpat insignia Veteris Romae.

Quod vero in rebus civilibus obtinuerat, provocavit Constantinopolitanos ut sedem quoque ecclesiasticam magis magisque amplificarent. Quare, Concilium Constantinopolitanum I (Oecumenicum II), ordinem sedium a Nicaena Synodo constitutum immutans, primum post Romam locum, et « eadem honoris privilegia » conferre tentavit Sedi Constantinopolitanae [48].

Hac eadem via incedunt Patres in Concilio Chalcedonensi; qui, licet dicant se canonem 3 Concilii Constantinopolitani I retinere, de facto ulterius progrediuntur; dilatant enim iurisdictionem Sedis Constantinopolitanae, ei subiciendo dioeceses Ponti, Asiae et Thraciae, et quando sermo est de « aequalibus privilegiis » silent verbum « honoris » a canone Constantinopolitano adhibitum, adduntque illam rationem cur Primatus veteri Romae obtigerit; « quod Urbs illa imperaret iure Patres privilegia tribuerunt ».

En tibi integrum Canonis textum: « Sanctorum Patrum decreta ubique sequentes, et canonem qui nuper lectus est centum et quinquaginta Dei amantissimorum episcoporum agnoscentes, eadem quo-

---

44 AE. HERMAN S. I., *Ius Iustinianeum qua ratione conservatum sit in iure ecclesiastico orientali*; Acta Congressus Iuridici Internationalis, II, R 1935, 145-155.

45 *Corpus Iuris civilis*, ed. BECK, L 1837, II, pars 2, 271.

46 Cfr. prae aliis F. DÖLGER, *Rom in der Gedankenwelt der Byzantiner*; Zeitschrift für Kirchengeschichte, ser. III, 56 (1937), 1-42.

47 Sic in antiquissimis byzantinis nummis legitur « Populus Romanus »; « Urbs Roma »... et adhibetur effigies Lupae Capitolinae etc. Cfr. F. DÖLGER, l. c., 19.

48 « Constantinopolitanus episcopus habeat priores honoris (τῆς τιμῆς) partes post Romanum episcopum »; CC 3, 559-560.

que et nos decernimus ac statuimus de privilegiis sanctissimae Ecclesiae Constantinopolis novae Romae. Etenim antiquae Romae throno quod urbs illa imperaret, iure patres privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti centum quinquaginta Dei amantissimi episcopi sanctissimo novae Romae throno aequalia privilegia tribuerunt; recte iudicantes urbem, quae et imperio et senatu honorata sit et aequalibus cum antiqua regina privilegiis fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis, non secus ac illam, extolli ac magnifieri, secundam post illam existentem: ut et Ponticae et Asianae et Thraciae dioecesis metropolitani soli, praeterea episcopi praedictarum dioecesum quae sint inter barbaros a praedicto throno sanctissimae Constantinopolitanae Ecclesiae ordinentur; unoquoque scilicet metropolitano, cum provinciae episcopis, provinciae episcopos ordinante, quemadmodum divinis canonibus est traditum. Ordinari autem, sicut dictum est, praedictorum dioecesum metropolitanos a Constantinopolitano archiepiscopo, convenientibus de more factis electionibus, et ad ipsum relatis »[49].

Si attendas intentum ab auctoribus huius Canonis, evidenter dices quaestionem esse mere disciplinarem et ecclesiastici iuris; agitur enim solummodo de amplificanda sede Constantinopolitana, novas provincias ei subdendo, non de universali Primatu, quem Canon silet et Patrum Chalcedonensium declarationes expresse excludunt[50]. Nihilo tamen minus verba ipsa adhibita ansam praebent difficultati. Quae cum ita se habeant, nihil mirum si nostri auctores in varias sententias abeunt.

Iuxta d'Herbigny, nedum labefactet Primatum, ei suffragatur: « Canon non significat Primatus agniti destructionem aut participationem cum Constantinopoli »; in illo « minime approbatur obiectio contra Primatum, sed clare confirmatur Patrum fides in necessariam eius auctoritatem »[51]. Eandem sententiam varia ratione commendant Harapin asserens redactores Canonis contentos esse instauratione Canonis 3 Concilii I Constantinopolitani; quodsi hic ultimus non affert detrimentum Primatui, idem sentiendum erit

---

49 CC 7, 369-370.

50 Cum romani episcopi Paschasinus et Lucentius et presbyterus Bonifatius, Legati Pontificii, quae facta fuerant rescivissent, illico Concilium convocarunt, in quo episcopi imperiales declarationem illam perlegunt: « Perpendimus omnem quidem Primatum (πρὸ πάντων τὰ πρωτεῖα) et honorem praecipuum (τὴν ἐξαίρετον τιμὴν), secundum canones antiquae Romae Dei amantissimo Archiepiscopo conservari; oportere autem sanctissimum Archiepiscopum regiae Constantinopolis novae Romae eisdem primatibus honoris et ipsum dignum esse »; CC 7, 452. Ceterum, testimonia Concilii explicite agnoscentis Primatum Romanae Sedis recole ibid., 971, 1047, 1051, 1055, etc.

51 M. d'Herbigny S. I., *Theologica de Ecclesia*, II³, Pa 1928, 158-162.

de decreto chalcedonensi [52]; et BATIFFOL scribens: « unum quod dici potest est Canonem ambire in favorem Sedis Constantinopolitanae relate ad Orientem similem auctoritatem illi quam obtinet Roma in Occidente » [53]. Alii vero dicere maluere cum JUGIE distinguendum esse inter mentem Patrum qui Canonem tulerunt, Primatui minime inimicam, et verba, quae, uti iacent, cum recta sententia de Primatu conciliari nequeunt [54].

Modo vero haec rigidior quidem Canonis interpretandi ratio a Catholicis desserenda est, posteaquam PIUS XII, nulla facta distinctione, scriptum voluit suis litteris Encyclicis *Sempiternus Rex Christus,* 8 semptembris 1951:

« Quamvis ibidem *nihil contra divinum iurisdictionis Primatum,* qui quidem pro explorato habebatur, actum esset; tamen, idem canon absentibus ac dein contradicentibus Pontificiis Legatis conflatus, atque adeo clandestinus et subreptitius, quavis iuris vi destitutus est et a S. Leone multas per litteras reprobatus et damnatus » [55].

Hisce ultimis verbis Summus Pontifex PIUS XII causas nobis indigitat cur canon 28 neque a Legatis Romanis, neque a S. LEONE Magno receptus fuit. Legati quidem, audita explicatione Byzantinorum, reponunt: « Sedes Apostolica, nobis praesentibus *humiliari* non debet » [56]. S. LEO autem, cuius tanta est existimatio in Ecclesia Byzantina [57], acceptis litteris synodalibus, non sine arte argumenta omnia in favorem canonis congerentibus, non ad Concilium, sed ad

---

[52] TH. HARAPIN O. F. M., *Primatus Pontificis Romani in Concilio Chalcedonensi et Ecclesiae dissidentes,* Ad Claras Aquas 1923, 116 ss.

[53] P. BATIFFOL, *Le Siège Apostolique*, Pa 1924, 557 ss.: Rome et le 28e canon de Chalcédoine.

[54] TDCO, I, 51.

[55] AAS 43 (1951), 625-644; v. p. 632, Cfr. etiam R. SOUARN A. A., *Le 28e Canon de Chalcédoine;* Bes. 1 (1896-1897), 475-885; Id., *Rome et le 28e canon de Chalcédoine;* Bes 2 (1897), 215-224; Id., *Le 28e Canon de Chalcédoine;* EO 1 (1897), 19-23, 59; TH. OWEN MARTIN, *The Twenty-Eight Canon of Chalcedon:* in opere A. GRILLMEIER S. I., *Das Konzil von Chalkedon,* II, Würzburg 1953, 433-458; E. HERMAN S. I., *Chalkedon und die Ausgesteltung des Konstantinopolitanischen Primats;* ibid, 459-490; J. OLŠR S. I. et J. GILL S. I., *The Twenty-eight Canon of Chalcedon in Dispute between Constantinople and Moscow;* ibid., III, Würzburg 1954, 765-783; V. MONACHINO S. I., *Genesi storica del canone 28 di Calcedonia;* Gr 22 (1952), 261-291; cfr. 531-565; Recentius legitimitatem Canonis 28 vindicavit Rumenus Patriarcha JUSTINIAN, *Valabilitatea actuală a canonului 28 al Sindolui IV Ecumenic dela Calcedon;* Ort 3 (1951), 173-187.

[56] CC 7, 452.

[57] E. BOUVY, *Saint Léon le Grand dans l'Église Grecque;* EO 1 (1897), 172; I. N. DROZDOV, Св. Левъ великiй, его жизнъ и творенiя, Kharkov 1898; E.O-r. Значенiе папы Льва Великаго въ развитiи идеи папства. Изъ исторiи папства ; BV, 1912, II, II, 477-510; B. VOLUBEV, Вселенскiй соборъ и римскiй папа ; VR 1914, II, 207-214. Cfr. P. SANTINI, *Il primato e l'infallibilità del Romano Pontefice in S. Leone Magno e gli scrittori greco-russi.* Grottaferrata 1936.

Imperatorem et ad Patriarcham ita respondit ut canonem idcirco reiciat quia ordinem subvertit a Nicaena Synodo firmatum [58], et labili prorsus fundamento inititur: « Alia enim est ratio rerum saecularium, alia divinarum; nec praeter illam petram quam Dominus in fundamento posuit stabilis erit ulla constructio » [59].

Hisce autem obtemperavit ANATOLIUS Patriarcha Constantinopolitanus; Canon vero 28 reiectus fuit, quem omittunt antiquissimi codices graeci et latini quibus Acta Chalcedonensia asservantur, et vetustae canonicae collectiones, ut sunt illae DIONYSII EXIGUI et ISIDORI, illa quae *Prisca* dicitur, collectio graeca IOANNIS ANTIOCHENI translatio arabica IOSEPHI AEGYPTII, Nomocanon IOANNIS SCHOLASTICI et Nestorianorum *Synodicon Orientale* [60]. Cum vero ACACIUS Constantinopolitanus rebellavit contra Ecclesiam Romanam Canonem restituere tentavit [61], reclamantibus Summis Pontificibus FELICE (483-492) et S. GELASIO (492-496).

IUSTINIANUS igitur primus omnium Canoni apud Byzantinos vim legis attribuit. Quare et *Synodus Trullana* illum indubitanter tradidit [62] et posteriores scriptores ad illum confidenter recurrunt. Hoc pacto a IUSTINIANO originem quadam ratione ducit conceptus « Primatus Constantinopolitani », qui postea, praesertim tempore Photii et Caerularii, tot tantasque peperit difficultates.

---

58 PL 54, 999-1009.

59 PL 54, 1029.

60 TDCO, I, 57; HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des Conciles*, II, 826.

61 CC 8, 54.

62 Canonibus 36 et 38; CC 11, 959; cfr. CC 12. 47 ss.

CAPUT III

THEOLOGIA ORIENTALIUM AB INEUNTE SAEC. VII USQUE AD PRIMUM PHOTII PATRIARCHATUM

62. Ecclesiastica conditio in Oriente hac periodo: Hoc praesenti capitulo complectimur Orientalium litteras theologicas ab initio dominationis arabicae usque ad annum 858, qui initium fecit primo Photii Patriarchatui. Haec autem periodus attentione est dignissima; in ea enim scissio consummata est inter doctrinam chalcedonensem et monophysiticam ac nestorianam; simul vero via paratur ad separationem Ecclesiae Constantinopolitanae a Sede Romana [1].

Nam, post inutiles illas concessiones a Monothelitis frustra tentatas, sublata Byzantinorum potestate, tam Nestoriani quam Monophysitae a catholica sententia definitive recedunt.

Regnante Heraclio (610-641) res ecclesiasticae in universo Imperio in melius mutari visae sunt. Triumphus quem a. 628 supra Persas reportaverat spem ingerebat fore ut Nestoriani pacem religiosam amplecterentur. Ad sedandas vero controversias monophysiticas, Heraclius, adhibere maluit *Monothelismum* a Patriarcha Constantinopolitano Sergio excogitatum; huic autem systemati adhaeserunt Copti, agente Cyro Alexandrino, Syri cum Patriarcha Antiocheno Anastasio et Armeni, qui unionem pepegerunt cum Byzantinis [2].

Sed mox Arabum per universam orientalem Imperii plagam grassantium incursiones hanc concordiae spem evanescere fecerunt. Cum enim a. 635-637 Arabes Syriam, Palaestinam, Persidem et Mesopotamiam expugnarent, annis autem 641-643 rerum potirentur

---

[1] Cfr. J. Pargoire A. A., *L'Église Byzantine de 527 à 847*[3], Pa 1923; L. Bréhier, in opere A. Fliche - V. Martin, *Histoire de l'Église*, 5, Pa 1938, 103-209, 431-503; G. Ostrogorsky, *Geschichte des Byzantinischen Staates*, München 1940, 52-146.

[2] Cfr. V. Grumel A. A., *Recherches sur l'histoire du Monothélisme*; EO 27 (1928), 6-16, 257-277; 28 (1929), 19-34, 272-282; 29 (1930), 16-26.

in Aegypto [3], cuncti Nestorianorum et Monophysitarum coetus sub Mahumedanorum venerunt potestatem; omni vero cum Byzantio abrumpto vinculo, Nestorianismus et Monophysismus vires resumunt, neque a propria recedunt sententia quando saeculo VIII ineunte primos persecutionis motus experiri incipiunt.

Eodem vero tempore Byzantini, tam Constantinopolitani quam Melchitici, magis magisque ad separationem vergunt. Ecclesia enim Byzantina suam modo disciplinam, haud raro romanis usibus e regione oppositam, sollemniter confirmavit; et durante crisi *Iconoclasmi* studiose fovet theologiam quandam aulicam Imperatoribus facile obaudientem, quae nullo negotio a recto tramite abalienare se sinit, quaeque postea viam munit ad dissidium.

Anno 692, regnante Iustiniano II (685-695, 705-711), cuius nota est politica religiosa [4], Constantinopoli, in Aula imperialis palatii, coadunata fuit *Synodus Trullana,* quae suis 102 canonibus complere intendit Concilia Oecumenica V et VI, qua de causa « Quinisexta Synodus » audit [5]. Plura sane in hac Synodo recurrunt contra iura et dignitatem Ecclesiae Romanae, cuius usus saepius Trullani Patres reprehendunt, eis opponentes praescripta in sic dictis Canonibus Apostolorum, videlicet:

a) Romani in *Quadragesimae* observatione discriminantur a Byzantinis, qui initium ieiunii ducunt a feria II Septuagesimae, a feria autem II Quadragesimae « xerophagiam » colunt, Sabbato vero ieiunium solvunt contra morem Romanorum die quoque Sabbato ieiunantium, id quod Patres Trullani sub excommunicatione reprobant (Can. 55).

b) De diaconorum et presbyterorum nuptiis Trullana Synodus gravissimis illatis poenis interdicit ne *coelibatus* Romanorum, quem apostolocis legibus contrarium ducit, inter Byzantinos inducatur (Can. 13).

c) Romae nonnisi septem numerantur Urbis *diaconi;* Byzantii vero septenarius hic numerus accipiebatur non de diaconis sacris ordinibus auctis, sed de iis quibus communitatis administratio et cura commissa est (Can. 16).

---

[3] L. Caetani di Teano, *Bizanzio e la chiesa orientale alla vigilia dell'invasione araba*: Studi Religiosi, Firenze 1907; C. Becker, *The Expansion of the Saracens*; Cambridge Mediaeval History, II, Lo 1913, 329-364, 365-390; E. Amélineau, *La conquête de l'Égypte par les Arabes*; Revue Historique 119. 120 (1915).

[4] F. Görres, *Iustinian II und das Römische Papsttum*; BZ 17 (1908), 432-454; cfr. 437, 440-450.

[5] CC 11, 930-1006; J. Hardouin, *Conciliorum Collectio*, 3, 1665 ss.; Héfele-Leclerq, *Histoire des Conciles*, 3, Pa 1909, 560-581; XC, 1850, II, 75-122, 151-182, 279-336, 385-399.

His accedunt multi alii Byzantinorum usus a propriis fontibus eruti [6], quos Trullani episcopi ut unice tenendos tradunt in universa Ecclesia. Quae cum ita sint, nihil mirum si SERGIUS PP. I, vel vitae periculum faciens, suam deneget approbationem, quam IOANNES VII concessit solummodo canonibus illis qui « rectae fidei, bonis moribus et decretis romanis non contradicerent » [7]. Inter canones autem reiectos numerandi sunt canones 36 et 38, quibus Trullana Synodus, absque ulla mitigatione, instauravit canonem 28 Chalcedonensem, id quoque iure potest accipi ut aperta contra Romanam Ecclesiam rebellio [8].

Haec rerum conditio difficilior redditur cum LEO III aliique Imperatores dynastiae syrae sacris imaginibus bellum movere coeperunt. Tunc enim temporis plura sane agunt et scribunt graeci orthodoxi doctores e Patriarchatibus Melchiticis et ex praecipuis Monasteriis; simul vero non desunt, praesertim inter episcopos, qui pravam imperantium sententiam suam faciant et contra Iconophilos scripto decertent, etiamsi eorum opera prorsus interierint [9]. Et quidem obsoleta cito devenit eorum doctrina; perseveravit autem inclinatio eruditorum byzantinorum, eorum inquam qui altiora in Universitatibus excolebant studia, ut ad nutum Imperatoris doctrinam componerent.

Hisce sic se habentibus, paucis ex ordine agemus de praecipuis scriptoribus Nestorianis et Monophysitis, deque Byzantinis qui hac nostra periodo floruere.

ART. I

Theologi nestoriani

63. ECCLESIA NESTORIANA SAEC. VII-IX: Rerum politicarum eventus in Persia nullum detrimentum attulere Ecclesiae Nestorianae; quae e contra magis florere pergit tota hac periodo, novis aucta fidelibus, patrocinio gaudens Chalifarum, et praeser-

---

[6] J. DESLANDES, *Les sources canoniques du droit oriental*; EO 32 (1933), 476-487.

[7] F. GÖRRES, l. c., 450. 453.

[8] Ita sentit vel ipse J. LANGEN, *Geschichte der römischen Kirche von Leo I bis Nikolaus I*, Bonn 1855, II, 590.

[9] Iconomachi multiplicarunt scripta contra imaginum cultum, cum soluto tum etiam ligato sermone, praesertim tempore CONSTANTINI V, qui et ipse non solum gladium sed etiam calamum strinxit. Nescimus vero vel nomina horum scriptorum, praeter GERONTIUM LAMPENSEM. Quare solum nobis restant definitiones dogmaticae conciliabuli ad Hieriam (a. 753) et Synodi a LEONE V coacti (815), et bina florilegia patristica. J. PARGOIRE, *L'Église Byzantine*, 368-370. Cfr. infra ad n. 73 alia recentiora subsidia bibliographica.

tim multiplicatis expeditionibus missionariorum qui doctrinam nestorianam late spargunt [1].

Iam ab exordio dominationis Arabum christiana religio fere evanuit in littore occiduo Sinus Persici [2]; in reliquo vero territorio *mazdaeenses*, absque ulla iam formidine auctoritatis civilis, frequentissimi nomen dederunt Christianismo [3].

Caliphae autem eorundemque missi, etsi quandoque in christianos saevitiam exercuerint, generatim clementer agunt. OMAR suum obtulit patricinium Catholico IŠO'YAHB II [4]. Huius successor IŠO'YAHB III de honore ab arabibus christianis delato grato animo commemorat [5]; TIMOTHEUS I, favore fretus AL-MAHDĪ, HARUN-AL-RAŠID et AL-MA'MUM, suam amplificavit Ecclesiam et scholas multiplicavit [6].

Denique ad *dilatationem Nestorianismi* quod attinet extra confinia Persidis, COSMAS INDICOPLEUSTES mentionem facit versus a. 520-525 quorundam coetuum christianorum in *India* insulisque ei adiacentibus [7], de quibus nonnulla scribunt atque decernunt Catholici Nestoriani hac nostra periodo [8]. Duobus annis ante finem Imperii Sassanidarum (635) ALOPEN, nestorianus monachus, ingressus est *Sinam*, ubi prima semina iecit Christianismi, qui sese spargit, sub dynastia T'ANG usque ad annum 845, quando res in peius mutatae sunt [9]. Huius primae Evangelii apud Sinas praedicationis monumenta quaedam servantur, inter quae primum locum occupat celebris illa *Sura de vita Mesiae*, seu *Stela ad Si-ngan-fu*, quae saepius adhibens voces shintoistas et imagines Sinarum proprias, breviter exponit christianam doctrinam [10]. Denique, auctore TI-

---

1 E. TISSERANT, *Nestorienne (l'Église)*; DTC 11, 187-213.

2 *Išo'yahb III liber epistularum*, ed. R. DUVAL; CSCO, Script. Syri, Ser. II, 64, Pa 1905, 179s. 182.

3 Cfr. Ibid., 171.

4 Textum recole in *Chronique de Séert*; PO, 13, 620-623.

5 *Išo'yahb III liber epistularum*; l. c., 123.

6 H. LABOURT, *De Timotheo I Nestorianorum Patriarcha (728-823) et christianorum orientalium condicione sub Chaliphis Abbasidis*, Pa 1904, 25-49.

7 COSMAS INDICOPLEUSTES, *Topographia Christiana*; PG 88, 169, 445. Ad sic dictam Legendam S. Thomae circa originem christianitatis in India vide, sis, G. CATHANAR, *The Catholicity of the St. Thomas Christians*, Trivandrum 1904; A. VÄTH S. I., *Der hl. Thomas der Apostel Indiens*, Aachen 1925; J. C. PANJIKARAN, *Christianity in Malabar with special reference to the St. Thomas Christians of the Syro-Malabar Rite*; OC, n. 23 (1926).

8 H. LABOURT, *De Timotheo I Nestorianorum Patriarcha*, 41 s.

9 G. ROSENKRANZ, *Die älteste Christenheit in China* 2, Be 1939 (Schriftenreiche der Ostasien-Mission, Heft 3/4); P. M. D'ELIA S. I., *Fonti Ricciane, I. Storia dell'introduzione del Cristianesimo in Cina*, R 1942; Introduzione, lv-lxiii: Il primo Messaggio Cristiano.

10 Textum in gallicum idioma conversum dat F. NAU, *L'expansion nestorienne en Asie*, Pa 1914, 347-383; versionem autem anglicam P. Y. SAEKI, *The Nestorian monument in China*, Lo 1916, 162-180, a quibus suam versionem desumit E. TISSERANT, DTC 11, 201-202.

MOTHEO I[11], Nestoriani ecclesias condunt in *Asia* centrali et anteriore, et in reliquis regionibus Calipharum potestati subiectis.

64. PRAECIPUI SCRIPTORES NESTORIANI: In veteribus autem monumentis christianis Nestorianorum in iis regionibus, non excepta ipsa Stela ad Si-ngan-fu, nullus fit sermo de quaestione nestoriana, neque amplior reperitur dogmatis expositio. E contra Scholae Persidis et Mesopotamiae plures numerant hoc tempore scriptores, quorum praecipui habentur:

IŠO'YAHB III († v. 658)[12], natione Adiabenus, ab anno autem 650 ad Catholicatum evectus, christologiam nestorianam contra Iacobitas Mosulenses et contra Sahdona ad Catholicismum conversum propugnavit. Eius exstant *epistulae*[13] et opuscula liturgica *De Ordinibus Sacramentorum*, fragmentarie tantum edita[14].

MARTYRIUS-SAHDONA, Išo'yahb III primo quidem amicitia coniunctus, postea vero ei infensus, a quo et a sua sede Arevanensi pulsus fuit, doctrinam rectam chalcedonensem tuitus est. Eius autem operum pauca supersunt, quae potius ascesin respiciunt[15].

GEORGIUS I, Catholicos Seleuciae (660-680)[16], cuius fertur, praeter canonicas decissiones[17], *Epistula dogmatica de Incarnatione Verbi*[18].

IOSEPH HAZZÂYA († ad finem saec. VIII)[19], monachus in monasterio Abba Şliba, auctor est plurimorum operum[20], quorum duo tantum nobis servata sunt: *Quaestiones et responsa* argumenta agitantia theologica et moralia, et *Capita Scientiae*, quae in re ascetica et mystica versantur[21]. Alia vero absque ullo dubio opera com-

---

11 Ceterum, iam ante TIMOTHEUM I, in praecipuis urbibus Palaestinae, Syriae, Armeniae, aliarumque regionum Asiae Nestorianorum exstabant ecclesiae; cfr. H. LABOURT, o. c., 39 s.

12 GSL, 197-198; R. DUVAL, *La Littérature Syriaque*[3], Pa 1907, 370.

13 R. DUVAL, *Išo'yahb III liber epistularum*; CSCO, Scriptores syri, ser. II, 64, Pa 1905.

14 Horum excerpta habes apud G. P. BADGER, *The Nestorians and their Rituals*, II, Lo 1852.

15 GSL, 221 s. Quae supersunt syriace edidit P. BEDJAN, *Sancti Martyrii, qui et Sahdōnā, quae supersunt omnia*, Pa L 1902; H. GOUSSEN, *Martyrius-Sahdona's Leben und Werke ... Ein Beitrag zur Geschichte des Katholizismus unter den Nestorianer*, L 1897 iam antea quaedam germanice dederat; A. DE HALLEAUX O. F. M., *Martyrios-Sahdona. La vie mouvementée d'un « hérétique de l'Église nestorienne »*; OCP 24 (1958), 93-128.

16 GSL, 208-209.

17 SO, 480-490.

18 Illam gallice edidit J.-B. CHABOT, SO, 490-514.

19 De hoc auctore lege A. SCHER, *Joseph Hazzâyâ, écrivain syrien du VIII siècle*; Rivista degli Studi Orientali, 3 (1910), 45-63; GSL, 222-223.

20 In suo *Catalogo* EBEDIESU ait illum scripsisse 1900 tractatus diversos; BO, III, pars I, 102. Ut scriptor autem Ioseph nomen usurpat sui fratris Abdišo'.

21 A. SCHER, l. c., 48-54; A. GUILLAUMONT, *Sources de la doctrine de Joseph Hazzâyâ*; OS 3 (1958), 3-24.

posuit, quae TIMOTHEUS I a. 791 anathemate inusit, non obstante qua Ioseph gaudebat sanctitatis fama [22].

THEODORUS BAR KONI [23], Kaskarensis episcopus, hoc eodem tempore in suo *Libro Scholiorum* tractatus exaravit contra Monophysitas, Chalcedonenses, Arianos et Paganos [24].

TIMOTHEUS I, qui per 43 annos (780-823) Ecclesiae Nestorianae ut Catholicus moderatus est [25], nomen sibi amplissimum acquisivit non solum suis rebus gestis, verum etiam multiplicatis scriptis. Fuit enim TIMOTHEUS bonarum artium propugnator [26] et cultor assiduus, versatus valde in philosophia et theologia [27], librorum semper avidus [28]; et licet doleat sibi in Urbe regia tot tantisque curis confracto nullum relinqui tempus ut animum studiis applicet [29], plures tamen tractatus confecit. Ex illis novimus *Librum stellarum, Disputationem cum Mahdi* [30] seu apologiam christianae religionis adversus mahumedanos, aliud opus incerti tituli quod plures suspicantur tractatum contra Iacobitas [31], *Homilias* de festis dominicis, *Interpretationem Theologi*, i. e. S. Gregorii Nazianzeni [32]. His accedunt *Epistulae* [33] et plura scripta canonica [34].

---

[22] Quantum scientia et virtutibus valeat apud suos apparet cum ex nomine *Hazzâyâ* seu « videns » ei communiter tributo, tum ex clausula primae sectionis libri *Capita Scientiae*, quam refert A. SCHER, l. c., 51.

[23] GSL, 218-219.

[24] A. SCHER, *Theodorus bar Kônî. Liber Scholiorum* (syriace); CSCO,Scriptores Syri, Ser. II, 65. 66, Pa 1910, 1912; ex his liber IX est contra Monophysitas, Chalcedonenses et Arianos; liber autem X dialogus inter paganum et christianum.

[25] O. BRAUN, *Der Katholikos Timotheos I und seine Briefe*; OCh 1 (1901), 138-152; H. LABOURT, *De Timotheo I Nestorianorum Patriarcha (728-823) et Christianorum Orientalium condicione sub Chaliphis Abbasidis*, Pa 1904; GSL, 217-218.

[26] Bagdadi ipse scholam theologicam condidit v. 799; scholam autem Beit-Lapatensem omni sollicitudine circumvenit; H. LABOURT, *De Timotheo I*, 29 s.

[27] Eius in Sacris Scripturis eruditionem simul et acumen testatur Epistula edita ab O. BRAUN, *Ein Brief des Katholikos Timotheos I über biblische Studien des 9 Jahrhunderts*; OCh 1 (1901), 300-313. De eius intima cognitione philosophiae aristotelicae et operum SS. PP. cfr. H. LABOURT, o. c., 26-28.

[28] Praesertim suis epistulis ad Sergium Metropolitam Elamensem continuo eum rogat ut novos ei libros mittat, diligenter exquirat in monasteriis, sui gratia illos exscribat. O. BRAUN, *Timothei Patriarchae I Epistulae*; CSCO, Scriptores Syri, Ser. II, 67, 71-72. 80. 86. 87. 106. 194. Imo, suo amico ingenue commendat: « Mitte nobis textum Dionysii [iuxta] versionem Athanasii aut Phocae, quam uno mense exscripturi et remissuri sumus, Pete eam tibi ad legendum. Nemo sciat eam mittendam. Eam velociter exscripturi sumus et remissuri tibi »; Ibid. 184.

[29] H. LABOURT, o. c., 26.

[30] Edidit A. MINGANA, *Timothy's Apology for Christianity*; Woodbrooke Studies 2 (Cambridge 1928), 1-162.

[31] Sic O. BRAUN, l. c., 147 cum ASSEMANI, BO, III, pars 1, 163.

[32] Hoc opus Timotheo tribuendum asserit A. BAUMSTARK, GSL, 217.

[33] O. BRAUN, *Timothei Patriarchae I Epistulae*; CSCO, Scriptores Syri, Ser. II, 67, R 1915; R. J. BIDAWID, *Les Lettres du patriarche Nestorien Timothée I*; StT 187 (Città del Vaticano 1956).

[34] Videlicet, *Ordines iudiciorum ecclesiasticorum et de hereditatibus; Definitiones canonicae 99* editae latine a H. LABOURT, *De Timotheo I Nestoria-*

Išo'bar Nun, Timothei I in Catholicatu successor (823-828), praeter homilias et litteras, plura reliquit theologiam, exegesin, ius canonicum et grammaticam spectantia [35]. Edita vero sunt pauca fragmenta ex suis *Quaestionibus ad S. Scripturam* [36].

Išo'dad Mervensis (saec. IX), qui plures libros commentarios edidit in Vetus et Novum Testamentum, quorum nonnulli typis vulgati sunt [37]; et quidem non sine utilitate ad doctrinam quod attinet [38].

65. Doctrina christologica: Philosophia aristotelica, quae doctorum nestorianorum mentes occupat [39], non potuit non influxum exercere in litteras theologicas [40]. Magis vero apud theologos valuit periculum quod Monophysitae et Melchitae creant doctrinae Nestorianae, quam nonnulli Persarum, Sahdônam secuti, deponere non sunt veriti. Contra hos praesertim decertant nostri auctores, sive vehementiore aestu, ut Išo'yahb III, sive mitiore calamo, ut Timotheus I, qui eo usque progressus est ut a veteri ratione nonnihil deflectat.

Doctrinam in Ecclesia Nestoriana communiter receptam exponit Guiwarguis — seu Georgius — I: « Confitemur illum [Christum] esse unum Filium Dei in eius divinitate et humanitate. Licet duae adsint naturae, cum sit Deus natura et hypostasi, et homo natura et hypostasi, nihilominus unum confitemur et glorificamur filium Dei » [41]. Hanc porro sententiam Evangelio et Sanctis Patribus commendari contendit [42], vestigiis inhaerens Episcoporum anno 612 coadunatorum [43].

Atqui haec contra Monophysitas diriguntur. In illos invehitur Išo'yahb III verbis durissimis [44]; putat enim de illorum sententia

---

norum Patriarcha, 50-86 et *Tomi synodici* sive prima collectio canonica Nestoriana; cfr. SO, 13.

35 GSL, 219-220.

36 Apud R. Harris, *Fragments of the comm. of Ephrem Syrus*, Lo 1895.

37 M. D. Gibson, *The Commentaries of Isho'dad of Merv, bishop of Hadatha (c. 850 A. D.)*; Horae Semiticae No. V, Cambridge 1911; C. van den Eynde, *Commentaire d'Išo'dad de Merv sur l'Ancient Terstament*; CSCO, Syri, t. 75, 80 (Louvain 1955, 1958).

38 Eius conceptus exegeticos perpendit prae aliis J. M. Vosté OP, articulis editis in Bi 25 (1944), 261-296; 29 (1948), 1-30, 169-194, 313-320.

39 R. Duval, *La littérature syriaque* 3, Pa 1907, 254. Cfr. A. Baumstark, *Griechischen Philosophen und ihre Lehren in syrischen Überlieferung*; OCh 5 (1905), 1-25.

40 Epistulas si legas Išo'yahb III vel Timothei I plures graecas voces invenies a philosophis petitas.

41 SO, 500.

42 SO, 510-513.

43 Cfr. n. 48. Sed longe distat a Symbolo Nestoriano a. 612, quod, ne difficultates augeret, mitissima loquendi ratione utitur; cfr. S. Giamil, *Symbolum Nestorianum anni p. Ch. n. 612*; OCh 1 (1901), 61-79; vide 71-75.

44 « Quis non sanctificabit manus suas verberando eos? Quis non dilacerabit labia eorum? Quis non allidet maxillas eorum? Quis non scindet vesti-

solvi Christi cum hominibus consubstantialitatem, adeoque omnem sanctificationis et glorificationis spem nobis eripi [45]. Sed imprimis ipse impugnat Martyrium-Sahdônam, qui verbo et scriptis chalcedonensem doctrinam de una in Christo hypostasi propugnabat [46]. Id autem idcirco falsum ducit « quod una hypostasis necessario unam naturam demonstret » [47], doctrina vero Sahdônae oriatur a vocabulorum natura, hypostasis et persona arbitraria commutatione [48]. Sic Patriarcha, qui de sua cum monachis Izalensibus, veteris nestorianae sententiae vindicibus, spirituali cognatione gloriatur [49].

66. Christologia Timothei I: Ab hoc rigidiore Nestorianismo recedit Timotheus I, qui etiamsi Henanianos denuo damnasse feratur, re tamen vera in quaestione *christologica* irenice procedit, et momentum controversiae minuens, et morem gerens vel ipsi doctrinae Monophysitarum atque Monotheletarum, singulari quadam explicatione de unione utriusque naturae in Christo [50].

In quadam epistula lecta in synodo a. 790-791, et confirmata in Synodo a. 804-805 Timotheus decretum fert de libris recipiendis vel repudiandis; quos inter una cum operibus Henanae, Sahdônae et Isaiae Tahalensis, refert scripta Ioannis Daliathensis. Ioannis Apameensis et Iosephi Hazzayae [51]. Videtur tamen hos ultimos damnari tamquam *Messalianismi* fautores [52]. Id sane apparet satis ex his quae novimus circa doctrinam Iosephi Hazzayae; qui, licet fateatur se a doctrina Theodori declinasse, addit id obtinere solummodo in rebus minoris momenti [53]; relate autem ad Unionem sibi servat formulas de duabus hypostasibus et de unione iuxta complacentiam [54] apud Nestorianos usurpatas. Ex alia

---

menta impura quae sunt in corporibus turpibus? ... »; R. Duval, *Išo'yahb III liber epistularum*; CSCO, Scriptores Syri, Ser. II, 64, 163.

45 Ibid., 208.

46 Ibid., 96-103. 105-106. 147-149. 151-155; A. de Halleux O. F. M., *La christologie de Martyrios-Sahdona dans l'évolution du Nestorianisme*; OCP 23 (1957) 5-32.

47 R. Duval, o. c., 97.

48 « Disce vero a linguae peritis qnômâ appellari ὑπόστασιν ... parsôpa vero appellari πρόσωπον ... »: Ibid., 101; cfr. 100.

49 Ibid., 122-173. Cfr. quas Izalensibus tribuit laudes: « certamina magna subiistis patientes pro veritate, cum spectaculum praebuistis zelo adversus corruptores fidei, et arrogantiam potentium cum gaudio sustinuistis, nec sivistis velum erroris ne puncto quidem temporis obscurare lumen veritatis »; Ibid., 16-17.

50 Christologiam Timothei evolvit M. Jugie A. A., TDCO, V, 208-211 et ante illum H. Labourt, *De Timotheo I Nestorianorum Patriarcha*, 15-21.

51 BO, III, Pars I, 101; cfr. H. Labourt, o. c., 20 s.

52 Ita contra Hoffmann et Labourt bonis argumentis ostendit A. Scher, *Joseph Hazzâyâ écrivain syriaque du VIII s.;* Rivista degli Studi Orientali, 3 (1910), 54-58; Doctrine de Joseph Hazzâyâ.

53 *Capita Scientiae*, sect. 2, tract. 6: de divina natura; cfr. A. Scher, l. c., 53.

54 Ibid., 54-55: in Unione, ait, « servantur duae naturae et duae hypostases in unica persona Oeconomiae ».

vero parte docuit divinitatem Unigeniti ab eius humanitate videri, animas semper in Deo exstitisse, aliosque errores relate ad orationem, quae omnia sub nomine Messalianismi concluduntur [55]. Haec autem sententia, veteri collectioni Canonum Ecclesiae Syro-Nestorianae quae epistulam synodicam refert, apprime respondens [56], videtur ansam dedisse condemnationi a TIMOTHEO contra IOSEPH latae.

TIMOTHEUS autem clare statuit dictinctionem inter Nestorianismum, Monophysismum et doctrinam Chalcedonecensem, qua de re vel in sua disputatione cum MAHDĪ verba facit [57]; attamen animadvertit: « Omnes enim pariter et Deum perfectum et hominem perfectum confitemur salvatorem nostrum; neque de ipsamet unione sed de modo et qualitate huius unionis nobis est mutua contentio et pugna » [58]. In doctrina enim de Unione penes Melchitas et Severianos aurum quidem, etsi non sine aerugine, reperitur [59].

Insigne autem christologiae TIMOTHEI in eo est quod Christus, etiam ut homo, minime *servus* dici queat [60]. Ad hoc autem asserendum imprimis ostendit humanitatem Christi simul creatam esse et unitam Verbo, « ita ut caro non fuerit primum caro hypostatice, deinde Deus unitive, ita ut quasi per gradus procederet ad deificationem. Sed statim ac caro fuit, statim caro Dei fuit » [61]. Age iam, indecens est Filium Dei servum haberi. Illum non latet NESTORIUM et THEODORUM Christum hominem natura servum dicere [62]; sed difficultatem solvit; id enim valet de natura humana in genere, non de natura singulari seu de hypostasi [63].

His autem TIMOTHEUS adducitur ad struendam Unionem veri nominis, quae vix differt ab unione « naturali » Severianorum. Ne-

---

[55] Cfr. H. LABOURT, l. c., 22.

[56] « Alium praeterea ex eodem grege Iosephum dictum inter cetera dixisse: Si donum Spiritus accipere cupitis, nolite ad orationem et ministerium vos convertere ... Alicubi etiam ab eodem Iosepho haec praeterea iactari: Cum quispiam ad perfectionem pervenerit illum oratione minime indigere neque Psalmis ... Illum quoque affirmare animam una cum corpore nequaquam creatam esse, sed eandem cum Deo praeexstitisse ... ».

[57] A. MINGANA, *Timothy's Apology*, l. c. 87, occasione arrepta ex dicto: Deus passus est.

[58] O. BRAUN, *Timothei Patriarchae I Epistulae;* CSCO, Script. Syri, Sect. II, 67, R 1905, 98.

[59] Ibid., 96 s. Imo videtur TIMOTHEUS arbitrari etiam reliquos christianos ad magnam Dei Ecclesiam pertinere. Quare et multis ostendit non esse denuo baptizandos cyrillianos, Melchitae illi fuerint vel Iacobitae; Ibid., 1-21.

[60] De illis fusius agit litteris *ad sacerdotes et fideles qui in civitate Basra et Huballat sunt, ad Nasr fidelem, epistula secunda ad Nasr fidelem;* Ibid., 106-183.

[61] Ibid., 108.

[62] Ibid., 129; cfr. 160.

[63] « Applica diligenter mentem tuam verbis Patrum et invenies eos, sicut Scripturam Spiritus, ita appellationem servitutis et servi in naturam communem referre. Non enim hypostasin humanitatis Domini nostri, sed naturam humanitatis eius servum vocant »; Ibid. 160.

que enim temperat a clara professione Monothelismi, ex Monophysismo promanantis. *Unam* enim in Christo *virtutem*, unam *operationem*, unam *voluntatem* praedicat [64], sumens « personam Filiationis », non solum tamquam veri nominis personam, sed tamquam naturam unam, etsi retineat appellationem duarum hypostaseon. Quae cum ita sint nihil mirum si ad Maronitas scribens, hisce utatur: « Nam hypostases constringit, et adunat unitas filiationis naturalis et personae, et in unam ἐνεργείαν et proprietatem duas hypostases ego colligi censeo » [65].

Haec si attendas non miraberis Catholicum Išo'bar Nun de christologia nostri Timothei « adeo sinistre sensisse, ut auctoris nomen e diptychis aliquandiu expunxerit » [66].

67. Nestoriani et Primatus Romanus: Valde radicata semper fuit in Ecclesia Nestoriana reverentia erga B. Petrum principem Apostolorum, a quo suam auctoritatem repetit Catholicus Seleuciae Mar Dadišo' in Synodo a. 528 [67]. Et quidem iam ab exordiis Ecclesiae Nestorianae facile est testimonia multiplicare liturgica et canonica, quibus dignitas B. Petri supra universam Ecclesiam extollitur [68]. Sed si moveatur quaestio de suprema potestate Romani Pontificis, vetera documenta silent [69]; saeculo autem VIII ineunte Primatus Romanus *theoretice* saltem recipitur una cum *canonibus Nicaeno-arabibus* [70].

---

[64] « Neque dicimus duas voluntates, neque duas proprietates aut operationes. Unio enim ineffabilis unam voluntatem et virtutem et unam operationem et unam proprietatem perficit ... Et si in Christo una est virtus, eius autem qui unam virtutem habet etiam una est operatio, eius autem qui unam operationem habet una est voluntas; ergo de Christo Domino uiiversim una voluntas praedicanda est »; Ibid., 177.

[65] Hac epistula ad monachos Mar Maronis utitur H. Labourt, o. c., 18 s. Bene animadverte in hac epistula Timotheum non requirere ut plane desserant vocem *Deigenitricem*, sed tantum ut dicant: « Genetrix Christi Domini nostri qui est Deus super omnia, id est, *genetrix Dei simul et hominis* ».

[66] TDCO, V, 211 s.

[67] SO, 291-294. De toto hoc argumento vide M. Jugie A. A., *L'ecclésiologie des Nestoriens*: EO 34 (1935), 5-25; W. de Vries S. I., *Der Kirchenbegriff der von Rom getrenten Syrer*; OCA 145, R 1955, 45-47.

[68] TDCO, V, 42-45; *Compendium Theologiae Orientalis* 3, R 1950, 219.

[69] Testimonia Nestorianorum recole in opusculis tempore Concilii Vaticani editis: I. David, *Antiqua Ecclesiae Syro-Chaldaicae traditio circa Petri Apostoli eiusque successorum Romanorum Pontificum divinum Primatum*, R 1870; G. E. Khayyath, *Syri Orientales, seu Chaldaei, Nestoriani et Romanorum Pontificum Primatus*, R 1870. Vide etiam Dom Emmanuel O. S. B., *Doctrine de L'Église Nestorienne sur la Primauté de S. Pierre*; ROC 1 (1896), 137-148; P. 'Azziz Hoh, *Primatus in doctrina Nestorianorum illustratus novis argumentis*; ACV 5 (1927), 97-104; W. de Vries S. I., o. c., 49-61.

[70] Illos cfr. in CC 2, 947-1010; O. Braun, *De Sancta Nicaena Synodo; Syrische Texte des Maruta von Meipherkat*, Münster 1898, 61-110.

Canones numero variant; collectiones melchiticae norunt 84 [71]; plures autem collectiones syriacae 73 [72]; auctorem vero habent melchitam quendam e Patriarchatu Antiocheno [73]. Saeculo autem VIII ineunte, citissime propagantur per universas Orientis ecclesias, etiam inter Monophysitas et Nestorianos [74], apud quos hodiedum auctoritate gaudent maxima; existimantur enim a Synodo Nicaena lati. Tanti Concilii auctoritate devincti Nestoriani canones recipiunt, etiamsi Sedi Seleuciae-Ctesiphonti nonnisi quaedam iura patriarchalia concedantur, et quidem cum subiectione erga Patriarcham Antiochenum [75].

Canones, qui primum locum inter Patriarchas Romano Pontifici attribuunt (can. 37), huius auctoritatem ita accipiunt ut sit *auctoritas iurisdictionis* veri nominis in universam Ecclesiam, ut expresse habet *Canon 44*: « «Et quemadmodum Patriarcha potestatem habet faciendi quodcumque vult congruenter circa eos qui potestati eius subsunt; similiter potestas sit patriarchae Romano supra omnes patriarchas, sicut beatus Petrus supra totam communitatem, quandoquidem locum etiam Petri tenet in universa Ecclesia ille qui Romae » [76]. Quod vero Can. 44 edicit, confirmat *Can. 70* [77], qui primo reperitur in collectione Eliae-al-Gauri altera medietate saec. IX [78], *de appellationibus* ad Sedem Romanam iura commemorans a Sardicensi Concilio agnita Romanae Sedi.

Non defuerunt qui vim horum documentorum imminuerent [79]. Sed certe Nestoriani hac nostra aetate eis confidenter utuntur. Ad Can. 44 alludit Timotheus I, scribens ad quendam principem Indiae: « Canon vero ecclesiasticus praecipit ut inferior pareat supe-

---

[71] J. B. Darblade, *La collection Canonique Melchite d'après les manuscrits arabes des XIII-XVII siècles;* OCP 4 (1938), 102.

[72] O. Braun, o. c., 18 ss.

[73] J. B. Darblade, l. c.

[74] P. Cheikho, *Les peines ecclésiastiques dans l'ancient droit de l'Église Chaldéenne,* R 1935, 50-54.

[75] Can. 38, 40. Incommodum ut vitarent Nestoriani confinxerunt duas epistulas; in prima thronus Seleuciae Sedibus Patriarchalibus in omnibus aequatur; in altera asseritur « Patriarcham omnium christianorum Orientis esse iudicem, ipsius autem patriarchae iudicem esse Christum ». Ebediesu, *Nomocanon*; apud A. Mai, *Scriptorum veterum nova collectio,* X, 161 164; BO, III, Pars 1, 54-56.

[76] Ebediesu, *Nomocanon,* tract. IX, c. 5; apud A. Mai, *Scriptorum veterum nova collectio,* X, 165.

[77] Vel 71; CC 2, 1005.

[78] P. Cheikho, o. c., 52.

[79] E. Eubinger, *Abessinien und der hl. Stuhl;* Tüb. Theol. Quartalschr. 92 (1910), 392, putat his canonibus Romano Episcopo concedi tantum « quoddam inspectionis vel directionis ius ». Etiam E. Ammann, *Nestorienne (L'Église), Théologie*; TDC 11, 308 mavult « rester sur une certaine reserve ». W. de Vries S. I., o. c., 54 s. censet horum canonum receptionem penes Nestorianos eorum Ecclesiologiae vix influxisse: « kaum beeinflusst hat ».

riori. Et sic ab omnibus obedientia terminatur in Romanum Patriarcham, ipse enim Simonis Petri locum obtinet » [80].

Huius autem doctrinae nonnihil obliviscitur ipse TIMOTHEUS, cum propriae Sedis dignitatem extollens, suum de *Pentarchia* systema statuit.

Iam in Synodo IŠO'YAHB I (a. 585) apparet constituta Ecclesia sub quinque Patriarchis, quorum quattuor in Occidente unus autem in Oriente, a Spiritu Sancto aevo postapostolico suscitatis [81]. Patriarchae autem omnes aequali et suprema in sua quisque Ecclesia auctoritate gaudent. TIMOTHEUS haec iterat, ratione fere usus a Byzantinis postea usurpata: « Unus idemque Spiritus Ecclesiam catholicam, quae est sub omni caelo, perficit per has quinque sedes, sicut per quinque sensus corporis et animae, et sicut per quinque libros Veteris Legis, et sicut per quinque Evangelistas [82] praecones regni caelorum » [83]. Sed praeterea contendit Patriarchatum Seleuciae primum esse; « si enim Romae propter Petrum apostolum ordo primus et principalis servatur, quanto magis ergo Seleuciae et Ctesiphonti propter Dominum Petri? » [84]; quippe Christus natus est ex semine Abraham chaldaeo, et primum agnitus « a duodecim nostris legatis » [85].

Relate ad *alias quaestiones* animadvertenda est doctrina TIMOTHEI I de *animabus separatis*. Anima, a corpore discedens, si virtutes operata est, in locum amoenum paradisi, sin autem mala operata est, ad congregationem extra paradisum deputatur, ibique manet usque ad resurrectionem, possidens actualiter vitalitatem, virtualiter tantum intellectum et voluntatem [86]; quare nullam de transactis vel de futuris cognitionem retinet, nullam vel laetitiam vel poenam experitur [87]; iuvatur autem Sacrificio Altaris, quo, etsi non totaliter, magna ex parte condonantur peccata [88]. Atque his facile concluditur doctrina de Novissimis apud Nestorianos vulgata, a qua paululum recessit IOSEPH ḤAZZÂYA tradens omnes

---

80 G. E. KHAYYATH, o. c., 39 s., qui testimonium desumit a Nomocanone arabico ABU-L-FARADJ ABDALLAH IBN AT-TAYYIB.

81 SO, 419 s.

82 Quinarium numerum librorum ipse obtinet adiungendo Divum Paulum quattuor Evangeliis, sicut Deuteronomium quattuor libris Legis mosaicae additur; O. BRAUN, *Timothei Patriarchae I Epistulae;* l. c., 100.

83 Ibid., 102.

84 Ibid., 101.

85 Ibid.

86 De his tractatum integrum scripsit in sua *Epistula ad Rabban Bôktišo'* diaconum et medicum regis; Ibid., 21-47; v. 32.

87 Ibid., 35.

88 Ibid., 36.

animas separatas, tam iustorum quam peccatorum, uno eodemque loco versari [89].

Denique, HAZZÂYA, opere *Capita Scientiae,* suum fecit dogma catholicum de *Processione Spiritus Sancti;* « Fons ex Edem decurrens, arboresque rigans Paradisi speciem praebet Spiritus a Patre et Filio procedentis » [90].

ART. II

Theologi monophysitae

68. ECCLESIARUM MONOPHYSITARUM CONDITIO: Non una Monophysitarum sors fuit sub Arabum dominatione. Ecclesia enim *Coptica* et *Syra* intestinis luctis discruciantur. Litterae autem theologicae, quae apud *Coptos* prorsus languent [1], apud *Syros* antiochenos, tum ob intimum cum Nestorianis commercium, tum ob hellenismum sub Caliphis Abbassidis renascentem, florere pergunt. Denique Ecclesia Nationalis *Armenorum,* in confiniis posita inter Imperium Byzantinum et Arabicum, suam religiosam independentiam et institutiones ecclesiasticas studiose fovet [2].

Tota hac periodo in patriarchatibus Alexandrino et Antiocheno perseverat secta *Iulianistarum,* propria gaudentium hierarchia [3], quibuscum Severiani pluries, sed frustra, pacem inire conati sunt [4].

Praecipuum bonarum artium domicilium inter Syros habetur monasterium *Kenneschrense* ad Euphratem [5], quod illustrarunt SEVERUS SEBOKT († 667) [6], translator Aristotelis, Patriarcha

---

[89] A. SCHER, *Ioseph Hazzâyâ écrivain syriaque du VIII siècle;* Rivista degli Studi Orientali, 3 (1910), 58. Nota quoque hunc auctorem errorem Originis iterasse de fine poenae damnatorum.

[90] A. SCHER, l. c., 59.

[1] Cfr. M. KHOUZAM, *L'Illumination des intelligences dans la Science des Fondements,* R 1941, 5-14: *La littérature religieuse copto-arabe.* Les principaux facteurs politico-intellectuels.

[2] J. LAURENT, *L'Arménie entre Byzance et l'Islam depuis la conquête arabe jusqu'en 886,* Pa 1919.

[3] R. DRAGUET, *Julien d'Halicarnasse et sa controverse avec Sévère d'Antioche,* Louvain 1924, 260; Id., *Pièces de polémique antijulianiste.* 3: L'ordination frauduleuse des Julianistes; Mu 54 (1941), 59-89.

[4] R. DRAGUET, *Le pacte d'union de 797 entre les Jacobites et les Julianistes du Patriarchat d'Antioche;* Mu 54 (1941), 91-106.

[5] R. DUVAL, *La littérature syriaque*3, Pa 1907, 251.

[6] GSL, 246 s.

Athanasius Baladensis († 686)[7], qui in syriacum vertit *Isagogem* Porphyrii et Iacobus Edessenus, de quo mox sermo erit.

Armenorum sententia christologica, ut notum est, usque ad medium saec. VII fluctuans valde fuit. Nam, etiamsi Monophysismum in Synodo Vagarchapatensi (a. 491) amplexi fuerint, cum quaedam armenae provinciae ad Imperium Byzantinum pertinerent et suos miserint episcopos ad Concilia Oecumenica V et VI, non est mirandum si plures bene sentiant de Concilio Chalcedonensi[8]. Post cladem vero Byzantinorum unus inter Armenos Monophysismus regnat, non sine quadam Iulianismi specie. Hanc autem Ecclesiae Armenae a recta sententia abalienationem firmavit Synodus Trullana, mores Armenorum damnans[9].

68. Praecipui scriptores monophysitae: Ex his quae dicta manent satis intelligitur qui factum fuerit ut scriptores Copti hac periodo desint; secus vero accidat inter Syro-jacobitas et Armenos. Porro, praecipui de re theologica auctores ii feruntur:

Inter Syros iacobitas eminet Iacobus Edessenus († 708)[10] iure habitus scriptorum iacobitarum magis illustris saec. VII-IX. Litteris eruditus est in Kenneschrensi monasterio, quod cum episcopatu Edesseno commutavit a. 684. Pastorali autem muneri sponte renuntians, variis in monasteriis vitam egit sacris litteris docendis et libris perficiendis totus intentus. Eius opera plura exstant. Praeter lucubrationes de re grammatica et historica et versionem syriacam homiliarum Severi Antiocheni[11], recensenda sunt *Enchiridion* explicans terminos a philosophis adhibitos, *Resolutiones canonicae*[12]. tractatus *De causa prima* et *Hexaemeron*[13], *Ho-*

---

7 GSL, 256 s.

8 Hanc opinionum diversitatem in luce collocat *Narratio de rebus Armeniae*, sub ementito nomine Philippi Solitarii edita; PG, 127, 880-902 (cfr. Catholicum Isaac; PG, 132, 237-265). Opusculum saeculo VII exaratum putat H. Gelzer, BZ 1 (1892) 276 not.; alii vero serius fuisse scriptum tenent, et auctorem dicunt sive Demetrium a Cyzico, sive presbiterum Isaac; G. der Sahagian, *Un fragment grec de l'histoire ecclésiastique d'Arménie;* BZ 19 (1910), 43-45. Cfr. G. Garrite, *Narratio de rebus Armeniae;* CSCO, 132 (Louvain 1952), 382-400.

9 Cfr. Can. 32, 33; CC 11, 956-960.

10 GSL, 248-256. De auctoris vita et operibus egit C. Hayser, *Die Canones Jacob's von Edessa*, L 1886, 50-74. Cfr. I. Ortiz de Urbina S. I., *Patrologia Syriaca*, R 1958, 167-171.

11 *Chronicon* edidit E. W. Brooks in CSCO, Scriptores Syri, Sed. III, 4; Pa 1903, p. 197-257. Circa versionem Severi, praeter homilias editas in PO vide versionem Hymnorum Severi a Iacobo recognitam in PO, 6-7.

12 P. Lagarde, *Reliquiae iuris ecclesiastici antiqui syriace*, L 1856, 117-134; Th. J. Lamy, *Dissertatio de Syrorum fide et disciplina in re Eucharistica*, Lovanii 1859, 98-171; C. Kayser, *Die Canones Jakob's von Edessa übersetzt und erlaütert*, L 1886.

13 Editum est a J.-B. Chabot et A. Vaschalde, *Jacobi Edesseni Hexaemeron, seu in opus creationis libri septem;* CSCO, Scriptores Syri, Ser. III, 56. Pa 1928, 1932.

miliae et Litterae [14] quarum plures quaestiones agitant theologicas [15].

Georgius Arabum episcopus († 724) [16] multos explevit labores inter tribus nomades Arabiae et Mesopotamiae, quarum curam susceperat a. 686; simul vero litteris impense vacavit. Iacobi Edesseni socius, eius *Hexaemeron* complevit. Praeterea nobis reliquit *Canones, Commentarium de Sacramentis,* quasdam *metricas homilias* et *epistulas* [17], e quibus duae sunt maxime attendendae: Epistula ad Mari Teledensem de Incarnatione [18] et epistula ad Iesum reclusum, refutans trichotomiam Aphraatis [19]. Fuit etiam translator *Organon* Aristotelis.

Ioannes Darensis episcopus († v. 850) [20], cuius vita hactenus ignota est, praeclara autem opera scripta, videlicet: *Commentarium in Hierarchiam caelestem et Hierarchiam ecclesiasticam* ps. Dionysii, tractatus *De Anima,* quattuor libri *De resurrectione corporum,* totidemque *De Sacerdotio* [21].

Nominandi quoque veniunt alii, ut presbiter Simon Kenneschrensis, auctor tractatus *Contra Maximum* (Confessorem) [22]; Elias Apamensis († 724), cuius fertur *Apologia* suam ad Monophysismum conversionem vindicans [23], et David Abbas Beit-Rabbanensis († v. 790) [24], qui scripsit *Dialogum inter Melchitam et Iacobitam* in favorem additionis: « qui crucifixus est pro nobis », *Commentarium in c. 10 Geneseos* [25] et *Epistulas* [26].

---

[14] Homiliae ineditae sunt; ex Litteris in lucem prodierunt septem a diversis auctoribus editae; GSL, 249, n. 2.

[15] Ex Homiliis recolendae essent: *De sacrificio missae; De usu panis azymi, Contra Dyophysitas, De Trinitate et Incarnatione;* ex Litteris vero: *Ad diaconum Bardhadšabba contra Chalcedonenses. Ad Constantinum: utrum corpus Christi sit creatum, Ad Thomam de difficultatibus a Nestorianis prolatis.*

[16] GSL, 257-258; I. Ortiz de Urbina S. I., o. c., 172-173.

[17] Horum operum versionem dedit V. Ryssel, *Georgs des Araberbischofs Gedichte und Briefe aus dem Syrischen übersetzt und erläutert,* L 1891. Textum syriacum homiliarum de Consecratione Chrismatis et de Vita eremitarum edidit Id., *Poemi Siriaci di Giorgio vescovo degli Arabi* (VIII sec.), R 1892.

[18] V. Ryssel, *Georgs des Araber...,* 79-106 illam vertit una cum duabus aliis litteris, quibus Georgius respondet ad alias obiectiones Nestorianorum.

[19] Syriace prodiit cura P. Lagarde, *Analecta syriaca,* 108; germanice a V. Ryssel, *Ein Brief Georgs Bischofs der Araber an den Presbyter Jesus,* Gotha 1883 et in TU, 3 (L 1888) curante G. Bert.

[20] J.-B. Chabot, *Littérature Syriaque,* Pa 1934, 93.

[21] TDCO, V, 467.

[22] GSL, 247. Cum hoc scripto cognationem habent duo Opuscula: Quaestiones contra Maximianistas eodem, ut videtur, tempore exarata.

[23] J.-B. Chabot, *Littérature syriaque,* Pa 1934, 89; A. Van Roey, *La lettre apologétique d'Elie à Léon, syncelle de l'évêque chalcédoine de Harran*; Mu 57 (1944), 1-52.

[24] J. B. Chabot, *Littérature Syriaque,* 89.

[25] Editum a P. Lagarde, *Praetermissorum libri duo,* Gottingae 1879, 244 ss.

[26] Eas syriace vulgavit Ephraem II Rahmani, *Studia syriaca,* Monte Libano 1904.

Inter *Armenos* vero [27] antiquissima opera theologica habentur *Confutatio sectarum*, auctore Eznik Kolbensi [28] et homiliae Catholici Ioannis Mandacuni († 485) [29]. A tempore autem Monophysismi usque ad saec. IX unus tantum occurrit, ceteroquin praeclarissimus, scriptor Ioannes III Oznetzi († 728), « Philosophus » dictus, qui ad Catholicatum evectus fuit a. 718. Huius auctoris servata nobis sunt: *Oratio Synodalis* (a. 719), *Sermo contra Paulicianos, Contra Phantasticos, De Officiis Ecclesiae, De magna die Prima-Sabbati, Fragmenta de hora nocturna* et *de hora vespertina, Memoriale de libro Canonum* [30], quibus latinus editor adiunxit homilias *De ritu consecrationis Ecclesiae* et *Panegyricum in Dedicatione Ecclesiae*.

Haec si attendas deprehendes scriptores monophysitas hac aetate attentionem suam convertere ad Sacram Scripturam (Iacobus Edessenus, Georgius Arabum ep., David Beit-Rabbanensis), ad Liturgiam (Iacobus Edessenus, Ioannes Oznetzi, Georgius Arabum ep., Ioannes Darensis), ad Mysticam (Ioannes Darensis), ad Ius Canonicum (Iacobus Edessenus, Georgius Arabum ep., Ioannes Oznetzi); simul vero respicere quaestiones theologicas et imprimis argumentum de Unione utriusque naturae in Christo Domino.

69. Doctrinae monophysiticae expositio: Documenta autem Monophysismum illustrantia plura sane impervia nobis sunt. Ex iis quae typis vulgata fuerunt scire possumus quid ipsi de hoc argumento sentiant. Ad sententiam Syrorum explorandam adeundus est Georgius Arabum episcopus; scripta vero Ioannis Oznetzi declarabunt quaenam fuerit doctrina ab Armenis recepta.

Georgius, ratus uno systemate Monophysismi vitari posse haereses circa Unionem, illud tuetur contra Melchitas et Nestorianos, utens consueta formula: Christum esse « ex duabus

---

[27] Ad litterarum theologicam Armenorum consule P. Sukias Somal, *Quadro della storia Letteraria di Armenia*, Venezia 1829; C. F. Neumann, *Versuch einer Geschichte der Armenischen Litteratur*, L 1886; F. Nève, *L'Arménie chrétienne et sa littérature*, Louvain 1886; F. N. Fink, *Geschichte der Armenischen Litteratur;* in opere *Geschichte der christlichen Litteraturen des Orients*, L 1909, 75-130; armenice autem prodiit G. Zarbhabalean, *Historia Litteraturae Armenae*, Venetiis 1905.

[28] L. Mariès S. I., *Le « De Deo » d'Eznik de Kolb connu sous le nom de « Contre les sectes »*. Étude de critique littéraire et textuelle, Pa 1924; Apud illum reperies editiones et versiones huius operis. Illis adde accuratam germanicam versionem denuo factam a S. Weber, *Ausgewählte Schriften der armenischen Kirchenväter aus dem Armenischen übersetzt*, I, München 1927, 1-180.

[29] Germanice editum a S. Weber, o. c., II, 29-269.

[30] Haec omnia armenice et latine edita sunt a J.-B. Aucher, *Domini Johannis Ozniensis philosophi, Armeniorum Catholici opera*, Venetiis 1834.

naturis et hypostasibus » sed non « in duabus naturis » neque « in duabus hypostasibus ».

« Nos, inquit, liberamur a duabus heresibus, tam ab illa quae confundit, quam ab illa quae separat; dum neque ullam admittimus in Christo mixtionem vel confusionem, neque separationem patimur vel divisionem »[31]; secus vero Melchitae, qui asserendo « unam hypostasin » naturarum confusionem inducunt; adiungendo « in duabus naturis » illas separant adque adeo unionem vanam reddunt[32].

Nullam enim statuit distinctionem inter « hypostasin » et « naturam »; quare, totus est in confutandis obiectionibus contra « unam naturam », ostendens argumenta omnia posse retorqueri contra « unam hypostasin » Melchitarum et contra « unum Filium » Nestorianorum[33], de quibus quaeri potest, ut adversarii urgent contra Monophysitas, « utrum quid creatum an increatum, passibile an impassibile, mortale an immortale, visibile an invisibile sit »[34].

Cum doctrina de Unione coniungens morem aquam vino addendi in Sacrificio Missae GEORGIUS, scribens ad reclusum Iesum qui hac de re cum quodam armeno disputaverat, improbat usum Armenorum qui *mero* utuntur contra communem totius Ecclesiae consuetudinem[35].

Quodsi Armeni a Syris reprehenduntur, in causa est non solum unus alterve mos liturgicus, sed praesertim ipsa doctrina monophysitica, quam apud Armenos *Iulianismo* foedari putant. Ad hanc arcendam suspicionem IOANNES OZNETZI, qui in Synodo Maipharkatensi (a. 719-726)[36] unionem pepigit cum Syris Iacobitis, opusculum edidit *contra Phantasiastas*, Eutychianismum tanta vi reiciens, ut ad veriorem de duabus naturis sententiam satis accedat.

Saeculo VII ineunte, Armeni longe absunt a chalcedonensibus, ut testantur res gestae a Catholico KOMITA († 630), qui nemine fuit secundus in aversione contra Synodum Chalcedonis, et scripta eius

---

31 V. RYSSEL, *Georgs des Arabarsbischofs Gedichte und Briefe*, L 1891. 92.

32 Ibid.

33 Hac ratione utitur in epistula ad Mari, ubi 22 argumenta perpendit; argumentatione autem « ad hominem » contentus, sententiam positive explicare praetermittit.

34 Ibid., 91.

35 V. RYSSEL, *Ein Brief Georgs Bischofs der Araber*, Gotha 1883. Usum vero nationalem tuetur Synodus a. 719, can. 8; J. B. AUCHER, *Domini Ioannis Ozniensis ... Opera*, Venetiis 1834, 61.

36 E. TER-MINASSIANTZ, *Die Armenische Kirche in ihren Beziehungen zu den Syrischen Kirche bis zum Ende des 13. Jahrhunderts*, L 1904 (TU, 26, Heft 4), 71-74.

amici Ioannis Majragometzi [37]. Quae cum ita sint, unio sub Heraclio cito evanuit, cum in Synodo ad Tvin Armeni dyophysismum chalcedonensem et tomum Leonis denuo repudiarunt. Sed iam hoc tempore late per Armeniam sparsa est secta *Iulianistica*, quam saeculo VII scripto propugnant Ioannes Maracumensis eiusque discipulus Sergius, a Theodoro Kertenavorensi confutati [38].

Hanc vero sententiam exclusam voluit Synodus a. 719-726 sub Catholico Ioanne Oznetzi. Huius doctrina christologica ab aliquibus ducitur plane recta et catholica [39], ab aliis *Iulianismi* quandam speciem praebere [40], ab aliis non satis definita [41]. Reapse loci abundant quibus chalcedonensibus assentire videtur: « Sin vero tu concedis Verbum, quod erat ex Patre, hominem revera ex hominibus factum; cur metuis humanam in Christo profiteri naturam?... Anne times duas dicere naturas? magis timendum est si recte unam quoque Christi naturam non dixeris » [42]. Mens autem Ioannis quaenam fuerit eruitur ex placitis adversariorum Christum « ex duabus naturis » dicere pertimescentibus [43].

70. Ioannes Oznetzi de cultu Imaginum contra Paulicianos: Praeter doctrinam christologicam, attendenda est apud Ioannem Oznetzi sententia de cultu Imaginum. Nam, licet hunc cultum non sine restrictione admittat, eius tamen legitimitatem bonis contra *Paulicianos* ostendit argumentis.

Primum apud Oznetzi recurrit mentio *Paulicianorum*, quorum secta plures saec. VIII asseclas numerabat in Syriae et Armeniae provinciis [44], ubi ad Kibossa frequentes erant. Paulicianorum autem errores multi ac gravis molis erant [45]. Catholicos vero Armenorum eis exprobrat [46], praeter sacrilegos depravatosque mo-

---

37 A. Ter-Mikelian, *Die Armenische Kirche in ihren Beziehungen zur Byzantinischen (vom IV bis zum XIII Jahrhundert)*, L 1892, 60 s.

38 TDCO, V, 529.

39 Ita sentit J. B. Aucher, *Domini Ioannis Ozniensis ... Opera*, Venetiis 1834, 9: « Ad cognoscendam orthodoxam Auctoris fidem satis est hanc orationem vel leviter percurrere ».

40 E. Ter-Minassiantz, o. c., 80.

41 P. Tekeyan, *Controverses Christologiques en Arméno-Cilicie*; OCA n. 124 (R 1939), 120 animadvertit rationem loquendi veterum armenorum « obscuram valde esse ».

42 J. B. Aucher, l. c., 127; cfr. 113. 117. 119 etc.

43 Cfr. ibid., 123: « Si ex duobus secundum naturam non vis dicere unum ... ». Ceterum a *iulianisticis* formulis non prorsus alienum se ostendit Ioannes dum scribit de Christo: « per incorruptam suam mortem nobis donans incorruptionem »; Ibid., 211.

44 K. Ter-Mkrttschian, *Die Paulikianer im byzantinischen Kaiserreiche*, L 1893. Ut praecipuus fons habetur Petrus Siculus, *Historia manichaeorum qui pauliciani dicuntur;* PG 104, 1240-1349.

45 Cfr. R. Janin A. A., *Pauliciens;* DTC 12 (Pa 1933), 56-62.

46 *Contra Paulicianos*; apud J. B. Aucher, o. c., 79-107.

res [47], doctrinam *iconoclastam,* quam edocti sunt a quibusdam Albanensibus [48].

Ad diluendam vero accusationem idololatriae, quacum venerationem imaginum perperam confundebant, IOANNES, praemissa refutatione cultus idololatrici, statuit ab illo penitus discriminari cultum rebus sacris et imaginibus exhibitum; quippe hic oritur ex vero religionis sensu, non prosequitur honore res inanimas vel mortuas, sed vivum et vivificatorem Christum; respondet nostrae hominum conditioni egentium sensibilibus; et innititur imaginum per oleum consecratione, qua mediante fiunt instrumenta divina ad gratias hominibus largiendas. Nec penitus obliviscitur relativum esse cultum imaginum; « Quibus adoratis, nequaquam dubito quin ipsi Christo in iisdem sedenti adorationem exhibeam » [49].

Ceterum, in sua oratione Catholicos armenus loquitur tantum de Cruce et de imaginibus Christi [50]; tacens de imaginibus Virginis Deiparae et Sanctorum.

ART. III

Byzantinorum doctrina

71. MONOTHELISMI REFUTATIO. S. MAXIMUS CONFESSOR: Primum argumentum theologicum a Byzantinis hoc tempore discussum fuit illud de *Monthelismo* a. 638 sollemniter promulgato in *Ecthesi* Imperatoris HERACLII, cui plures quoque Monophysitae adhaeserunt.

Quomodo ad Monothelismum ventum fuerit aliunde notum supponimus [1]. Videlicet, SERGIUS Constantinopolitanus Patriarcha, deprehendens apud Monophysitas formulam de unica « operatione

[47] Ibid., 87.

[48] Ibid., 89.

[49] Ibid., 97.

[50] « Nos enim solius unigeniti Filii Dei imaginem signumque victoriae colimus »; Ibid., 81. « Nos autem illas dumtaxat [materias] super quas expressimus similitudinem imaginis Christi Crucisque eius ... honoramus »; Ibid., 97.

[1] Cfr. F. COMBESIS, *Historia haeresis Monothelitarum;* Auctuarium novum, II, Pa 1648; J. PARGOIRE A. A., *L'Église byzantine de 527 à 847*³, Pa 1923, 242-246; V. GRUMEL A. A., *Recherches sur l'histoire du Monothélisme*; EO 27 (1928), 6-16, 257-277; 28 (1929), 19-34, 272-282; 29 (1930), 16-26; M. FLICHE-V. MARTIN, *Histoire de l'Église*, 5, Pa 1938, 131-134, 160-193. Adi quoque, et praesertim, CH. MOELLER, *Le chalcédonisme et le néo-chalcédonisme en Orient de 451 à la fin du VIe siècle*; in opere A. GRILLMEIER S. I., *Das Konzil von Chalkedon*, I, Würzburg 1951, 637-720; plures enim neo-chalcedonenses, confugientes ad dictum illud *Tomi S. Leonis*: « agit utraque natura *cum alterius communione* », viam muniunt ad Monothelismum et Monoergetismum. Cfr. pp. 711-720.

theandrica » et in genere de « unica operatione », putavit *Monoergetismum* et Chalcedonensibus et Monophysitis satis facere posse. Cum vero S. SOPHRONIUS in hanc sententiam animadverteret [2], Papa autem HONORIUS ei rescripserit de una vel duplici operatione loqui non oportere [3], hac formula omissa, unicam in Christo voluntatem asserere maluit, prout habetur in *Ecthesi* [4].

Iam, sive ortum ipsum Monothelismi attendas, sive praecipuorum Monothelitarum dicta consideres, haud ita facile pronunciare audebis utrum Monothelitae haeretici veri nominis fuerint, an nominales tantum, asserentes unam in Christo voluntatem ea tantum lege ut voluntatum oppositionem excludant [5].

Errorem Monothelitarum debellarunt Pontifices Romani [6] IOANNES IV, THEODORUS I, S. MARTINUS I in Concilio Lateranensi

---

[2] CC 11, 831-853; PG 87, 3248-3200.

[3] CC 11, 537-544; PL 80, 469-484.

[4] Textum decreti refert Concilium Lateranense a. 649; CC 10, 991-998.

[5] Ita de MACARIO Antiocheno Patriarcha, a Concilio Florentino nominatim reiecto; ES, n. 710, opinatur J. RISSBERGER, *Das Glaubensnekenntnis des Patriarchen Makarius von Antiochien des Hauptes der Monotheleten auf dem sechsten allgemeinen Konzil,* Moguntiae 1940.

[6] HONORIUS Papa fertur ab auctoribus Graeco-slavicis non solum haeresin monotheliticam docuisse, verum etiam damnari a Concilio Constantinopolitano III, in sessione 13 (28 martii 681). Attamen si attente legas epistulas HONORII ad Sergium Patriarcham deprehendes Pontificem non negare duas voluntates in Christo, divinam alteram, alteram humanam; sed hoc unum excludere, adesse nempe in natura humana Christi Domini voluntatem quae contradiceret legi mentis eius, adeoque sese opponeret divino consilio, cum peccatum in Salvatore nostro minime obtineat; quare, ipse non fuit expertus illam membrorum legem de qua loquitur apostolus; C. KIRCH S. I., *Enchiridion Fontium Historiae Ecclesiasticae antiquae,* Friburgi Br. 1923, n. 1059-1069. Verba autem Pontificis: « fatemur et unam voluntatem Domini nostri Iesu Christi » ansam dedit Synodo ut « retractaret » dogmaticas epistulas HONORII; Ibid., n. 1082, quas tamquam animae noxias execratur. Id autem in nuda materiali voce fundatur, non in doctrinali aliquo errore. Sic animadvertunt, statim post obitum HONORII, Pontifex IOANNES IV: « Praedictus ergo decessor meus docens de mysterio Incarnationis Christi dicebat non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis et carnis contrarias voluntates: quod quidam ad proprium sensum convertentes, divinitatis eius et humanitatis unam eum voluntatem suspicati sunt; quod veritati omnimodis est contrarium » ibid., n. 1076; cfr. n. 1075; et S. MAXIMUS *Confessor,* qui in sua disputatione cum PYRRHO orthodoxiam HONORII validis tuetur argumentis, confirmans interpretationem Ioannis IV sententia et litteris ipsius Honorii ad Imperatorem; PG 91, 327. Quae cum ita sint, ad summum negligentiae in suo munere adimplendo argui potest HONORIUS, quemadmodum paulo post Concilium Oecumenicum VI scribit LEO PP. II in sua ad Hispanos epistula: Honorius « flamman haeretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed neglegendo confovit »; C. KIRCH S. I., l. c., n. 1087; cfr. n. 1088. De hoc argumento vide M. D'HERBIGNY S. I., *Theologica de Ecclesia* [3], Pa 1928, II, 258 s.; ampliorem apologiam HONORII paravit MARIČ, examini subiciens formulas anteriores de activitate Christi communiter receptas; J. MARIČ, *Celebris Cyrilli Alexandrini formula christologica de una activitate Christi in interpretatione Maximi Con-*

(a. 649)[7] et S. AGATHIO, quo auctore Concilium VI Oecumenicum Monothelismum sollemni decreto damnavit[8]. In Imperio autem Orientali primus qui novam serpentem haeresin impugnavit fuit monachus syrus S. SOPHRONIUS († 638) Patriarcha Hierosolymitanus[9].

S. SOPHRONIUS, cum primum in Patriarcham electus fuit (634), sua *Epistula inthronistica* « monoergetismum » a Sergio propugnatum refutavit, adducens ad confirmationem suae doctrinae sexcentos locos SS. Patrum contra novas formulas. Hoc autem florilegium periit; servatur vero *Epistula*[10], quae duplicem Christo operationem — non instituitur specialis quaestio de duabus voluntatibus — vindicat, insistens in eo quod utraque natura principium sit suarum operationem; iuxta notissimam formulam *Tomi S. Leonis*: « Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est: Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est »[11].

Primae vero partes in Monothelismo debellando tribuendae sunt S. MAXIMO CONFESSORI († 662), nobili Constantinopolitano, qui a. 613 vitam monasticam amplexus est, variasque regiones peragravit. Alexandriae autem consuetudinem iniit cum S. SOPHRONIO (a. 626-633), Carthagine (a. 645) disputationem habuit cum PYRRHO, olim Constantinopolitano Patriarcha, Romae denique auctor fuit S. MARTINO ad cogendum Concilium Lateranense (a. 649). Hac de causa Constantinopolin redire coactus

---

fessoris et recentiorum theologorum; BoS 14 (1926), 56-102; Id., *Pseudo-Dionysii Areopagitae formula christologica celeberrima de Christi activitate theandrica;* BoS (1932), 105-173; Id., *Nova formulae christologicae Leonis I. magni Papae de Christi activitate interpretatio;* BoS (1932), 433-470.

[7] CC 10. De momento quod obtinuit haec Synodus, quae *Typum* a. 647 damnavit, cfr. J. PIERRES, *S. Maximus Confessor, princeps Apologistarum Synodi Lateranensis a. 649;* R. 1940.

[8] CC 11, 195-922.

[9] S. EUSTRATIADES, Σωφρόνιος Πατρ. Ἱεροσολύμων; NS 29 (1934), 188-193; PH. NISSEN, *Sophronios-Studien;* BZ 37 (1937), 66-65; 38 (1938), 351-376; 39 (1939), 89-115, 349-381; CHR. PAPPADOPOULOS, Τὰ συγγράμματα τοῦ ἁγίου Σωφρονίου ἱεροσολύμων; NS 18 (1922), 130-141.

[10] PG 87, 3148. De christologia S. Sophronii cfr. H. STRAUBINGER, *Die Lehre des Patriarchen Sophronius von Ierusalem über die Trinität, die Inkarnation und die Person Christi;* Der Katholik, 35 (1907), 81-109, 175-179, 251-264; G. COSMA, *De « Oeconomia » Incarnationis secundum S. Sophronium Hierosolymitanum,* R. 1940.

[11] C. SILVA-TAROUCA S. I., *S. Leonis Tomus ad Flavianum;* R. 1932 (Pont. Univ. Greg., Textus et Documenta, Ser. Theol., 6), 26.

et in exilium actus, plura passus est donec martyr pro fide gloriose occubuit [12].

Plura opera scripsit [13] exegetica et mystica [14], simul vero tractatus lucubravit dogmatico-polemicos, quorum 11 contra Monophysitas diriguntur; 23 contra Monothelitas; 3 argumentum anthropologicum agitant.

Ad eius indolem quod attinet, deprehenditur influxus PSEUDO-DIONYSII, quo mediante cum Neoplatonismo cognationem habuit, et LEONTII BYZANTINI, a quo hausit doctrinam christologicam et rationem magis philosophicam controversias agitandi et dirimendi. Id apparet in sua doctrina de duabus in Christo voluntatibus. Auctoritatem SS. Patrum minime parvipendit, ut ostendit *Florilegium* ab ipso concinnatum [16]; sed maxime insistit in habitudine « energiae » et « voluntatis » ad personam et ad naturam. Persona enim confert actui pondus morale, sed non est eiusdem physicus fons, qui in natura reponendus est. His positis facile exstruit in Christo, praeter divinam, humanam quoque voluntatem, quam tamen agnoscit: θέλημα φυσικόν, non γνωμικόν, quae aliquam praeviam inducit haesitationem ex ignorantia vel concupiscentia ortam, et proinde a Christo prorsus arcendam [16].

Haec autem S. MAXIMI doctrina a suis civibus reiecta est; plenum vero triumphum reportavit in Oecumenico Concilio Constantinopolitano a. 680-681.

72. S. IOANNES DAMASCENUS: Saeculo VIII inter Melchitas praeclarissimus exstitit S. IOANNES DAMASCENUS (c. 749), Damasci ex amplissima familia Mansur ortus. Iuvenis amicitiam coluit cum Calipha Mo'awia [17]; postea vero, spretis honoribus, Hie-

---

[12] P. PEITZ, *Martin I. und Maximus Confessor. Beiträge zur Geschichte des Monotheletenstreites in den Jahren 645-668;* Historisches Jahrbuch 38 (1917), 213-236, 429-458; V. GRUMEL A. A., *Notes d'histoire et de chronologie sur la vie de S. Maxime le Confesseur;* EO 26 (1927), 24-32; R. DEVREESSE, *La Vie de S. Maxime le Confesseur et ses sources;* AB 46 (1928), 5-49.

[13] Edita sunt, sed imperfecte valde, in PG 90-91; cfr. 90, 4, 15-432, 527-576; 91, 19, 1217-1280; quaedam vero expungenda sunt. Cfr. M. TH. DISDIER A. A., *Une oeuvre douteuse de saint Maxime le Confesseur.* Les Cinq Centuries théologiques; EO 30 (1931), 160-178; Id., *Elie l'Ecdicos et les* ἕτερα κεφάλαια *attribués à saint Maxime le Confesseur et à Jean de Carpathos;* EO 31 (1932), 17-43. Vitam et operam S. MAXIMI novis documentis complet S. L. EPIFANOVIČ, Матеріалы къ изученію жизни и твореній преп. Максима Исповѣдника, K 1917.

[14] M. TH. DISDIER A. A., *Les fondements dogmatiques de la spiritualité de saint Maxime le Confesseur*; EO 29 (1930), 296-313.

[15] PG. 91, 160-169.

[16] H. STRAUBINGER, *Die Christologie des hl. Maximus Confessor,* Bonn 1906.

[17] H. LAMMENS S. I., *Études sur le regne du Calife Mo'awia I;* Mélanges de la Faculté Orientale (Beyrouth), 3 (1908), 249-265: Jean Damascène et Ahtal commensaux de Yazid.

rosolymitanae Laurae S. Sabbae nomen dedit, quam suis virtutibus et eximia eruditione illustravit [18].

Damascenus, qui audit « Aquinas Orientis », quamplurima nobis reliquit opera poetica, ascetica, dogmatica et polemica [19]. Nostra autem refert imprimis praecipuum Damasceni opus tripartitum *Fons cognitionis,* quod in codicibus vocatur continuo *Capita philosophica et theologica,* quibus accessit eiusdem Damasceni tractatus *De haeresibus.* De hoc autem opere plures moventur quaestiones, de quibus viderint patrologi; in rerum praesentia indicasse sufficiat Damascenum, magis quam propriis originalibus conceptibus, eminere apta praecedentium scriptorum compilatione, videlicet, Cappadocum, S. Cyrilli Alexandrini, S. Epiphanii et Leontii Byzantini [20].

Verum age; in *Fonte cognitionis* suum totius fere dogmatis hactenus definiti compendium ita praebet Ioannes ut « graecus » quam maxime remaneat; quo fit ut sua loquendi ratione in omnibus fere quaestionibus postea agitatis inter Byzantinos et Latinos Damascenus nonnihil difficultatis facessat: de Immaculata, inquam, Deiparae Conceptione, de Epiclesi, de Purgatorio, et praesertim de Filioque [21]; in explicanda enim aeterna Spiritus Sancti processione non alienus fuit a suo magistro Leontio Byzantino, qui formulam induxit « per Filium transvehi Spiritum » [22].

E contra, perspicuitate eminet, etsi magno disputationis motu feratur, in *Christologia,* quam evolvit variis in *Capitibus theologicis,* seu *De orthodoxa fide* et suis opusculis polemicis: *Contra haeresin*

---

[18] De eius vita, praeter M. Jugie A. A., *Jean Damascène;* DTC, 693-751, cfr. Chr. A. Papadopoulos, Ὁ ἅγιος Ἰωάννης ὁ Δαμασκηνός; EPh 5 (1910), 193-212; I. Phokilides, Ἰωάννης ὁ Δαμασκηνός; EPh, 21 (1922), 357-440. Sophronius Leontopoleos, Ὁ ἅγιος Ἰωάννης ὁ Δαμασκηνός καὶ τὰ ποιητικὰ αὐτοῦ ἔργα; NS 26 (1931), 385-401, 497-512, 530-538, 610-617, 666-681, 721-736; 27 (1932), 28-44, 111-121, 166-177, 216-224, 329-353, 415-422, 450-472, 514-534, 570-585, 644-664, 698-719; 28 (1933), 11-25. Ampliorem bibliographiam invenies in *Damascenica. I: Vita Marciana;* OC 29 (1926); B. Laba, Св. Іван Дамаскин ; Log 1 (1950),269-280; art. Giovanni Damasceno, in *Enciclopedia Cattolica* VI (R 1951), 547-552 et praesertim apud J. M. Hoeck O S. B., *Stand und Ausgaben der Damaskenos-Forschung;* OCP 17 (1951), 5-60.

[19] Exstant edita in PG 94-96; quaedam vero ex illis spuria sunt, ut *Oratio in Nativitatem B. M. V.*; C. Van der Vorst S. I., *A propos d'un discours attribué à S. Jean Damascène*; BZ 24 (1914-1919), 128-131, Historia Barlaam et Joasaph; K. Prächter, *Der Roman Barlaam und Joasaf in seinem Verhältnis zu Agapets Königsspiegel*; BZ 2 (1893), 444-460, aliaque. quorum aliqua mox subiungemus.

[20] His adde ps. Cyrillum, de quo J. de Guibert S. I., *Une source de St. Jean Damascène de Fide Orthodoxa*; RSR 3 (1913), 356-368.

[21] Cfr. *Compendium Theologiae Orientalis* [3], R 1950, 147-148, 181, 200-202, 122-124; S. Tyszkiewicz S. I., *Der hl. Johannes Damascenus und die russische antirömische Polemik;* 43 (1919), 78-104.

[22] *Adv. Nestorium,* II, 20; PG 86, 1485; cfr. EO 35 (1936), 263-268; M. Jugie A. A., *De Processione Spiritus Sancti,* Lateranum 3-4 (R 1936), 174 s.

Nestorianorum[23], *Sermo de fide contra Nestorium*[24], *Tractatus contra Iacobitas*[25], *Tractatus contra Acephalos*[26], *De duabus in Christo voluntatibus*[27], *Contra Monophysitas et Monotheletas*[28], *De hymno Trisagio*[29]. Ad doctrinam quod attinet sequitur praesertim LEONTIUM BYZANTINUM, etiamsi illum expresse nusquam nominet[30].

73. CONTROVERSIAE BYZANTINAE DE CULTU IMOGINUM: Maxime autem inclaruit S. IOANNES DAMASCENUS sua doctrina *de cultu imaginum,* quibus bellum moverunt Imperatores Byzantini dynastiae Syrae, non veteri doctrinae obsequentes, sed sub influxu, ut videtur, sectae Paulicianorum[31].

Persecutionem iconoclastam inauguravit LEO III ISAURICUS, lato decreto a. 726[32]. In iconophilos autem magis adhuc saeviit eius filius CONSTANTINUS V COPRONYMUS (740-775), quo auctore habita fuit Synodus Iconoclasta ad Hieriam (a. 753) a 388 episcopis frequentata. LEO IV a violentia temperavit, servavit vero leges contra imaginum cultum, quem restituit Imperatrix Irene, qua Imperium administrante Synodus Nicaena II (a. 787) celebrata est. Iconoclasmus autem revixit sub LEONE V ARMENO (813-820), MICHAELE II (820-829) et THEOPHILO (829-842). Tandem sub THEODORA

---

23 PG 95, 188-224; de authentia huius operis dubia moventur.

24 Editum a F. DIEKAMP; Theol. Quartalschrift (1901) 555-595.

25 PG 94, 1436-1501.

26 PG 95, 112-126.

27 PG 95, 128-185.

28 Nondum editus; habetur Cod. Vat. gr. 1075.

29 PG 95, 21-61.

30 F. LOOFS, *Leontius von Byzanz und die gleichnamigen Schriftsteller der griechischen Kirche,* TU 3, Heft 1 (L 1888), plura loca parallela inter se confert, quorum sex ad verbum sibi respondent.

31 Cfr. L. BRÉHIER, *La Querelle des Images,* Pa 1904; D. SPIRIRION, Περὶ τῆς οὐσίας καὶ τοῦ περιεχομένου τῆς Εἰκονομαχίας ; EPh 8 (1911), 435-468; G. A. OSTROGORSKIJ, *Die erkenntnistheoretischen Grundlagen des byzantinischen Bilderstreites* (russice); SK 2 (1928), 47-52; Id., *Studien zur Geschichte des byzantinischen Bilderstreites,* Breslau 1929; V. GRUMEL A. A., *Recherches sur l'iconoclasme*; EO 29 (1930), 92-100; CHR. PAPADOPOULOS, Αἰτίαι καὶ γενικὸς χαρακτὴρ τῆς Εἰκονομαχίας; Th 8 (1930), 5-16; E. J. MARTIN, *A History of the Iconoclastic Controversy,* Lo 1930; G. OSTROGORSKY, *Geschichte des byzantinischen Staates,* München 1940, 103-128; G. B. LANDER, *Origin and Significance of the Byzantine Iconoclastic Controversy;* Medieval Studies 2 (New York - Lo 1940); Id., *The Concept of the Image in the Greek Fathers and the Byzantine IconoclasticControversy*; DOP 7 (1953), 1-34; P. J. ALEXANDER, *The Iconoclastic Council of St. Sophia (815) and Its Definition (Horos)*; DOP 7 (1953), 35-66; E. KITZINGER, *The Cult of Images in the Age before Iconoclasts*; DOP 8 (1954), 83-150; M. V. ANASTOS, *The Ethical Theory of Images formulated by the Iconoclasts in 754 and 815;* DOP 8 (1954), 151-160; P. VAN DEN VEN, *La patristique et l'hagiographie au Concile de Nicée de 787*; Byz 25-27 (1955-1957), 325-362; A. I. RUSTUM, *Iconoclasm and Orthodox Sunday* (arabice), Beyrouth 1958.

32 L. BRÉHIER, *Sur un texte relatif au début de la querelle iconoclaste*; EO 37 (1938), 17-22.

et MICHAELE III (842-867) Synodus Constantinopolitana a. 843 decreta Concilii Nicaeni II repristinavit et pacem restituit.

Communis modo sententia tribuit Iconoclasmum Paulicianorum influxui [33]; ipsi vero iconoclastae, iubente Imperatore, diligenter conquisivere testimonia veterum Patrum, imo illa impudenter confinxerunt. Id valet praesertim de auctoritate S. EPIPHANII, a qua Damascenus sese expedit aiens: « una hirundo non facit ver » [34], neque librum adscribendum esse Sancto Doctori [35]. Et iure quidem. Scripta enim quae feruntur sub nomine Epiphanii contra sacras imagines sunt: *Oratio contra eos qui imagines conficiunt, Epistula ad Theodosium regem, Testamentum ad cives suos,* e quibus excerpta nobis servavit S. NICEPHORUS Constantinopolitanus [36], et *Epistula ad Ioannem* [37].

Authentiam vero horum documentorum propugnavit calvinista JOANN DAILLIE [38], cuius sententiam novis argumentis roborare studuit HOLL [39]. Huius auctoritate permoti plures, cum protestantes [40], tum catholici scriptores [41] haec documenta ut genuina sumunt. Retinenda vero est vetus opinio [42], quippe suum pondus servant argumenta contra authenticitatem adducta a S. NICEPHORO [43], qui auctorem putat quendam manichaeum — accipe paulicianum — EUSEBIO aequalem [44].

74. DOCTRINI S. IOANNIS DAMASCENI DE CULTUM IMAGINUM: Iconoclasmum Constantinopoli impugnavit Patriarcha S. GER-

---

[33] Cfr. n. 70: Inter historiographos byzantinos plures connectunt Iconoclasmum cum civili Imperii reformatione, vel cum aversione in monachismum; L. BRÉHIER, *Les origines du mouvement iconoclaste*; in A. FLICHE-V. MARTIN, *Histoire de l'Eglise,* V, Pa 1938, 440 s.

[34] PG 94, 1257.

[35] Ibid., 1304.

[36] *Antirrheticus liber adversus Eusebium et Epiphanidem;* apud I. B. PITRA, *Spicilegium Solesmense,* IV, Pa 1858, 292-380.

[37] Epistulae latina versio habebatur iam pridem inter litteras S. HIERONYMI, graecus autem textus repertus est a SERRUYS, Académie des Inscriptions et Belles Lettres, Comptes rendus des séances de l'année 1904, 360-363.

[38] J. DAILLIE, *De Imaginibus,* Lugduni Batavorum 1642, 360.

[39] K. HOLL, *Die Schriften des Epiphanius gegen die Bilderverehrung*; Sitzungsb. d. Königl. Akademie der Wissensch., 1916, 828-868.

[40] Hos inter H. KOCH, *Die altchristliche Bilderfrage nach der literarischen Quelle,* Göttingen 1917.

[41] Ita sentit B. ALTANER, *Patrologie,* Freiburg i. Br. 1938, 198 s.

[42] Illam propugnat O. BARDENHEWER, *Geschichte der altchristlichen Literatur,* III, Freib. in Br. 1912, 301; F. CAYRÉ A. A., *Précis de Patrologie,* I, Pa 1927, 389; G. A. OSTROGORSKIJ, *Studien zur Geschichte der byzantinischen Bilderstreites,* Breslau 1929.

[43] Argumenta compendiat in cap. 29 *Antirrethici;* l. c., 374-375.

[44] *Antirrheticus,* l. c., 292. His adde BADGER et quorundam sententiam qui putant imaginum cultum alienum fuisse ab Ecclesiis syris, primigeniam cultus rationem sibi servantibus. Hanc opinionem confutat J. DAUVILLER, *Quelques témoignages litteraires et archéologiques sur la présence et sur le culte des images dans l'ancienne Église Chaldéenne*; OS 1 (1956), 297-304.

MANUS († 733) suis litteris dogmaticis [45], Hierosolymis vero DAMASCENUS, qui iconomachis opposuit notissimas suas tres *Orationes de Imaginibus* [46].

Potius diceres duas; tertia enim oratio nihil aliud est nisi excerptum ex prima et secunda, quas ad verbum refert. Alia vero quae de hoc argumento recurrunt inter opera Damasceni certo certius serius scripta sunt; ut *Oratio contra Constantinum Cabalinum* [47] a quodam Constantinopolitano post Synodum Hieriae (a. 753) redacta, *Epistula ad Theophilum* [48] primis decenniis saec. IX exarata, *Dialogus Stiliteuticus de sanctis Imaginibus* [49] a. 771 concinnatus [50].

Suis autem Orationibus S. IOANNES DAMASCENUS et obstacula removet quae christifideles ab imaginibus venerandis arcere possent, et rectam doctrinam positive evolvit. Distinctione enim facta inter cultum latriae et duliae, contendit imagines, non nude sumptas, sed cum sacra quadam significatione, adorari posse ac deberi cultu duliae, qui in laudem cedit eorum, quorum sunt imagines [51].

Obstacula quae removet sunt: a) *Imperatoris* auctoritas, cui tamen res spectant temporales, non administratio Ecclesiae [52]; b) Praecepta *Veteris Legis,* quae unice satagunt idololatriam vitare [53]; nedum vero prohibeant cultum imaginum illum adumbrant et commendant [54]; c) *SS. Patrum* auctoritas, quae nulla est, cum neminem Patrum adducant praeter pseudo-Epiphanium [55]; d) Denique, *rationes* adductas ab adversariis diluit, cum materia neque per se mala sit [56], neque nude sumpta adoretur, sed cum sacra quadam significatione [57]. Alias vero difficultates a Synodo Hieriae postea excogitatas (ut est illa de circumscriptione), quae primo tempore nondum proponebantur, Damascenus non attendit; impetunt enim

---

45 PG 98, 147-222; v. V. GRUMEL A. A., *L'Iconologie de saint Germain de Constantinople*; EO 21 (1922), 165-175.

46 PG 94, 1232-1429; v. M. CHOLMOGOROV, Ученіе св. Іоанна Дамаскина объ иконопочитаніи ; PS 1902, I, 1-18; H. MENGES, *Die Bilderlehre des hl. Johannes von Damaskus*, Münster 1937.

47 PG 95, 309-344.

48 PG 95, 345-385.

49 PG 96, 1347-1362.

51 PG 94, 1288, 1293.

52 PG 94, 1281, 1288, 1296, 1303.

53 PG 94, 1237, 1238, 1289, 1292.

54 PG 94, 1248, 1292.

55 PG 94, 1257, 1304.

56 PG 94, 1245, 1297.

57 PG 94, 1305.

directe imagines Christi [58], quas primi iconoclastae honore haberi patiebantur.

Argumenta autem ad cultum imaginum positive vindicandum adhibet: a) *Traditiones* sacras, quibus Ecclesia regitur [59], cultum imaginum sancientes [60]; b) *Liturgiam,* qua volvente adorationes fiunt Evangelio, altari; ergo a pari licebit imagines adorari [61]; c) *Rationem* theologicam, cultus enim imaginum relativus cum sit, licitus erit si illi quorum sunt imagines cultum merentur [62]; praesertim cum latriae cultus nulla ratione imaginibus impendatur [63]; d) Denique, argumentatur ex fructu et *utilitate* quam christifideles carpunt ex cultu imaginum [64]. Porro, non omittit IOANNES illud quod saepius a Byzantinis iteratur: imaginibus supernam quandam vim inesse [65]; id vero repetendum est vel ex eo quod sint instrumenta quibus Deus miracula patratur, vel ex consecratione [66].

Sicut in Palaestina monachi, praesertim Laurae Sanctae Sabae, ad quam pertinet Damascenus [67], agmen ducunt contra Iconoclasmum; sic etiam Byzantii inter iconophilos primipyli existunt monachi monasterii Studion, quod S. THEODORUS († 826) instauravit a. 798. Horum autem doctrina de sacris imaginibus eadem est ac damascenica [68].

75. SYNODUS NICAENA II ET THEOLOGIA OCCIDENTALIS. LIBRI CAROLINI: Ad sedandas lites de cultu imaginum Romani Pontifices opem navarunt indefessam [69]. Sub Imperatrice Irene et Patriarcha Constantinopolitano S. Tarasio [70] coadunata est a. 787 *Synodus Nicaena II,* quae actuoritate S. Germani et S. Ioannis Damasceni praesertim fulta, rectam definivit doctrinam de sa-

---

58 Cfr. G. A. OSTROGORSKIJ, *La doctrine des saintes icônes et le dogme christologique;* SK 1 (1927), 35-48.

59 PG 94, 1233. 1256.

60 PG 94, 1303.

61 PG 94, 1245. 1300.

62 PG 94, 1252. 1301.

63 PG 94, 1240.

64 PG 94, 1249. 1269. 1300.

65 PG 94, 1249; cfr. 1353.

66 PG 94, 1300.

67 S. VAILHÉ A. A., *Les écrivains de Mar-Saba*; EO 2 (1898), 1-11, 33-47.

68 V. GRUMEL A. A., *L'iconologie de saint Théodore Stoudite*; EO 20 (1921), 257-268; A. GUBERINA O. F. M., *Sv. Teodor Studita i II nicejski sabor;* BoS 15 (1928), 466-473.

69 Иконоборство и римскіе папы; ChC 1865, I, 448-493; G. OSTROGORSKI, *Rom und Byzanz im Kampfe um die Bilderverehrung*; SK 6 (1933), 73-87.

70 I. D. ANDREEV, Святый Тарасій Патріархъ Константинопольскій; BV 1899, II, 143-140, 302-346, 459-504.

cris imaginibus [71]. Ut vero Acta Concilii primum innotuerunt theologis Caroli Magni, adeo illos commoverunt, ut praeeunte Alcuino opus concinnarent, cui titulus *Libri Carolini* ad confutandam doctrinam a Nicaena Synodo tanto cum gaudio totius Ecclesiae proclamatam [72].

De compositione *Librorum Carolinorum,* quorum auctor praecipuus habetur Alcuinus, plures quaestiones manent solvendae [73]. Ad doctrinam quod attinent mediam inter byzantinos iconoclastas et iconophilos viam tenere cupiunt, ita ut durius agant contra iconophilos quam contra iconomachos [74]. Eorum vero sententia haec est: « imagines Sanctorum retinendas esse — quare, repugnant iconoclastis qui eas destruunt — minime vero adorandas » — quare, repugnant quoque Patribus Concilii Nicaeni. Ipsi enim intelligere non valuerunt cultum imaginibus redditum ad archetipos transire [75]. Neque probant ullum ex argumentis in Concilio adductis. Id autem nonnihil fortasse pendet ex eo quod Libri Carolini utantur prima versione latina, quam Anastasius Bibliothecarius infidelem pronuntiat [76]. Eiusdem vero ac Carolini sententiae sunt alii theologi huius periodi, ut Agobardus Lugdunensis [77], Walafridus Strabo [78], Ionas Aurelianensis [79] et Dungalus Reclusus [80]. Quinimo, nonnulli in Occidente eo usque sunt progressi ut in castra iconoclastarum manibus pedibusque ire non sint veriti, ut Claudius Taurinensis [81].

Frustra tamen conatur Bréhier [82] ostendere hanc Carolinorum opinionem esse communem in Occidente Latino, nec solum temporo Caroli Magni, verum etiam postea tempore Concilii Tridentini. Nam, si sermo fiat de scriptoribus tempore Caroli Magni et

---

71 ES, n. 302-304.

72 A. Michel, *Die jährliche Eucharistia nach dem Bildersturm;* OrC, Neue Folge, 12-14 (1922-1924), 151-161,

73 H. Bastgen, in Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde, 36 (1912), 631-666; 37 (1913), 15-51, 455-533. De Alcuino cfr. H. B. Meyer S. I., *Alkuin zwischen Antike und Mittelalter;* ZKT 81 (1959), 306-350, 405-454.

74 L. Bréhier, *La Querelle des Images,* Pa 1904, 59.

75 PL 98, 1146.

76 CC 12, 981.

77 *Contra superstitionem eorum qui imagines sanctorum adorant;* PL 104, 199-228.

78 Ibid., 927-930; ipse vero mitior est. Admittit Synodum Nicaenam antiquam disciplinam ecclesiasticam restituisse, sed reicit cultum « exaggeratum » imaginum.

79 *De cultu Imaginum libri tres;* PL 106, 305-388.

80 *Liber adversus Claudium Taurinensem;* PL 105, 468-530.

81 PL 105, 460. De iconoclasmo in Occidente cfr. V. Preobraženskii, Вопросъ объ иконопочитанiи во времена Карла Великаго; ChC 1883, I, 115-154; Chr. Papadopoulos, Ἡ εἰκονομαχία ἐν τῇ Δύσει; EPh 20 (1921), 387-409.

82 L. Bréhier, *La Querelle des Images,* 61.

Ludovici Pii, praeter Gallias, reliquus Occidens cum Orientalibus orthodoxis apprime consentit, ut animadvertit Anastasius Bibliothecarius: « Quae enim super venerabilium imaginum adoratione praesens Synodus docet, haec et apostolica sedes vestra ... et universalis Ecclesia semper venerata est et hactenus veneratur, quibusdam dumtaxat Gallorum exceptis » [83]. Quod vero attinet *Concilium Tridentinum,* nedum probet Librorum Carolinorum sententiam, expresse citat et laudat et confirmat definitionem de cultu imaginum a II Nicaena Synodo prolatam [84]. Nec dicas cum quibusdam nostris auctoribus [85] diversum esse « respectum » sub quo imaginum cultus respicitur in Oriente et Occidente; dum enim Occidentalibus hic cultus est duliae relativus, Orientalibus est simplicis « proskyneseos », quam a latria et a dulia contradistinguunt et reponunt in honoris extrinseca significatione. Verum age; et Tridentina Synodus cultum imaginum collocat in « honore », in « capitis aperitione », in « humili prostratione » ..., quibus praecise graecorum « proskynesis » consistit.

76. Carolini contra formulam trinitariam Byzantinorum: Acta Synodi Nicaenae pervolutantes, Carolini incidunt in fidem S. Tarasii Constantinopolitani Patriarchae, confitentis Spiritum Sanctum ex Patre esse per Filium [86]. Contra hanc locutionem vehementer insurgunt primis capitibus Libri III [87].

Iam paulo antea, in Synodo nempe Genethliacensi a. 767 [88] res fuerat Carolinis cum Byzantinis de Processione Spiritus Sancti, sicut et de Imaginibus, ut ait Regio Abbas [89]. Quibus autem argumentis usi fuerint nescimus. *Libri* autem *Carolini* « per Filium » respuunt propterea quod illud ducant quid vagum et indeterminatum; clare enim dicere oportebat « ex Patre et Filio ». Praeterea, formula est in errorem proclivis; quippe accipi potest perinde ac si Spiritus creatura esset. Tertio denique quia deviat a formula in Conciliis praescripta; nam falso putabant « Filioque » ab oecumenicis Conciliis expressis verbis commendari; verum haec postea

---

83 CC 12, 983.

84 ES, n. 986.

85 Hac sententia abundat F. Cayré A. A., *Précis de Patrologie,* II, Pa 1930, 313 ss.

86 CC 12, 1121.

87 PL 98, 1117-1124; Monumenta Germaniae Historica. Legum Sect. III, Concilia, II supplementum (1924), 110-113.

88 Acta huius Synodi interiere; Hefele-Leclercq, *Histoire des Conciles,* 3, Pa 1910, 726. Th. de Regnon S. I., *Études de Théologie positive sur la Sainte Trinité,* IV, Pa 1898, 205 iure animadvertit « primam scintillam fuisse accessam quae adeo magnum et pertinax genuit incendium ».

89 PL 132, 51. Cfr. Ado Viennensis, *Chronicon;* PL 123, 125 et Eginhardus, *Chronicon;* PL 104, 385.

deleta sunt et eorum loco compendiosa quaedam dictorum summa introducta [90].

E Libris Carolinis excerptum est *Capitulare Synodi Francofurdiensis* a. 794, quod eandem movet accusationem contra fidem S. Tarasii. Capitulare missum fuit ad Pontificem Hadrianum [91] qui ei minime acquievit, sed productam ad Carolum Regem epistulam dedit [92] illustrans et « olitanam traditionem sanctae Ecclesiae » et fundamentum quo nititur formula a Constantinopolitano Patriarcha adhibita; Tarasius nempe hisce verbis usus est iuxta SS. Patres, quorum locos Pontifex subiungit.

Quae vero orta est disputatio inter Carolinos et Byzantinos, modo fit altercatio cum Romanis. Carolini enim non ita facile Papae assentiuntur. Iubente Carolo Magno, Alcuinus, qui iam antea de Trinitate scripserat [93] exaravit *Libellum de Processione Spiritus Sancti ad Carolum Magnum* [94] congerens argumenta a S. Scriptura, a Conciliis et a SS. Patribus petita, ut ostendat Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere, adhibens quosdam locos Graecorum Patrum, quos ita legit ut ex Filio quoque Spiritum Sanctum procedere doceat. Eadem usi sunt ratione Smaragdus Abbas S. Michaelis [95] et Aurelianensis episcopus Theodulphus [96]. Uterque investigat doctrinam Graecorum Patrum, puta, S. Athanasii, S. Cyrilli Alexandrini et Didymi — in versione S. Hieronymi; sed tum in horum Patrum dictis, tum in locis adductis ex operibus S. Hilarii aliorumque studiose vitat formulam « per Filium », quam apud praedictos Patres recurrere Hadrianus Pontifex ostenderat, quosque ita locutos fuisse vel ipsi *Carolini Libri* admisserant, etiamsi omnem eorum dictis auctoritatem demant [97].

Hoc pacto, theologi Carolini, reclamante Ecclesia Romana, substantialem identitatem utriusque formulae: graecae nempe alexandrinae et latinae augustinianae, pessumdant.

77. Carolini et Byzantini de Filioque ad Symbolum addito: Eodem fere tempore oppositio inter Byzantinos et Carolinos sese prodit in Synodo Aquisgranensi a. 809, quae, occasione arrepta ex disputatione hierosolymitana inter monachos francos Olivetanos et monachos graecos Sancti Sabae [97], *additionem* Filioque probavit, et Symbolum auctum intra Missarum sollemnia

---

[90] Monum. Germ. Hist., l. c. 113 not.

[91] Hefele-Leclercq, *Histoire des Conciles*, 3, 1086 ss.

[92] PL 98, 1247-1292.

[93] *De fide sanctae et individuae Trinitatis;* PL 101, 13-58.

[94] PL 101, 64-82.

[95] *Epistula ad Leonem III;* PL 98, 923-929.

[96] *Tractatus de Spiritu Sancto;* PL 105, 239-276.

[97] Monum. German. Histor., l. c., 113 not.

decantari iussit, non sine offensione Sedis Romanae, quae denuo Byzantinorum patrocinium suscepit [98].

Quid inter Pontificem S. LEONEM III et legatos Aquisgranenses BERNARIUM episcopum et ABAELARDUM Abbatem actum fuerit novimus ex relatione SMARAGDI Abbatis [100] Videlicet, quamvis Romanus Pontifex aperte tueatur *doctrinam* de Processione Spiritus Sancti ex Patre et Filio, eiusdemque explicitam professionem, non patitur usum decantandi Symbolum cum *additione* « Filioque »; quare si additio detrahi nequit, mavult ut Symbolum intra Missam non cantetur.

Quodnam tandem iudicium ferendum sit de hoc colloquio, quaeve mens fuerit S. LEONIS III in suis responsis, varie apud auctores declaratur [101]. Satis autem clare apparet Romanum Pontificem nolle usum retineri, e quo offensio Graecorum nasci poterat et dissidium generari inter Orientem et Occidentem. Haec enim ipsi suprema ratio est: « Quare omnium ecclesiarum mater et magistra Romana Ecclesia, nulla necessitate cogente, nulla haeretica negatione exsurgente, sancire debet sua suprema auctoritate usum ex quo schismatum semina germinare possunt? » [102].

78. PENTARCHIA APUD SCRIPTORES ICONOPHILOS: Simul cum recta sententia de cultu Imaginum iconophili propugnarunt doctrinam *Pentarchiae,* quae ansam praebere potest erroneae sententiae de Primatu. Est autem Pentarchia systema quod Patriarchis collegialiter sumptis deffert supremum Ecclesiae regimen.

Huius autem Pentarchiae, quae a numero quinario Patriarcharum, unde nomen sumpsit, per se praescindit, *formae diversae* excogitari possunt. Potest enim Pentarchia sumi ut institutum iuris

---

[98] M. JUGIE A. A., *De Processione Spiritus Sancti;* Lateranum 2 (1936), 268-277.

[99] Hac arrepta occasione, ut refert ANASTASIUS BIBLIOTHECARIUS in *Vita S. Leonis III,* cfr. L. DUCHESNE, *Le Liber Pontificalis,* Pa 1892, II, 26, Pontifex duo scuta argentea, ubi symbolum graece et latine sine additione legebatur, ad Confessionem S. Petri apponi iussit, quae exstabant adhuc exeunte saec. XIII, iuxta IOANNEM BECCUM; PG 141, 848.

[100] *Acta collationis romanae descripta a Smaragdo abbate S. Michaelis* primum edita sunt a Card. BARONIO, *Annales Ecclesiastici,* a. 809, n. 54-63; deinde typis denuo vulgata in CC 14, 18-22; PL 102, 971-976; Monum. German. Histor., Concilia, II, 240-244. Ad fidem codicum illa castigavit auctor articuli *La Questione morale nella controversia del Filioque;* La Civiltà Cattolica, 3 agosto 1929, 202-204 .

[101] Cfr. A. PALMIERI, *Filioque;* DTC 5, 2329 s.

[102] PL 102, 975-976. Ceterum circa Symbolum hac periodo lege, sis, B. CAPELLE O. S. B., *Alcuin et l'histoire du symbole de la messe;* Recherches de Théologie ancienne et médiévale 6 (1934), 249-260.

ecclesiastici vel divini, ut subiecta Primatui vel in se ipsa Primatum detinens, ut institutum aequale vel inequale diversitatem potestatis in ipsis Patriarchis agnoscens.

Pentarchia, mitigata quidem et subiecta Primatui, usi sunt Patres iconophili ad ostendendum Synodum iconoclastam Hieriae, cui unus interfuit Patriarcha Constantinopolitanus, illegitimam esse; praesertim vero eorum dux S. THEODORUS STUDITA attente legendus est [103].

Omissis locis S. MAXIMI CONFESSORIS [104] et S. IOANNIS DAMASCENI [105], in quibus vix quidquam reperies, facile testimonia colliges in favorem Pentarchiae apud assertores cultus sacrarum imaginum. IOANNES EUBOEAE, vel quisquis fuerit auctor *Orationis de Imaginibus contra Constantinum Cabalinum,* tradit illam tantum Synodum recipiendam esse « cum quinque Patriarchales Sedes unam sanxerint fidem et confessionem » [106]. STEPHANUS DIACONUS in *Vita S. Stephani Iunioris* ait: « Quomodo oecumenica, quam neque Romanus approbaverit ..., neque Alexandrinus, neque Antiochenus, neque Hierosolymitanus? » [107]. Et S. NICEPHORUS in *Apologia pro sacris imaginibus*: « Ita vult lex ecclesiastica ut dubia et controversa definiantur de consensu et iudicio eorum archiepiscoporum qui apostolicis thronis praesunt » [108].

S. THEODORUS STUDITA [109] vocat Ecclesiam « quinivertex ecclesiasticum corpus » [110], eius vero potestatem « quiniverticem ecclesiasticam potestatem » [111], ratione quinque Patriarcharum, quibus spe-

---

103 A. P. DOBROKLONSKII, Преп. Θеодоръ, исповѣдникъ и игуменъ Студiйскiй, Odessae 1913; V. LATYŠEV, Житiе преп. Θеодора Студита; VV, 21 (1914), 222-254, 255-304. Cfr. PARGOIRE A. A., *St. Théophane le Chronographe et ses rapports avec St. Théodore Studite;* VV 9 (1902), 31-102; V. GRUMEL A. A., *La politique religieuse du patriarche S. Méthode;* EO 34 (1935), 385-401.

104 *Epistula ad Ioannem Cubicularium* et *Disputatio cum Pyrrho;* PG 91, 464. 352; in hoc ultimo loco ut « oecumenicum » sit Concilium requirit ut partes in eo habeant omnes Patriarchatus, id quod facile potest declarari.

105 Idem dixit Damascenus iuxta J. HERGENRÖTHER, *Photius,* II, 140, qui sumit ut opus Damasceni *Orationem ad Constantinum Cabalinum,* ei denegandam.

106 PG 95, 332.

107 PG 100, 1144.

108 Apud J. HERGENRÖTHER, o. c., 142.

109 Cfr. S. SALAVILLE A. A., *Quae fuerit mens S. Theodori Studitae de B. Petri deque Romani Pontificis Primatu;* ACV 2 (Pragae 1910), 123-134; Id., *De 'quinivertice ecclesiastico corpore' apud S. Theodorum Studitam;* AAV 7 (1911), 177-180; Id. *La Primauté de St. Pierre et du Pape d'après saint Théodore Studite;* EO 17 (1914), 23-42.

110 PG 99, 1280-1281.

111 PG 99, 1417.

ciale munus attribuit relate ad Oecumenica Concilia [112]; illis enim competit universalis ligandi atque solvendi potestas a Christo Apostolis concessa [113]. Verum age; haec ita sumenda sunt ut *nullum detrimentum* inferant Primatui, cuius S. THEODORUS assertor exstitit insignis. Nam, de eius sententia: a) Primatus Romani Pontificis nititur iure divino, privilegio scilicet Principis Apostolorum, cuius Papa Romanus est successor [114]; b) Romani Pontificis iurisdictio est universalis [115]; c) et suprema: Sedes enim Romana est prima apostolica sedes [116], thronus supremus totius Ecclesiae [117], maxime suprema omnium ecclesiarum Dei [118]; d) Sedes Romana gaudet infallibilitate, cum portae Inferi contra ipsam praevalere non valeant [119]; e) estque centrum ecclesiasticae unitatis [120].

Quae cum ita sint, Pentarchia apud S. Theodorum aliosque iconophilos est « forma quaedam concreta ideae paulinae de mystico corpore Christi » [121]; nimirum, omnia Ecclesiae membra cum capite Romano Pontifice uniuntur mediantibus Patriarchis, qui medium tenent gradum inter Romanum Pontificem et Episcopos ad Ecclesiae gubernationem.

Sed quaedam ita dicta sunt ut facile quempiam ducant ad opinionem de ecclesiastica Pentarchia quae cum monarchica Ecclesiae constitutione aegre admodum conciliari potest; quae opinio apud Byzantinos sese prodit medio saec. IX.

In Concilio IV Constantinopolitano — VIII Oecumenico — a. 869, quod Photium deposuit et pulcherrimum Primatui Romano testimonium dedit [122], ELIAS Patriarcha Hierosolymitanus dixit Patriarchas *a Deo* excitatos ut fidem tuerentur [123]; METROPHANES Smyrnae episcopus simile quid protulit in actione VI [124]; praesertim vero BAHANES, Imperatoris BASILII ad Synodum fideicommissus, ita munus Patriarcharum extollit ut aequalia omnibus cum Romano Pontifice privilegia et iura tribuere videatur: « Etenim illud quod dicitur: *et portae inferi non praevalebunt adversus eam,*

---

112 PG 99, 1305.
113 PG 99, 1417.
114 PG 99, 1021.
115 PG 99, 1017, 1053.
116 PG 99, 1053.
117 PG 99, 1289.
118 PG 99, 1309.
119 PG 99, 1281.
120 PG 99, 1309.
121 S. SALAVILLE A. A., l. c.; AAV, 2, 179.
122 ES, n. 341.
123 CC 16, 317.
124 Ibid., 344.

hoc denuntiat: quando duo ceciderint, currunt ad tria; cum tria ceciderint, currunt ad duo; cum vero quattuor forte ceciderunt, unum quod permanet in omnium capite Christo Deo nostro revocat iterum reliquod corpus Ecclesiae » [125].

Hoc pacto Byzantini, qui iam propter canonem 28 Chalcedonensem, ab ipsis admissum, proni erant ad Romanum Primatum minuendum, modo, hac theoria freti, periculum incurrunt ut, unum amplius gressum facientes, a Romanorum Pontificum auctoritate sese subtrahi sinant.

---

125 Ibid., 140-141.

CAPUT IV

DE THEOLOGIA PHOTIANA EIUSQUE IMPUGNATORIBUS IN OCCIDENTE

80. Litterae theologicae Byzantii saec. IX: Leo III Isauricus, anno 726, initio Iconoclasmi, Academiam Oecumenicam [1], in qua monachi plerumque docebant, cessare iussit [2]. Eius autem successores litteris favorem nullum praestant. Sed sub Michaele III a. 863 Caesar Bardas suam condidit *Universitatem* ad Palatium *Magnaurae,* cui celebrem Leonem philosophum seu grammaticum praefecit [3], non sine fructu. Nam et Universitas ipsa plures cito numeravit insignes magistros [4], et sub eius umbra haud pauci eruditi homines, tamquam privati *didaskaloi* docere incipiunt, quos inter Photius numerandus est [5].

In Universitate Bardae primum tradebatur *Grammatica,* deinde Homeri aliorumque *classicorum lectio,* tertio loco *Rhetorica,* quarto *Dialectica* et *Philosophia* et tandem, harum disciplinarum emenso iam curriculo, diversae docebantur *Scientiae*: Arithmetica, Geometria et Astronomia [6]. *Theologiae* autem, sicut in antioquioribus Universitatibus Constantinopolitanis, nullus locus datur. Lectores autem sumuntur ex laicatu, non ex monasteriis, in quibus, auctore praesertim Theodoro Studita, sacrae scientiae impensius colebantur. Inde suspicio coetus monachorum contra doctores lai-

---

1 F. Fuchs, *Die ökumenische Akademie von Konstantinopel im frühen Mittelalter;* Bayerische Blätter fü das Gymnasialschulwesen 59 (1923), 177-192.

2 F. Dvorník, *Les Slaves Byzanze et Rome au IXe siècle,* Pa 1926, 116.

3 F. Fuchs, *Die höheren Schulen von Konstantinopel im Mittelalter;* Byzantinisches Archiv, Heft 8 (Be 1926), 18-22; cfr. L. Bréhier, *Notes sur l'enseignement supérieur à Constantinople;* By 3 (1926), 75.

4 Inter discipulos Leonis citantur Imperatores Basilius I eiusque filius Leo Sapiens, Constantinus Siculus, Arethas et Constantinus philosophus, postea dictus S. Cyrillus, Slavorum Apostolus.

5 F. Dvorník, o. c., 119; cfr. quae de se ipse Photius scribit ad S. Nicolaum; PG 102, 597 agens de tempore ante primum suum Patriarchatum; de Photii curis in erudiendis filiis Imperatoris ante a. 877 lege K. Ziegler, *Photios,* Realenc. Pauly-Wissowa, t. 19 (1941), 681.

6 P. van den Ven, *La vie grecque de S. Jean le Psichaite;* Mu 3 (1902), 111.

cos Universitatis [7]. Verum id non impedit quominus bonae artes inter Byzantinos modo floreant.

81. Theologia Romana saec. IX: In Occidente autem sacrae disciplinae et bonae artes impense coluntur cum in Imperio Carolino [8], tum in meridionali parte Italiae, sub influxu Byzantinorum posita [9]. Romae vero altiora studia prorsus languent. Tantum enim novimus elementares quasdam scholas in episcopiis [10] et monasteriis erectas, ubi una cum disciplinis « trivii et quatrivii » [11], doctrina sacra tradebatur quoque [12].

Haec autem Romanorum in litteris eruditio valde sapiebat *culturam graecam;* plures enim monachi, iique doctissimi [13], ad graeca Urbis monasteria confugerant [14] saeviente persecutione iconoclasta. Graecis autem magistris usi sunt plures, quos inter et Papa S. Nicolaus I [15] et Anastasius Bibliothecarius [16], cuius tanta fuit auctoritas penes S. Nicolaum I, Hadrianum II et Ioannem VIII. Porro, hic byzantinorum monachorum influxus salutaris fuit concordiae fovendae; facile enim formulae graecae, etiam in re dogmatica, recte a Romanis declarantur [17]. Cum vero scriptores Caro-

---

7 F. Fuchs, *Die höheren Schulen von Konstantinopel;* l. c., 19.

8 Hoc tempore floruerunt Alcuinus, Rabanus Maurus, Lupus Abbas, Paschasius Radbertus, Ratramnus Corbeiensis, Hincmarus Rhemensis, Ioannes Scotus Eriugena, aliique qui nomen sibi in re theologica meruerunt, de quibus cfr. J. de Ghellinck S. I., *Le mouvement théologique du XII siècle,* Pa 1914, 8-29: La renaissance carolingienne; M. Grabmann, *Die Geschichte der katholischen Theologie seit dem Ausgang der Väterzeit,* Freiburg in Br. 1933, 25-28. Cfr. V. Ch. Preobraženskij, Характеристика школьнаго образованія на востокѣ и на западѣ во времена Карла Великаго; ChC. 1881, II, 811-822.

9 Celeber habetur Petrus Siculus, cuius liber *Historia Manichaeorum qui Pauliciani dicuntur;* PG 104, 1240-1349 Photio magno adiumento fuit in simili suo tractatu concinnando. J. Hergenröther, *Photius,* III, Regensburg 1869, 147-153.

10 Illas impense commendat Eugenius II in Concilio Romano a. 826; CC 14, 494. 1008. Circa momentum quod obtinent hae scholae romanae, vel in ipsa theologiae Carolinae origine, cfr. S. d'Irsay, *Histoire des Universités françaises et étrangères dès origines à nos jours,* I, Pa 1933, 38.

11 P. Rajna, *Le denominazioni Trivium et Quatrivium;* Studi Medievali, Nuov. Ser. 1 (1928), 4 ss.

12 M. Manitius, *Geschichte der lateinischen Litteratur des Mittelalters,* I, München 1911, 243-245.

13 Hoc titulo eos appellat auctor Vitae Sergii III, 9; L. Duchesne, *Le Liber Pontificalis,* II, Pa 1892, 8.

14 De Graecorum colonia Romana saec. IX cfr. F. Dvorník, *Les Légendes de Constantin et Méthode vues de Byzance,* Prague 1933, 285-289.

15 E. Perels, *Papst Nikolaus I. und Anastasius Bibliothecarius,* Be 1920, 296-299.

16 A. Lapôtre, *De Anastasio Bibliothecario Sedis Apostolicae,* Pa 1885, 54 not.

17 Cfr. de his *Theologia Romana tempore SS. Cyrilli et Methodii;* ACV 7 (Olomucii 1937), 38-46.

lini, in Byzantinos infensissimi, Romae obtinent, graviores controversiae fiunt; id quod bis accidit tempore Photii; videlicet, quando S. Nicolaus, ut Photii argumenta convelleret, ad theologos scripsit Caroli Calvi [18], et postea sub Ioanne VIII, quando Hincmarus Rhemensis eiusque theologi in Pontificis gratiam restituti sunt [19].

Art. I

Theologiae Photianae monumenta et indoles

82. Patriarchae Photii momentum: Post deiectionem S. Ignatii Patriarchae Constantinopolitani, Michael III ei suffecit Photium († post 892), quem Ehrhard iure ducit « ut Patriarcham, ut sapientem et ut theologum, non solum primas obtinere in Oriente saec. IX, verum etiam praecipuum mereri locum in Historia Byzantina » [1]. Orientalis autem Ecclesia Orthodoxa eundem tamquam primum sui parentem respicere solet [2], cum ob apertam eius *luctam* contra Romanum Pontificem, tum ob eius *sanctitatis* et *scientiae* famam.

Tamquam opus praestantissimum ad vitam et res gestas Photii iure habetur Hergenröther [3]. Inter scriptores autem graecoslavicos plures de illo scripsere [4], quorum princeps habetur Lebedev [5], qui ex praecedentibus commentatoribus laudat Gerasim [6]

---

18 PL 119, 1152-1161.

19 A. Lapôtre, *L'Europe et le Saint Siège à l'époque Carolingienne*, Pa 1895, 1 Part.: Le Pape Jean VIII.

1 Apud K. Krumbacher, *Geschichte der byzantischen Literatur*², München 1897, 73.

2 A. Papadopoulos-Kerameus, Ὁ πατριάρχης Φώτιος ὡς πατὴρ ἅγιος τῆς Ὀρθοδόξου Καθολικῆς Ἐκκλησίας; BZ 8 (1899), 647-671. De auctoris amore erga Photium vide Chr. Loparev, Аѳанасій Ивановичъ Пападопуло-Керамевсъ († 28 oct. 1912); VV 19 (1912), 196. Inter innumeros sermones panegyricos cfr. M. Aimilianos, Λόγος πανηγυρικὸς εἰς τὸν Ἅγιον Φώτιον; Orth 5 (1930), 42-48; Archimandrita Chrysostomus, Λόγος πανηγυρικὸς εἰς τὸν Ἅγιον Φώτιον; Orth. 6 (1931), 94-101.

3 J. Hergenröther, *Photius Patriarch von Konstantinopel*, I-III, Regensburg 1867-1869.

4 A. Palmieri, *Photius et ses apologistes Russes;* EO 3 (1899), 94-106. Idem auctor TDO, I, 730-732 not. complures citat auctores orthodoxos de Photio.

5 A. P. Lededev, Исторія раздѣленія Церквей въ IX-мъ и XI-мъ вѣкѣ, M 1900. Cfr. de litteratura praecedenti pag. 345-415. De auctore cfr. eius autobiographiam A. P. Lebedev, Къ моей учено-литературной автобіографіи; BV 1907, II, 401- 425; et necrologiam ab A. I. Pokrovskii; BV 1908, II, 577-603; A. A. Spasskii; BV 1908, II, 103-141, 298-326, 456-486; S. Šumov, Памяти профессора Алексѣя Петровича Лебедева; BV 1909, I, 108-126; M. Jugie A. I., *Un historien russe sur l'Église: Alexis Petrovitch Lebedev;* EO 26 (1927), 102-106.

6 Metrop. Jared Gerasim, Отзывы о св. Фотіи, патріархѣ Константинопольскомъ – его современниковъ въ связи съ исторіей полемическихъ партій Визан-

et IVANTSOV-PLATONOV [7]; quibus recentiore tempore accessit ROSSEIKIN [8].

Ad historiam autem Photii documenta magna ex parte ab Ignatianis orta sunt, qua de causa suspecta habentur, ut est *Vita Ignatii* auctore NICETA PAPHLAGONIAE [9]. Id attendentes, quidam nostri auctores corrigunt quae communiter ferebantur de Photio *auctore schismatis byzantini*. Durante enim suo primo Patriarchatu PHOTIUS contra S. NICOLAUM rebellavit quidem, sed huius rebellionis momentum imminuunt [10]; tollunt vero alterum schisma, cum denuo Patriarchalem thronum obtinuit [11], ita ut potius dicendum sit PHOTIUM ad mortem usque pacem cum Ecclesia Romana, aliqua saltem ratione, servare maluisse [12].

тійской имперіи, P 1874; de opere cfr. I. I. SOKOLOV, Византологическая традиція въ С–Петербургской духовной академіи; ChC 1904, I, 151-154.

7 A. M. IVANTSOV-PLATONOV, Къ изслѣдованіямъ о (св.) Фотіи, патр. Константинопольскомъ; JMNP 280 (1892), 121-148; 281 (1892), 1-72, 299-315; 283 (1892), 1-160, 205-251: De hoc opere cfr. TH. A. KURGANOV, Къ изслѣдованію о патріархѣ Фотіи; ChC, 1895, I, 174-220.

8 TH. ROSSEIKIN, Первое правленіе Фотія, патріарха Константинопольскаго; BV 1909, II, III; 1910, I, III; 1914, II, III; 1915, I, II.

9 A. PADADOPOULOS-KERAMEUS, Ψευδονικήτας ὁ Παφλαγὼν καὶ ὁ νόθος βίος τοῦ πατριάρχου Ἰγνατίου; VV 6 (1899), 13-38; V. VASIL'EVSKII, Въ защиту подлинности житія патріарха Игнатія и принадлежности его современному автору Никитѣ Пафлагону; VV 6 (1899), 39-56.

10 F. DVORNÍK, *Le premier schisme de Photius;* Actes du IVe Congrès International des études byzantines, S 1935, 301-323; V. GRUMEL, A. A., *La génèse du Schisme photien;* Atti del V Congresso Internazionale di Studi Bizantini, R 1939, 177-191. P. E. STEPHANOU S. I., *Les débuts de la querelle photienne vus de Rome et de Byzance;* OCP 18 (1952), 270-280; id., *La violation du compromis entre Photius et les ignatiens;* OCP 21 (1955), 291-307.

11 V. GRUMEL A. A., *Y eut-il un second schisme de Photius?;* RSPT 22 (1933), 432-457; F. DVORNÍK, *Le second schisme de Photius, une mystification historique;* Byz 8 (1933), 420-474; V. GRUMEL A. A., *La liquidation de la querelle photienne;* EO 33 (1934), 257-288; F. DVORNÍK, *Études sur Photius;* Byz 11 (1938), 1-19. Hisce utuntur E. AMANN, *Photius;* DTC 12 (1935), 1593 ss.; Id., *L'époque carolingienne;* in opere A. FLICHE-V. MARTIN, *Histoire de l'Église,* VI, Pa 1938, 465-501; E. HERMAN S. I., *Le cause storiche della separazione della chiesa greca, secondo le più recenti ricerche;* La Scuola Cattolica 68 (1940), 128-139; M. JUGIE A. A., *Le Schisme Byzantin,* Pa 1941, 102-133. Quid orthodoxi de iis iudicent vide, sis, apud D. VESTEMEAN, *Attitudine noui față di adevăruri vechi;* RT 29 (1939), 248-250, aliosque recentiores, quorum plures in mitiorem sententiam inclinant, ut CHR. KONSTANTINIDIS, Ὁ Πατριάρχης Φώτιος, πατὴρ τοῦ Σχίσματος ἢ Ἀπόστολος τῆς ἑνώσεως; Orth 21 (1946), 24-27, 224-230, 307-315 (est versio articuli F. DVORNIK in La Vie Spirituelle, déc. 1945), GENNADIOS Heliopol., Αἱ περὶ τοῦ Ἁ. Φωτίου κρίσεις τῶν ἀρχαίων καὶ τῶν ἱστορικῶν τῆς ἐποχῆς μας; Orth 31 (1956), 37-68, G. MOURIKIS, Τὰ περὶ τὸν μέγαν Φώτιον κείμενα διὰ τὴν θέσιν τῆς Ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας; NS 52 (1957). His vero e regione opponuntur alii ut I. N. KARMIRIS, *The Schism of the Roman Church;* Th 21 (1950), 400-433, 555-587.

12 Quomodo antiquitus rem considerent cfr. V. LAURENT A. A., *Le cas du Photius dans l'apologétique du patriarche Jean XI Beccos (1275-1282) au lendemain du deuxième concile de Lyon;* EO 29 (1930), 396-415; F. DVORNIK, *L'affaire de Photios dans la littérature latine du moyen âge;* SK 10 (1938), 69-93. Recentiores quaestiones omnes Photium spectantes evolvit idem F. DVORNIK,

Sanctitatis famam, quam apud Byzantinos adeptus est, arguit eius memoria, quae iam a saec. XI in *Synaxariis* Ecclesiae Constantinopolitanae recurrit ad diem 6 februarii [13] et cultus eidem a Byzantinis praestitus [14], necnon virtutis existimatio qua *Photius* gaudet apud Veterocatholicos [15], immo apud quosdam catholicos, si fidem geras episcopo KALLINICO [16]. Attamen non defuerunt etiam inter Orthodoxos qui eius res gestas contra S. Ignatium reprehenderent, ut NICETAS NICAENUS [17], CONSTANTINUS MANASSES [18], EPHRAEMIUS [19], GEORGIUS SCHOLARIOS [20], NICEPHORUS GREGORAS [21], Patriarcha NECTARIUS HIEROSOLYMITANUS [22], quorum testimonia colligit JUGIE [23].

Denique, si de *scientia* sermo fiat, vel catholici scriptores laudem, et quidem insignem, PHOTIO tamquam erudito, semper decrevere [24]; etiamsi EHRHARD animadvertat: « eius in theologia momentum saepius plus aequo aestimatum est. Theologica scientia non est habenda ut splendidissimum ornamentum coronae, qua sapiens hic byzantinus redimitur » [25].

83. PHOTII SCRIPTA: Ut animadvertit HERGENRÖTHER [26], theologia photiana reperitur dispersa variis in tractatibus et commentariis; ita ut pleraque PHOTII opera adeunda sint theologo qui eius mentem assequi cupiat [27]. Quare necesse est varia eius scripta breviter describere.

Operum photianorum catalogum texere et eorum chronologiam et compositionis adiuncta adumbrare conati sunt SOPHOCLES OI-

---

Études sur Photius; Byz 11 (1938), 1-19. Id., *The Photian Schism. History and Legend,* Cambridge 1948; versio gallica Pa 1950.

[13] H. DELEHAYE S. I., *Synaxarium Ecclesiae Constantinopolitanae;* Acta Sanctorum Novembris, Propylaeum, Bruxelles 1902, 448.

[14] M. JUGIE A. A., *Le culte de Photius dans l'Église byzantine;* ROC 23 (1923), 105-122.

[15] A. A. KIRJEEV, Сужденія старокатолика о дѣятельности патріарха Фотія; ChC 1904, I, 588-595.

[16] KALLINIKOS, 'Ο ἐν ἁγίοις 'Αρχιεπίσκοπος Κων/πόλεως Φώτιος; Orth 1 (1927), 394-404; cfr. 400-402.

[17] *De schismate Graecorum;* PG 120, 714.

[18] *Compendium Chronicum;* PG 127, 413.

[19] PG 143, 365.

[20] Cfr. J. HERGENRÖTHER, *Photius,* II, 526.

[21] Ibid., 719.

[22] Περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ Πάπα; Iasii 1682, 36-38. 77.

[23] TDCO, I, 687-690. Auctor vero quid de Photio ipse cogitet ostendit articulo *De Photii morali effigie;* Bess 37 (1921), 1-32; 38 (1922), 22-48.

[24] TDO, I, 733.

[25] Apud K. KRUMBACHER, *Geschichte der byzantinischen Literatur* [2], 74.

[26] J. HERGENRÖTHER, *Photius,* III, 264.

[27] Quae Primatum respiciunt colligit G. HOFMANN S. I., *Photius et Ecclesia Romana,* R. 1932 (Pont. Univ. Gregoriana, Textus et Documenta, Ser. Theolog., n. 6, 8).

KONOMOS in sua *Quaestionum ad Amphilochium* editione [28], DEMETRAKOPOULOS [29] et fusius Card. HERGENRÖTHER [30], quem secutus HOFMANN recentius dedit brevissimam simul et accuratam operum Photii descriptionem [31].

Opera *genuina,* PHOTIO certo tribuenda, haec habentur edita:

Glossarium, quod iuvenis adhuc scripsit [32], nec quidquam continet quod nostra referat [33].

Myrobiblion seu *Bibliotheca,* in quo 280 codices a se perlectos de variis scientiis refert. Opus autem fuit exaratum ante assumptionem Photii ad Sedem patriarchalem (a. 858) [34].

Amphilochia, seu *Quaestiones ad Amphilochium* episcopum Cyzici, numero 324, de rebus theologicis, philosophicis et exegeticis. Concedenda sunt primo Photii exilio (a. 868-879) ut vult HERGENRÖTHER [35] vel secundo (a. 886), quae est sententia EHRHARD [36], suntque opus praecipuum Photii in provincia theologiae [37].

Commentarii in Sacram Scripturam, e quibus habemus tantum fragmenta servata in *Catenis* OECUMENII, THEOPHYLACTI et NICAETAE [38]; quibus, ut liquet, nullum certum tempus assignari potest.

Scholia 11 ad Ioannem Climacum [39], quae HOFMANN suspicatur petita a longiore commentario in Orationes mystici Doctoris [40].

Contra novos Manichaeos (Paulicianos) libri quattuor [41], quorum primus historicus est, tres autem reliqui dogmatico-polemici,

---

[28] SOPHOCLES OIKONOMOS, Τὰ Ἀμφιλόχια ἢ λόγων ἱερῶν σύλλογη, A 1858, ξα'.

[29] A. DEMETRAKOPOULOS, Ὀρθόδοξος Ἑλλάς, L 1872, 1-2.

[30] J. HERGENRÖTHER, *Photius,* III, 3-260.

[31] G. HOFMANN S. I., *Photius et Ecclesia Romana,* I, 3 ss.

[32] Sic de se ipse testatur PHOTIUS, *Amphilochia,* q. 21, c. 1; PG 101, 154.

[33] Hoc opus, grammaticalis indolis, editum fuit a S. A. NABER, Leidae 1864-1865, duobus voluminibus.

[34] Editum a. 1553, curantibus DAVIDE HOESHELIO et ANDREA SCOTTO S. I., Liber adest PG 102-103. De traditione operis manuscripta agit E. MARTINI, *Textgeschichte der Bibliothek des Patriarchen Photius,* L 1911. Cfr. J. DRÄSEKE, *Zu Photius Bibliothek,* Cod. 1; BZ 5 (1896), 478-480. Criticam huius operis editionem aggressus est R. HENRY, *Photius. Bibliothèque,* I (cod. 1-84) Pa 1959.

[35] J. HERGENRÖTHER, *Photius,* III, 40.

[36] Apud K. KRUMBACHER, *Geschichte der byzantinischen Literatur* ², 75.

[37] Praeter editionem OIKONOMOU, opus dat PG 101, curante Cardinali J. HERGENRÖTHER.

[38] De his v. J. HERGENRÖTHER, *Photius,* III, 70-92; R. DEVREESSE, *Chaînes exégétiques grecques;* Suppl. au Dictionn. de la Bible, I (1929), 1084-1233; K. STAAB, *Neue Pauluskommentare aus der griechischen Kirche;* Bonner Zeitschrift für Theologie und Seelsorge, 7 (1930).

[39] Ex illis 9 edidit A. PAPADOPOULOS KERAMEUS in Православный Палестинскій Сборникъ; 11 (1892), 21-24; editionem retractavit et auxit G. HOFMANN S. I., *Der hl. Johannes Klimax bei Photios;* OCP 7 (1941), 461-479.

[40] G. HOFMANN S.I., l. c., 478 s.

[41] PG 102, 15-264.

scripti post a. 871, quo vertente suum tractatum edidit PETRUS SICULUS [42], a quo PHOTIUS historiam saltem novae haereseos repetit [43].

De Spiritus Sancti Mystagogia, opus praecipuum in polemica cum Latinis, a PHOTIO post a. 886, altero suo exilio, perfectum, ubi suam opinionem argumentis scripturisticis et dialecticis confirmare satagit. Hic autem Liber per plura saecula impervius fuit [44], donec Card. HERGENRÖTHER illum typis vulgandum curavit [45].

Collectanea et Demonstrationes collectae ex synodicis et historicis documentis de Episcopis et Metropolitis, atque de aliis necessariis quaestionibus, breve sunt opusculum, altero Photii Patrarchatui assignari solitum [46], de quo accuratior inquisitio desideratur [47].

Homiliae, quarum duae editae fuerant a COMBESIS [48]; his addidit HERGENRÖTHER alias 20 a se in codicibus repertas [49]. Pleniorem sermonum photionarum editionem dedit ARISTARCHIS, qui circiter 70 diversas orationes profert [50].

Epistulae habentur numero 193, quarum 37 lucem aspexerunt una cum Bibliotheca a HÖSCHEL edita [51]. Postea editio fere completa prodiit curante MONTAGU [52], quem sequitur MIGNE [53]. Recentiore tempore novam magis auctam epistularum collectionem typis dedit VALETTA [54]. Ad nostram autem provinciam pertinent: a) Epistula *inthronistica* a. 860 ad S. Nicolaum Papam [55]; b) *Apologia* ad eundem S. Nicolaum a. 862 [56]; c) *Epistula ad Zachariam* Patriarcham Armenorum [57]; d) *Encyclica ad Orientales thronos* a. 867 [58]; e) *Epistula ad Metropolitam Aquileiae* a. 884 [59].

---

42 V. supra n. 81, not. 9.

43 J. HERGENRÖTHER, *Photius*, III, 147-153.

44 Cfr. infra ad n. 108.

45 Ratisbonae 1857. Editio exstat PG 102, 280-400.

46 J. HERGENRÖTHER, *Photius*, III, 169.

47 Liber adest PG 104, 1219-1232.

48 F. COMBESIS, *Auctarium novissimum Patrum*, Pa 1672, Pars I, 548-553.

49 J. HERGENRÖTHER, *Photius*, III, 232.

50 S. ARISTARCHIS, Φωτίου λόγοι καὶ ὁμιλίαι, 2 vol. C 1900-1901. Homiliae Photii commentario auctae anglice prodiere in lucem, curante C. MANGO, *The Homilies of Photius Patriarch of Constantinople*, Cambridge, Massachussetts 1958.

51 In Ausburg 1601.

52 Londini 1651.

53 PG 102, 585-990.

54 I. N. VALETTA, Φωτίου τοῦ σοφωτάτου καὶ ἁγιωτάτου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως Ἐπιστολαί, Lo 1864. Emendationes quasdam proposuit P. N. PAPAGEORGIOS; BZ 7 (1898), 299-308; 11 (1902), 33-34; 18 (1909) 153.

55 PG 102, 588-593.

56 PG 102, 593-617.

57 PG 102, 703-714.

58 PG 102, 721-741.

59 PG 102, 793-821.

His adde opus canonicum *Syntagma Canonum* [60] et metricas quasdam lucubrationes a MAI repertas [61].

OPERA DUBIA VEL NOTHA: Una cum his operibus alia quoque PHOTIO concessa sunt, de quorum authentia inter criticos non constat:

Nomocanon [62] a pluribus nostris auctoribus fertur ut a PHOTIO ipso recognitus [63]; orthodoxi vero plerique eius auctorem Photium ducunt [64]. Haec vero sententia, quae fundamentum habet in eo quod Nomocanonis nova recensio facta sit a. 882, volvente altero Photii Patriarchatu (quapropter a saeculo XII hoc opus ei tribui coepit) [65], reicienda est, quemadmodum iam contra opinionem MAI animadvertit PITRA [66] et pluribus ostendit ZACHARIAS VON LINGENTHAL [67].

Hymnus Acathistos B. M. V. [68] a quibusdam fertur a PHOTIO concinnatus a. 860-861, cum Russorum classis Constantinopolin obsidebat [69]. Verumtamen, etsi operosum sit assignare tempus quo celeberrimus hic marialis hymnus scriptus fuit, satis tamen constat illum longe antiquiorem esse Photio.

Opusculum contra eos qui dicunt Romam esse primum thronum [70], a BEVERIDGE [71] primum editum ut *epistula Leonis Archiepi-*

---

60 PG 104, 441-976.

61 Ab hoc auctore illas mutuavit PG 102, 276-584. Cfr. LAURIOTES in EA 14 (1895), num. 28.

62 PG 104, 975-1218.

63 J. HERGENRÖTHER, *Photius*, III, 105 s. perpendit mutationes et additiones adhibitas veteri recensioni Nomocanonis XIV titulorum, quas funestas ducit F. CAYRÉ A. A., *Précis de Patrologie*, II, Pa 1930, 365.

64 Sic habet vel ipsa translatio russica: Номоканонъ Константинопольскаго патріарха Фотія съ толкованіемъ Валсамона. Trad. V. NARBEKOV, Kazanii 1899. Cfr. Arch. KALLISTOS, Μελέτη περὶ τοῦ Νομοκάνονος τοῦ Ἁγιωτάτου πατριάρχου Κωνστ. Φωτίου; NS 2 (1905), 57-76, 343-355. 510-524. 878-893; 3 (1906), 11-27. 118-138. 250-265.

65 E. ZACHARIÄ VON LINGENTHAL, *Die griechischen Nomokanones;* Mémoires de l'Académie Imp. des sciences de St. Petersbourg, VII sér., 32, n. 7 (1877), 14.

66 I. B. PITRA, *Iuris ecclesiastici graecorum historia et monumenta*, II, R 1868, 434 ss.

67 C. E. ZACHARIÄ VON LINGENTHAL, *Über den Verfasser und die Quellen des (pseudo-Photianischen) Nomocanon*, P 1885.

68 PG 92, 1335-1342.

69 A. PAPADOPOULO-KERAMEVS, Акаѳистъ Божіей Матери. Русь и патріархъ Фотій; VV 10 (1903), 357-401 hanc sententiam propugnat. Hymnus autem auctorem probabiliter habet ROMANUM MELODUM. Cfr. P. KRYPIAKEVYČ, *De hymni Acathisti auctore;* BZ 18 (1909), 357-382; et recentius E. WELLESZ, *The « Acathistos ». A study in Byzantine Hymnography;* DOP n. 9-10 (1956), 141-174.

70 OCP 6 (1940), 11-17.

71 G. BEVEREGIUS, Συνοδικόν *sive Pandectae Canonum SS. Apostolorum et Conciliorum ab Ecclesia graeca receptorum*, II, Oxonii 1672, ad calcem Partis I, Dd3-Ee. Ab hac priore pendent editiones factae a G. A. RATLI-M. POTLI, Οἱ θεῖοι καὶ ἱεροὶ κανόνες ἢ κανονικαὶ ἐπιστολαί, IV, A 1854, 409-415;

scopi Bulgariae, tributum fuit PHOTIO a FONTANI [72], cuius sententiam probavit HERGENRÖTHER [73] et postea JUGIE [74], qui etiam tempus compositionis assignat a. 864-867. Inter Orthodoxos alii vel auctoritatem Photii respuunt ut KURGANOV [75], vel illam valde minuunt ut ROSSEIKIN [76]; e contra, opusculo confidenter usus est CHR. PAPADOPOULOS in sua opera contra Primatum [77]. Cum vero argumenta tam intrinseca quam extrinseca pro authentia Opusculi nulla fere sint, doctrina autem in eo contenta contradicat menti Photii circa Primatum, videtur hoc Opusculum ei abnegandum [78].

Opusculum contra Francos PHOTIO attribuit HERGENRÖTHER [79]; sed communis iam sententia illud nonnisi saec. XI exeunte scriptum fuisse retinet [80].

84. THEOLOGIAE PHOTIANAE FONTES: Quae cum ita se habeant, etiamsi quidam orthodoxi auctores conquerantur de sic dicto « autodafè » quod opera et scripta PHOTII igne consumpsit [81], non desunt sane authentica documenta e quibus nobis licet haurire mentem et sententiam Photii, seu eius doctrinam theologicam. Huius autem *fontes*, quos accurate investigat HERGENRÖTHER [82], iure assignantur Sacra Scriptura et Traditio, quibus PHOTIUS large adhibet philosophicos conceptus.

Libros *Sacrae Scripturae*, quorum *Canonem* completum amplectitur [83] — deuterocanonicos enim, etiam Veteris Testamenti,

---

I. N. VALETTA, Φωτίου τοῦ σοφωτάτου καὶ ἁγιωτάτου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως Ἐπιστολαί, Lo 1864, 567-571.

72 F. FONTANI, *Novae eruditorum deliciae seu veterum* Ἀνεκδότων *opusculorum collectanea*, I, Florentiae 1785, pars 2, 79 s.

73 J. HERGENRÖTHER, *Photius*, III, 171 s.

74 M. JUGIE A. A., *Photius et la Primauté de Saint Pierre et du Pape*, R 1921, 9. Opusculum etiam adhibet aliis suis lucubrationibus: TDCO, I, 123, 131-138; *Primauté*; DTC 13 (1936), 366 s; *Le Schisme Byzantin*, Pa 1941 136 s.

75 TH. KURGANOV, Къ изслѣдованію о патріархѣ Фотіи; ChC 1895, I, 198 not. 1.

76 TH. ROSSEIKIN, Восточный Папизмъ въ IX вѣкѣ; BV 1915, II, 421.

77 CHR. PAPADOPOULOS, Τὸ πρωτεῖον τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης, A 1930, 172-178.

78 Cfr. *Photius et Primatus Romanus. Num Photius habendus sit auctor Opusculi*: Πρὸς τοὺς λέγοντας ὡς ἡ Ῥώμη θρόνος πρῶτος ?; OCP 6 (1940), 3-39.

79 HERGENRÖTHER, *Monumenta graeca ad Photium eiusque historiam pertinentia*, Ratisbonae 1869, 62-71.

80 Praeter alia indicia sequioris aetatis, opusculum pronuntiat: « Omnes [latini] una cum Papa a multis iam annis extra Ecclesiam degunt »; l. c., 63.

81 Iuxta GEORGIUM METOCHITAM, *ipse* PHOTIUS in Synodo Sanctae Sophiae a. 879-880 igni tradidit omnia sua contra Latinos scripta; P. LAURENT, A. A., *Les actes du synode photien et Georges le Métochite;* EO 37 (1938), 100-106. M. JUGIE A. A., *Le Schisme Byzantin*, 127 not. putat id metaphorice tantum accipiendum esse.

82 J. HERGENRÖTHER, *Photius*, III, 272-356.

83 PG 104, 589 ss.

perinde ac alios libros divinitus inspiratos, confidenter adhibet [84] — PHOTIUS interpretatur sensu *litterali-historico,* a sensu allegorico alexandrinorum abstinens [85].

Traditionem pariter PHOTIUS normam fidei esse ducit, et Patres retinet legitimos et authenticos *interpretes* Sacrae Scripturae et *testes* traditionis non-scriptae [86]. Quos vero Patres et scriptores sacros praesertim adhibeat conjicere possumus ex *Bibliotheca* et ex *Amphilochiis;* videlicet, *antenicaenos* negligit; ex aliis *frequentius* recurrunt SS. Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Basilius, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus Cyrensis et Maximus Confessor. Desunt vero vix non omnes scriptores *Latini* [87], et ex Graecis *S. Ioannes Damascenus.* Alios praeterea bene multos scriptores ipse novit et adhibet, ut IOB monachum, cuius excerpta dat in *Bibliotheca* [88], quique a quibusdam fons dicitur eius systematis trinitarii [89].

Denique plura petit PHOTIUS a *philosophia,* cui iuvenis impense vacavit, quamque semper valde coluit; praesertim vero adamavit Dialecticam Stagyritae [90]. Quin et philosophiam aristotelicam a suis amicis et discipulis, ut ab illo IOANNE philosopho [91], diligenter tractari vehementer cupit. Ob hanc autem in philosophiam inclinationem, PHOTIUS, ut plures sui cives eruditiores, a peregrinis sententiis non semper abhorruit, ut ex. gr. ab asserendis in homine duabus animabus, cuius opinionis contra Photium meminit ANASTASIUS BIBLIOTHECARIUS [92].

85. THEOLOGIAE PHOTIANAE CHARACTERES: Ad indolem quod attinet theologiae photianae, sine ullo fere negotio aliquae proprietates indigitantur; aliae vero difficilius determinari valent.

Constat apud omnes theologiam photianam a) *speculativam* esse valde; neque id mirum si attendas dexteritatem PHOTII in Dialectica, qua facilem de Latinis triumphum reportare sibi visus est in quaestione de Processione Spiritus Sancti.

---

[84] Plures colligit citationes J. HERGENRÖTHER, *Photius,* III, 273.

[85] R. SOUARN A. A., *L'Exégèse de Photius*; Bess 4 (1908), 35-47.

[86] J. HERGENRÖTHER, *Photius,* III, 329.

[87] Per transennam alludit ad S. AUGUSTINUM, cuius unum tantum tractatum novit, nomine tenus, in *Bibliotheca;* rarissime vero adducit auctoritatem S. LEONIS M. et S. GREGORII M. Ceterum, PHOTIUS latinam linguam non callebat.

[88] *Bibliotheca,* Cod. 222; PG 103, 736-839; cfr. *Amphilochia,* q. 188-191. 225. 245; MG 101.

[89] J. SLYPYI, *Die Trinitätslehre des byzantinischen Patriarchen Photius,* Innsbruck 1919, 41.

[90] J. HERGENRÖTHER, *Photius,* I, 330.

[91] *Quaest. ad Amphilochium* 203; PG 101, 945-948.

[92] Archiep. Athen. CHRYSOSTOMOS (Papadopoulos), Περὶ τῆς ἀποδιδομένης εἰς τὸν Μ. Φώτιον δοξασίας περὶ ὑπάρξεως δύο ψυχῶν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ; NS 25 (1930), 409-418.

Hoc autem non impedit quominus in quaestione ecclesiologica: b) theologia photiana induat speciem *iuridicam* et *historicam,* quin unquam recurrat ad intimiorem vitam et naturam Ecclesiae, id quod volupe est hodiernis Orthodoxis, PHOTIO autem alienum prorsus.

Denique c) theologia photiana a nostris ducitur admodum fuisse *versatilis,* ita ut sermo fiat de PHOTIO prius catholice sentiente, deinde doctrinae catholicae adversante [93]. Huic vero sententiae plane accedere non audeo; etsi ultro fatear prioribus suis scriptis PHOTIUM moderatione quadam uti, quam postea abiecit, quando contra S. NICOLAUM I agere coepit [94].

ART. II

Prima Photii cum Latinis controversia

Antequam a. 867 PHOTIUS bellum Latinis indixerit, haud semel suam de rebus fidei doctrinam proposuerat. De his documentis primum agemus, postea sermonem facturi de scriptis polemicis Photii, deque Latinorum ad questiones ab illo motas responsionibus.

§ 1. *Photii mens ante a. 867*

86. EPISTULAE AD ZACHARIAM ARMENORUM PATRIARCHAM ET AD BORIN BULGARIAE REGEM: Omissis homiliis e suggestu Constantinopolitano ante a. 867 prolatis, perpendamus oportet litteras ad Catholicum Armenum Zachariam et ad Borin, dictum etiam Michaelem Bogorin, Bulgariae principem a Photio datas, necnon eiusdem Photii epistulas ad S. Nicolam I circa suam in Patriarcham electionem.

Patriarchae Constantinopolitani haud semel iam antea Armenos litteris convenerant, vel ut illos munirent contra Nestorianismum ut praestitit S. PROCLUS [1], vel ut illos ad doctrinam chalcedonensem atraherent, quae fuit mens S. GERMANI [2]. Hos imitatus PHOTIUS suam dedit *Epistulam ad Zachariam Arme-*

---

93 Cfr. M. JUGIE A. A., *Photius et la Primauté de Saint Pierre et du Pape,* R. 1921. 20.

94 Cfr. infra ad n. 90-91.

1 *Tomus ad Armenios;* PG 5, 856-871.

2 *Epistula 4, ad Armenios;* PG 98, 135-146.

norum Patriarcham [3], quam per IOANNEM NICAENUM Metropolitam misit a. 862-867 [4].

Epistulae textus graecus deperditus est; servatur vero armenica versio, ex qua latinam fecit translationem MAI [5]; textus vero armenus, iuxta cod. 633 Bibliothecae Patriarchalis Armenae, una cum versione russica auctore N. MARR, publici iuris fecit PAPADOPOULOS-KERAMEUS [6]. Versionis autem armenicae authentia commendatur vel ex eo quod illam suae Historiae integram inseruit VARTANUS [7]. Praeter laudatam epistulam ad Zachariam, habentur responsum episcopi SAHAK APIKURECH ad litteras Photii [8], huius epistula ad ACHOT regem Armeniae [9], tractatus IOANNIS NICAENI de varia ratione festorum Nativitatis et Epiphaniae [10] et tractatus dogmaticus NICAETAE BYZANTII contra Sahak Apikurech [11], quae omnia illustrant res gestas a PHOTIO ad promovendam unionem cum Armenis [12].

PHOTIUS Armenis commendat ut Chalcedonense amplectantur Concilium, quaemadmodum illud agnoverunt Armeni praesules qui Conciliis Generalibus V et VI interfuerunt [13], et erroris monophysitici originem detegit in confusione quam statuunt Monophysitae inter naturam et personam [14]. In his autem nihil est animadvertendum; consuetam enim rationem tenet.

Id autem ut declaret PHOTIUS aggreditur explicationem mysterii SS. Trinitatis, quam iis verbis absolvit: « Laetatur Pater gloria Filii; gaudet Filius ob honorem Patris; Spiritus Sanctus Patrem Filiumque glorificat, quippe qui *de illorum substantia* accipiens ... » [15]. Haec autem dicta quandoque accipiuntur ut professio doctrinae *catholicae* de Processione Spiritus Sancti a Patre Filioque, postea a

---

3 J. HERGENRÖTHER, *Photius*, I, 478-504; J. LAURENT, *L'Arménie entre Byzance et l'Islam*, Pa 1919, 309-316.

4 Ita bonis argumentis putat J. LAURENT, l. c., 316. Plura dat V. GRUMEL A. A., *L'envoyé de Photius au catholicos Zacharie: Jean de Niké;* REB 14 (1956), 169-173.

5 A. MAI, *Spicilegium Romanum*, X, Pars 1, R 1839, 449-459.

6 A. PAPADOPOULOS-KERAMEUS, Φωτίου πατριάρχου ἐπιστολὴ Ζαχαρίᾳ τῷ Καθολικῷ τῆς μεγάλης Ἀρμηνίας; Православный Палестинскій Сборникъ 1 (1892), 179-279.

7 VARTANUS MAGNUS, *Historia Universalis* (armenice) V 1862, 82-85; cfr. H. TROPDSCHIAN, *Politische und Kirchengeschichte Armeniens unter Achot I und Sembat I;* Westasiat. Studien 8 (1905), 161.

8 Editum a PAPADOPOULO-KERAMEUS, l. c., 261-264.

9 PG 102, 713-716.

10 PG 96, 1437-1450.

11 PG 105, 588-665.

12 Quibusdam ex iis minus fidit HERGENRÖTHER; cfr. quae in contrarium affert J. LAURENT, o. c., 311 s. Authentiam horum documentorum in discrimen adducit G. GARITTE, *La narratio de rebus Armeniae*; CSCO, 132 (Louvain 1952), 370-375.

13 PG 102, 706.

14 PG 102, 709.

15 PG 102, 710.

Photio ipso acerrime impugnatae [16]; non sunt tamen exaggeranda. Verba enim versionis latinae respondent utique textui armenico, nec dissentit ab illis versio russica recentior [17]; sed desideratur formula textus originalis graeci. Praeterea, epistula hanc formulam sumit a *Symbolo S. Gregorii Illuminatoris,* ut expresse auctor dixit [18]; quonam vero pacto ab auctore epistulae accipiatur, patere censeo ex praecedentibus, in quibus utens imagine Evae et Seth ab Adamo procedentium [19], asserit Filium et Spiritum Sanctum a Patre esse [20], et Spiritum Sanctum promanare de natura Patris [21]. Quae cum ita se habeant, potius dicendum est verbis supra relatis eandem subesse doctrinam, quam paulo post Photius urgebit contra Latinos, licet eam potius celet, sive ut morem gerat Armenis [22], sive propterea quod suus Legatus Ioannes, cum esset natione armenus qui ad byzantinos transierat [23], mitigationem textui armenico adhiberet.

In *epistula autem ad Michaelem Bogorin,* Bulgariae principem [24] Photius, praemisso symbolo Nicaeno-Constantinopolitano, praecipua dogmata explanat, ex ordine recensens septem Generalia Concilia. Tum agit de caritate erga Deum, de officio religionis, deque aliis virtutibus moralibus quae bonum et christianum principem decent.

Momentum ad dogmatum historiam huius epistulae fere praecipuum in eo est quod Photius Conciliis Generalibus iam adnumeret Synodum Nicaenam II [25]. E contra, tacet Synodum Trullanam. Neque omittit primas partes in Oecumenicis Conciliis obtinuisse Romanos Pontifices [26].

---

16 TDCO, I, 184 s.

17 A. Papadopoulos-Kerameus, l. c., 238-239.

18 PG 102-709.

19 Hanc similitudinem potuit bene desumere a S. Gregorio Naz.; PG 26, 145. 348, vel a S. Gregorio Nyss.; PG 44, 1329. Illam quoque adhibet S. Ioannes Damascenus; PG 94, 847.

20 PG 102, 710.

21 Ibid.

22 Armenorum sententia de Processione Spiritus Sancti a quaestione controversa inter Graecos et Latinos praescindit. Synodus Chiravagensis versus a. 862 coadunata, ut Photio responderet, formula utitur « ab utriusque essentia »; A. Balgy, *Historia doctrinae catholicae apud Armenos,* Viennae 1878, 217.

23 Cfr. J. Laurent, o. c., 311, not. 2.

24 PG 102, 628-696.

25 PG 102, 649. Id iam fecerat in epistula ad S. Nicolaum a. 860; Ibid., 593.

26 Ad primam Synodum commemorat Silvestrum et Iulium, celeberrimos Romanae Ecclesiae praesules; ad alteram Damasum qui eius acta « confirmavit »; ad tertiam, Caelestinum, cuius vices gerebat Cyrillus; ad quartam, Leonem, « cuius ingens gloria et multus pro pietate zelus »; ad quintam, Vigilium, « qui fidem communi Patrum suffragio editam », libello suo dato, confirmavit; ad sextam, Agathonem « sanctissimum Papam Romanum »; ad septimam, Hadrianum qui « cathedrae apostolicae tunc dignissime praeerat ».

Definitiones autem dogmaticas a Conciliis latas perpendens, meminit sane divinitatis Spiritus Sancti, occasione Concilii Constantinopolitani I [27], nusquam vero alludit ad doctrinam de Processione. Hisce autem satis palam ostendit animum nondum in Romanos infensum.

87. Epistulae ad S. Nicolaum I: Quum in epistula « *inthronistica* » a. 860, cui suam fidei professionem insertam voluit, tum in « *Apologia* » a. 862, qua difficultates S. Nicolai contra sui in Patriarchatum electionem diluere satagit, Photius nihil asserit quod diversitatem in dogmate afferat; imo, plura meminit circa consuetudines ecclesiasticas, quorum posteriore tempore, contra Latinos agens, oblitus fuit.

Photius profitetur se velle eandem ac Romanum Pontificem fidem tenere: « Quoniam vero optima omnium est fidei communio ... ut id cum vestra sanctitate purum et insolubile vinculum faciamus, censuimus nostram vestramque fidem tamquam in columna scribendam » [28]. Tum subiungit doctrinam de Trinitate [29] et de Incarnatione, secutus Symbolum et Concilia Oecumenica, quibus Nicaenum II adnumerat. S. Nicolaus autem, ad Patriarcham rescribens (24 sept. 860), ait: « Laetificati sumus quia vos catholicum in eis cognovimus ..., ideoque multas gratias Deo omnipotenti retulimus quia vestrum scire de catholico fonte manare experti sumus » [30].

Cum vero S. Nicolaus in medium afferret disciplinam Sardicensem Photii electionem prohibentem [31], in « *Apologia* » contendit se nullius criminis reum esse; nam « qui accipit et violat dignus qui in iudicium iudicatur; qui vero non novit, nec recipit, quomodo obnoxius est? » [32] Porro, Byzantini canones Sardicenses non recipiunt [32].

Quare, suis propriis Constantinopolitani consuetudinibus regantur oportet, etsi diversae sint a consuetudinibus Romanorum: « Ita, ubi nulla est praevaricatio fidei, nec communis et catholici decreti eversio, cum alii apud alios mores et leges custodiantur; nec custodes iniuste agere, nec eos qui non acceperunt contra legem fa-

---

[27] PG 102, 636 s.

[28] PG 102, 589.

[29] De *Processione* autem Spiritus Sancti scribit « principii autem et causae ratonem in Trinitate Pater explet, ... ex quo hic quidem [Filius] sine fluxione et ineffabiliter genitus est, hic vero procedit theologice »; Ibid.

[30] PL 119, 780; Monum. Germ. Histor., Epist. VI (ed. Perels), 440.

[31] PL 119, 780; cfr. 774; Monum. Germ. Histor., l. c., 440.

[32] PG 102, 604.

[33] Circa auctoritatem canonum Sardicensium inter Byzantinos, qui tempore Photii illos recipiunt in recensione Nomocanonis Ioannis Scholastici et Nomocanonis XIV titulorum, cfr. OCP 6 (1940), 34-37.

cere is qui recte iudicare norit definiat » [34]. Hoc vero stabilito generali principio, tamquam exempla *diversae consuetudinis* legitimae adducit ieiunium Sabbati, presbyterorum nuptias et varios sacros ritus [35]. Iustum sane et aequum de his consuetudinibus iudicium, contra quod nihil habet S. NICOLAUS [36] quodque a recentioribus Orthodoxis non potest non agnosci [37].

88. DOCTRINA PHOTII DE PRIMATU: Ad *Primatum* quod attinet, PHOTIUS disserte et clare commendat *Primatum S. Petri,* eidemque applicat verba promissionis; neque ab hac sententia, uti videtur, unquam recessit.

De *Primatu S. Petri* PHOTIUS pluries testimonium dedit, aiens: « Petrus Apostolorum coriphaeus, cui claves et ingressus portarum caelestium concreduntur » [38]; Petrus Princeps Apostolorum, « quasi coronidem rerum praeclare ab eo gestarum et peractarum, pascendi ministerium dignatione Magistri suscepit » [39]; « Petrus, in quo reposita sunt fidei fundamenta » [40]. Sic variis suis epistulis; in homilia autem Feria VI in Parasceve a. 861, ad Sanctae Sophiae, praesentibus Legatis Pontificiis habita, sermonem miscens de triplici Petri negatione, auditores suos alloquitur: « Verum ipse maculam apostasiae lacrimis poenitentiae ita lavavit ut a coriphaei dignitate non deciderit, sed petra fundamentalis Ecclesiae constitutus est, et ab ipsa veritate proclamatus detentor clavium Regni caelestis ». Verba quidem peremptoria, quae frustra editor [41] perlongis contortisque adhibitis commentaris obscurare satagit [42].

Quodsi *Primatum Romanorum Pontificum* consideres, certum est PHOTIUM adversari canonibus Sardicensibus, quorum meminerat S. NICOLAUS [43], quosque hoc tempore Byzantii invocabat THEOGNOSTUS in Syonodo Constantinopolitana a. 861 [44] et

---

[34] PG 102, 605.
[35] Ibid.
[36] PL 119, 789.
[37] Cfr. V. TH. KIPARISOV, Вопросъ о измѣняемости церковной дисциплины; BV 1897, III, 1-26, 103-136; IV, 44-73.
[38] *Epist. ad Michaelem Bulgariae principem;* PG 102, 661.
[39] *Epist. ad S. Nicolaum;* PG 102, 588.
[40] *Epist. ad Nicephorum;* PG 102, 909. His adde *Amphilochia,* q. 1, 43, 97, 194; PG 101, 73. 308. 607. 934.
[41] S. ARISTARCHIS, Φωτίου λόγοι καὶ ὁμιλίαι, 481 s.
[42] De iis cfr. M. JUGIE, A. A., *Photius et la Primauté de Saint Pierre et du Pape,* R 1921, 6. Vide etiam de hoc argumento TH. SPÁČIL S. I., *Conceptus et doctrina de Ecclesia secundum theologiam Orientis separati,* I: Doctrina Photii; OC 2 (1923), 33-34.
[43] PL 119, 774. 780.
[44] CC 16, 297.

Nomocanones Byzantini tam L quam XIV titulorum referebant [45]. Id tamen non est tribuendum sententiae contrariae Primatui, quem Photius admittere vel saltem ferre videtur.

Ut patet ex commercio litterarum Photium inter et S. Nicolaum, quaestio orta est de canone 13 Concilii Sardicensis [46]; etiamsi postea magis generalis evaserit; PHOTIUS enim videtur non solum canonem 13, sed universum Concilium Sardicense auctoritate privare [47]. Quod vero id dicat, non propter contradictionem contra Primatum, sed solummodo ut e medio tolleret argumentum contra validitatem suae electionis infertur et ex silentio quod servat acceptis litteris S. Nicolai Primatus iura et officia amplissimis verbis vindicantis [48], et ex tenore ipso suae « *Apologiae* », ubi dicit canones servari deberi a fidelibus, ab episcopis, « omnium sane maxime [ab iis] quibus in horum numero *primatus obtigit* » [49]. Praeterea, tota sua agendi ratione satis ostendit quantum ipse ponderis attribuat pontificiae confirmationi.

Orthodoxi vero auctores hanc opinionem a PHOTIO arcere student. VALETTA artificiosam adhibet commentationem testimonio supra relato ex *Apologia* [50]; iuxta IVANTSOV-PLATONOV Photius constans fuit in reiciendo Primatu [51]; KIRJEEV scribit epistulis photianis ad S. Nicolaum subesse quandam « ironiam » [52]; ROSSEIKIN mitior est [53]; sed CHRYSOSTOMUS PAPADOPOULOS nihil detegit nisi verba humanitatis, secundum morem tunc temporis invalescentem [54].

§ 2. *Photii scripta contra Latinos*

89. OCCASIO LUCTAE PHOTII CONTRA LATINOS: PHOTIUS plures annos conatus est approbationem S. Nicolai qua rata fieret eius electio in Patriarcham obtinere, sed frustra; neque enim S. Nicolaus illi morem gerere valebat. Id sane non potuit non eius

---

[45] Cfr. I. B. PITRA, *Iuris ecclesiastici Graecorum Historia et Monumenta*; II, R 1868, 377; L. DUCHESNE, *Les canons de Sardique*; Bess Ser. II, 3 (1902), 129-144.

[46] Cfr. OCP 6 (1940), 34 s.

[47] PG 102, 600 s.

[48] PL 119, 785 s.

[49] PG 102, 616. Cfr. ibid., not. 7, ubi animadvertit haec verba callide omissa fuisse in editione facta a. 1706 ab episcopo ANTHIMO.

[50] I. N. VALETTA, Φωτίου τοῦ σοφωτάτου καὶ ἁγιωτάτου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως Ἐπιστολαί; Lo 1864, 163-165.

[51] A. M. IVANTSOV-PLATONOV, Къ изслѣдованіямъ о Фотіи; JMNP 281 (1892), 14-17.

[52] A. KIRJEEV, *Le Patriarche Photius, d'après M. le professeur Ivantzov-Platonov;* RIT 2 (1894), 89.

[53] TH. M. ROSSEIKIN, Восточный папизмъ въ IX вѣкѣ; BV 1915, II, 405-438.

[54] CHR. PAPADOPOULOS, Τὸ πρωτεῖον τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης, A 1930, 137.

animum abalienare a Sede Romana; nihilo tamen minus concordiam penitus non abrumpit. Ansam vero ut contra Occidentales consurgeret ei praebuit *quaestio bulgarica* et conflctus inter missionem byzantinam et latinam apud Bulgaros [55].

Nempe, MICHAEL BOGORIS, Boris etiam dictus, Bulgarorum princeps, qui bello superatus pacem et religionem christianam a Byzantinis accepit a. 864, baptizatus fuit a. 865 a delegato PHOTII Patriarchae a quo et litteras accepit, quibus christianum dogma docebatur [56]. Insequenti vero anno 866 legatos misit ad LUDOVICUM PIUM Francorum regem, cui iam a. 862 consilium aperuerat de amplectenda christiana fide, et ad S. NICOLAUM Papam, qui hac occasione scripsit suam notissimam epistulam ad Bulgarorum quaestiones [57]. MICHAEL autem Bogoris, tanta erga Romanam Sedem veneratione ferebatur, ut publice sese dixerit servum B. Petri et eius Vicarii [58]; quare, latinis admissis, graecos missionarios, in quos iam antea crudeliter saevierat [59], e Bulgaria expulit.

Haec cum rescivisset PHOTIUS, coacta Synodo a. 867 ineunte, Latinos damnavit et synodalem dedit epistulam seu *Encyclicam ad Orientales Thronos* [60], eos invitans ad Concilium quod aestate a. 867 Constantinopoli celebratum fuit [61]. In Concilio Latini denuo anathemate mulctati sunt, S. Nicolaus autem depositus, perinde ac si contra leges electus fuerit. Sed brevi, MICHAELE III Imperatore occiso (23-24 septembri 867) et eius loco BASILIO I MACEDONE suffecto, omnia mutata sunt: S. IGNATIUS Sedi suae restituitur, pax redintegratur cum Ecclesia Romana, PHOTIUS vero in exilium proficisci cogitur [62].

90. ENCYCLICA AD ORIENTALES THRONOS DE LATINORUM ERRORIBUS: Constat apud omnes PHOTIUM in hac sua cum Romana Sede altercatione minime temperasse ab insectationibus

---

[55] Cfr. F. DVORNIK, *Les Slaves, Byzance et Rome au IX siècle*, Pa 1926, 184-195; AE. HERMAN S. I., *Le cause storiche della separazione della chiesa greca*; La Scuola Cattolica 68 (1940), 134 s.; M. JUGIE A. A., *Le Schisme Bpzantin*, Pa 1941, 110-116.

[56] A. VAILLANT et M. LASKARIS, *La date de la Conversion des Bulgares*; Revue des Études Slaves 13 (1933), 6-15; cfr. Byz 8 (1933), 663-668.

[57] PG 102, 628-696; PL 119, 978-1016.

[58] Id refert ANASTASIUS BIBLIOTHECARIUS; CC 16, 11; PL 129, 20. Boris autem pietatis fama vel remotiora Occidentis monasteria peragravit, ut apparet ex *Chronico Reginonis* ad a. 869; Monum. German. Histor., Scriptores, I, 580.

[59] Cfr. PL 119, 986.

[60] TH. M. ROSSEIKIN, Окружное посланіе Фотія, патріарха константинорольскаго; BV 1915, I, 122-157.

[61] TH. M. ROSSEIKIN, Константинопольскый соборъ 867 года; BV 1915, I, 365-394.

[62] TH. M. ROSSEIKIN, Фотій и Василій Македонянинъ (Первое низложеніе Фотія, патр. конст.) ; BV 1915, I, 835-864.

etiam scriptis, contra fidem et privilegia et mores Ecclesiae Veteris Romae, quemadmodum et litterae S. Nicolai [63] et Synodus Romana a. 869 sub Hadriano II [64] abunde testantur. Haec autem scripta quaenam fuerint nescimus; cum vel temporis decursu interierint vel ab ipso auctore e medio sublata fuerint [65]. Una restat *Encyclica ad archiepiscopales thronos per Orientem obtinentes, Alexandrinum scilicet et ceteros, in qua de capitulis quibusdam dubiis solutiones meditantur* [66].

In exordio Photius describit intemeratam fidem Ecclesiae Constantinopolitanae, quae praeteritorum errorum experientia edocta adeo pura evasit, ut sperare liceat nullos deinceps Byzantii existere posse haeresum inventores. Hoc exemplo demonstrat nationis Armenae Byzantinorum ope ab errore revocatae, et praesertim conversione Bulgarorum. Ii vero, cum puram a Byzantinis doctrinam didicerint, modo iam, biennio vix elapso, Latinorum erroribus graviter coinquinantur [67].

Imprimis autem denuntiat atque damnat *ecclesiasticos mores* a Latinis introductos relate ad *ieiunium* et *coelibatum*, necnon circa *Confirmationis* ministrum:

« Contra Ecclesiae canones [68] illicite ad Sabbatorum ieiunia traducebant ... In secundis, primam ieiuniorum quadragesimalium scilicet septimanam a cetero ieiunio discerpentes, in lactis potionem, casei esum et similium ingurgitationem traxerunt. Ab iis exordiis transgressionum vias dilatantes de recto tramite et recta via deturbarunt; sacerdotes deinceps legitimo coniunctos matrimonio qui puellas sine viro mulieres effecerunt et mulieres pueros educantes, quorum nemo patrem novit — vere, uti dixeram, sacerdotes Dei abominari et adversari docuerunt ... Sed et chrismate inunctos per sacerdotes denuo chrismate inungere non dubitabant, cum se epi-

---

63 *Epistula ad Michaelem III*; PL 119, 929.

64 « Similiter de ceteris scripturis quae, viris iam nominatis [Photio et Michaele] auctoribus, contra eandem Sedem tempore diverso sunt editae, gerendum modis omnibus definimus »; nempe, « igni voranda tradantur et anathemate perpetuo percellantur »; CC 16, 128.

65 Iuxta Ioannem Beccum, in concilio a. 879-880 Photius « quidquid adversus Romanam Ecclesiam dissidii tempore actum fuerat pronuntiatumque anathemate ferit »; *Ad Theodorum Sugd. episc.;* PG 141, 338.

66 PG 102, 721-741.

67 Loquens de missionariis latinis, ait: « Isti inquam ... tamquam aper agrestis vineam Domini dilectam nuper consitam insilientes, pedibus et dentibus, hoc est semitis quibusdam politiae turpis et dogmatum depravatorum, quae illorum erat audacia, depraedantes devastabant »; PG 102, 724.

68 Canones autem respicit praesertim Synodi Trullanae, cuius nullam fecerat mentionem ad Borin scribens. Cfr. supra n. 86.

scopos praedicarent et praesbyterorum chrisma inutile quiddam et frustra factum comminiscerentur »[69].

Quod vero presbyteris liceat Confirmationem impertiri ostendit ex eo quod nulla sit lex solis episcopis id concedens[70]. Ad priores autem consuetudines latinas reiciendas adhibet Canonem Apostolorum 64[71], Canonem 55 Trullanae Synodi[72], Canonem 4 Concilii Gangrensis[73], Canonem Trullanum 13[74].

91. ARGUMENTA CONTRA « FILIOQUE »: Alterum vero et longe gravius accusationum caput est doctrina Latinorum de *Processione Spiritus Sancti* a Patre et Filio, quam iteratis argumentis dialecticis PHOTIUS confutare studet.

« Sanctum et sacrum Symbolum — inquit PHOTIUS — quod ab omnibus oecumenicis conciliorum calculis confirmatur et vim obtinet irresistibilem, sensibus spuriis, verbis ascititiis, quae summa fuit ipsorum audacia, conabantur adulterare. O machinationes diabolicas! Spiritum Sanctum novo more comminiscebantur *non de solo Patre,* sed *etiam de Filio* procedere »[75]. Sic enuntiato dogmate Latinorum, subiungit 14 argumenta:

1. Latinorum sententia semel admissa, monarchia in duplicem solvitur deitatem, et quidem absque ulla vel apparenti utilitate, siquidem processio a Patre iam perfecta est atque completa. 2. Hinc sequeretur quamlibet Personam quae ex alia est, ab aliis duabus esse; et sic etiam Filius a Patre et Spiritu gigni dicendus foret. 3. Vicinior esset substantiae Patris Filius quam Spiritus, qui mediante Filio a Patre procedit. 4. Quod commune est Patri et Filio commune est et Spiritui Sancto; quare et processio activa communis Patri et Filio communicaretur Spiritui Sancto, qui proinde a se ipso procederet. 5. Hoc posito, solius erit Spiritus (ac proinde esset eius proprietas) multiplex principium habere. 6. Si Spiritum excludunt ab illa quam statuunt Patris et Filii in essentia (alludit ad spira-

---

[69] PG 102, 724 s.

[70] PG 102, 735. Cfr. L. PETIT A. A., *Le pouvoir de consacrer le saint Chrême;* EO 3 (1899), 1-7; J. DESLANDES, *Le prêtre orthodoxe ministre de la confirmation;* EO 29 (1930), 5-14.

[71] « Si quis clericus inveniatur diem Dominicam ieiunare vel etiam Sabbatum, excepto uno Sabbato solo, deponatur; sin laicus fuerit, separetur a communione ».

[72] « Quoniam intelleximus in Romanorum civitate in sanctae Quadragesimae ieiuniis in eius sabbatis ieiunare, praeter ecclesiasticam traditam observationem, Sanctae Synodo visum est ut in Romanorum quoque ecclesia inconcusse vim habeat canon qui dicit: si quis clericus ... ».

[73] « Si quis presbyter qui uxorem duxit discernat, quasi non oporteat eo sacra celebrante oblationi communicare, sit anathema ».

[74] « Hominum qui sunt in sacris legitima coniugia deinceps quoque firma et stabilia esse volumus ... ».

[75] PG 102, 725.

tionem activam) communione, mihi dicant quomodo Spiritus cum eis identificetur substantia. 7. Latinorum sententia gratuita sacrae paginae contradicit, cum Christus dicat *Spiritus qui ex Patre procedit*, Latini vero *Spiritus qui a Filio procedit*. Contradicit quoque universo SS. Patrum choro: « exarmatur contra sacras synodos, beatos et sanctos Patres falsificat, nempe, magnum Athanasium, theologiae titulo decantatum Gregorium, Basilium illum Ecclesiae vere regiam stolam, aureum orbis os vere Chrysostomum pelagus sapientiae. Quid autem hunc vel illum compellem? Contra omnes omnino sanctos prophetas, apostolos, sacerdotes, martyres et ipsius etiam Domini voces blasphema haec et Deo bellum indicens vox exarmatur » [76]. 9. His dictis revertitur ad argumenta rationis: vel eadem processione venit a Patre et a Filio, et tunc miscentur proprietates; vel diversa, et tunc habebis contrarios Patrem et Filium. 10. Si a duobus procedit compositus erit Spiritus. 11. Illud principium activum processionis quarta evadet persona, et sic quattuor ponuntur hypostases in divinis. 12. Si Spiritus totam suam essentiam a Patre accipit, quid, quaeso, a Filio accipere dicetur? 13. Quoniam unius tantum sunt proprietates, si hanc proprietatem spirandi Filio das, Patrem illa privas. 14. Quinimo, et revera de Latinorum sententia nulla est processio; cum illud principium neque sit commune, neque personale quid; iam vero extra commune et personale nihil in Trinitate cogitare licet.

Bene autem novit PHOTIUS alia praesto esse argumenta, quae tamen « in conventum communem » reservare se ait [77]: Quid autem in Synodo actum sit nescimus, et quae nova argumenta prolata sint pariter ignoramus. Sed quae nobis dat Encyclica maxima attentione digna iure habentur. Est enim *prima* rationalis argumentatio Byzantinorum in favorem formulae « ex Patre solo », quam et ipse PHOTIUS in sua *Mystagogia* postea magis evolvit et posteriores auctores continuo iterant in controversia cum Latinis.

Ut legenti patet, PHOTIUS argumenta, telorum instar, proicit, absque mutuo logico nexu. Facile autem est illa ad certa quaedam principia reducere, quibus totum suum systema trinitarium consistit. Haec vero *axiomata* HERGENRÖTHER septem recensuit [78], quae a nostris scriptoribus saepius discusa sunt [79]. Absque ullo negotio illa ad

---

[76] PG 102, 729.
[77] PG 102, 732.
[78] J. HERGENRÖTHER, *In librum de Spiritus Sancti Mystagogia animadversiones historicae et theologicae;* PG 102, 399-542.
[79] P. DE MEESTER O. S. B., *Études de théologie orthodoxe*, I, Maredsous 1911, 44-50; M. JUGIE A. A., *TDCO*, I, 193-205; J. SLYPIJ, *Die Trinitätslehre des by-*

duo praecipua revocabis: primum, « Proprietates in divinis ita personales sunt ut nullus relinquatur locus proprietati quae sit duabus tantum Personis communis »; alterum, « Processiones, seu ut rectius ad captum Byzantinorum loquamur, filiatio et processio fiunt secundum rationem hypostaseos, minime vero secundum rationem naturae ».

92. Doctrina Photii de Primatu Romano: Suis litteris Encyclicis Photius nonnisi subobscure alludit ad Primatum. De illo vero hoc tempore male sentire clare infertur ex litteris S. Nicolai, qui Photio exprobrat ambitionem qua Romanum *Primatum sibi usurpare* praesumpsit. Atqui haec videtur genuina Photii sententia, durante hac prima cum Latinis controversia.

Iura Primatus attingit et laedit Photius ad finem *Encyclicae ad Orientales thronos*, ubi dicit se pronum ad damnationem S. Nicolai, suadentibus ipsis Italis, qui frequentes ad Photium epistulas dederant contra Romanum episcopum; quarum litterarum exemplar Photius ad Orientales mittit [80]. Pariter, antequam consuetis salutationis verbis finem scribendi faciat, *iubet* Concilium Nicaenum II Oecumenicis Synodis in posterum esse adnumerandum [81], sibi usurpans ius et officium Sedis Romanae, cuius Primatum etiam hac ratione nonnihil vulnerat.

Quid vero ferebatur contra Sedis Romanae Primatum bene possumus haurire ex S. Nicolao, qui ad Michaelem Imperatorem scribens consulto praetermittit quaecumque contra se dicta fuere; ast dissimulare penitus nequit quae Ecclesiae Romanae privilegia minuunt [82]; nimirum, praerogativa S. Petri perpetua in Ecclesia non agnoscunt [83], canones adhibent ad ostendendum Romanum Pontificem Patriacharum Constantinopolitanorum causas ad se avocare non posse [84], et commemoratis certis quibusdam historicis factis asserunt Sedem Constantinopolitanam Romana non egere [85]. Clarius adhuc Byzantinorum conceptum reddit eiusdem S. Nicolai *epistula ad Hincmarum* a. 867: « Sed quid mirum si hoc isti praetendunt, cum etiam glorientur atque perhibeant, quando de Romana Urbe imperatores Constantinopolin sunt translati, tunc et *Primatum* Romanae Sedis ad Constantinopolitanam Ecclesiam *transmigrasse*, et

---

zantinischen Patriarch Photius, Innsbruck 1919; L. Lohn S. I., *Doctrina Graecorum et Russorum de Processione Spiritus Sancti*. I: Photii temporibus, R 1934.

[80] PG 102, 737.

[81] PG 102, 740.

[82] PL 119, 929.

[83] PL 119, 948.

[84] PL 119, 955.

[85] PL 119, 947.

cum dignitatibus regiis etiam Ecclesiae Romanae privilegia translata fuisse? Ita ut eiusdem invasor Ecclesiae PHOTIUS etiam ipse se in scriptis suis archiepiscopum atque universalem Patriarcham appellet » [86].

Haec autem, cuius S. NICOLAUS meminit sententia, quamque PHOTIO attribuit, recurrit in aliis documentis eiusdem aetatis. Anonymus graecus auctor commentariorum ad Nomocanonem XIV titulorum, in quorum numero habetur caput « de dignitate sanctissimi throni Constantinopolitani » [87], canonem 28 Chalcedonensem ad ultima perduxit consequentia: « Sciendum est Patres idcirco Ecclesiae Constantinopolitanae secundum locum assignavisse, quia tunc senior Roma imperium tenebat. Igitur, si ut dicit haec sancta Synodus, Patres privilegia dederunt Seniori Romae quia caput erat Imperii, merito *nunc primas tenet Nova Roma,* quippe quae, nostris diebus, sola est, quae ex Dei beneplacito Imperium teneat ». Nec alia est mens BASILII MACEDONIS, qui versus a. 885, durante altero Photii patriarchatu, in sua *Epanagoge* ait: « Sedes Constantinopolitana, imperio decorata, synodalibus sententiis *prima omnium dicta est;* quibus divinae leges obsequentes iubent causas et controversias in aliis sedibus exurgentes ad illius examen et iudicium deferri » [88].

Doctrina, ut vides, ad amussim respondens theoriae quam denuntiat S. Nicolaus apud Photium, quamque nos retinere possumus ut veram Patriarchae mentem in sua contra Romanum Pontificem disceptatione [89].

---

[86] PL 119, 1157.

[87] Commentarium graecum reperit et edidit A. PAVLOV, Анонимная греческая статья о преимуществахъ константинопольскаго патріаршаго престола; VV 4 (1897), 143-159. M. JUGIE A. A., TDCO, I, 62 putat auctorem Synodo Trullanae coaevum. Videtur autem commentarium graecum redactum fuisse paulo ante primam slavicam versionem Nomocanonis, i. e., medio saec. IX. Cfr. hac de re TH. KURENT S. O. C., *Studia quaestionem de Primatu Ecclesiae saeculo IX disputatam illustrantia*; AAV 13 (1937), 269-270.

[88] C. E. ZACHRIAS A LINGENTHAL, *Ius Graeco-romanum*, IV, L 1865, 183. Haec autem theoria de translatione Primatus a Veteri ad Novam Romam reviviscit saec. XIV apud Byzantinos; TDCO, IV, 427-430.

[89] Qui vero utuntur Opusculo *contra eos qui dicunt Romam primum thronum esse,* ut opere Photii, ei attribuunt absolutam omnis Primatus reiectionem, ut M. JUGIE A. A., *Le Schisme Byzantin,* Pa 1941, 136 s; cfr. supra n. 83, qui simul ait a Photio propugnari sententiam de translatione Primatus; Ibid., 138; quomodo autem ab uno eodemque auctore, eodem tempore, et Primatus Romanus cupide usurpetur, et Primatus dicatur Evangelii corruptio (« Voilà, dit notre polémiste - iuxta JUGIE, o. c., 137 - le fondement putride des privilèges romains »), intelligere non valeo.

§ 3. *Latinorum responsa*

93. De ortu opusculorum latinorum contra Graecos: Ut Graecorum accusationibus responderent plures Latini tractatus cocinnarunt, e quibus duo nobis servati sunt, alter Aeneae Parisiensis, Ratramni Corbeiensis alter; uterque pertinet ad coetum theologorum carolinorum, qui rigidiores semper fuerunt in diudicandis sententiis et formulis Byzantinorum.

Qua vero *occasione* praefati auctores scripserint scimus ex *epistula S. Nicolai I ad Hincmarum* episcopum Rhemensem [90] die 23 octobris 867 data. Argumentum est controversia cum Byzantinis, quam S. Nicolaus tribuit odio — quia Romana sedes partes S. Ignatii contra Photium sustinuit — et invidiae — quia Bulgari ad illum sese converterunt ut institutores haberent [91]. Tum ad accusationes venit quas Graeci contra Latinos movent; illas desumit ab epistula quam Imperatores Michael III et Basilius I, Photio agente, ad regem dederunt Bulgarorum, « quam ille accipiens nobis per legatos nostros deferri devota mente decrevit » [92]. Has vero litteras « aliis scriptis » complevit.

Porro, qui fuerint sic dicti errores Latinorum recenset Pontifex in hunc modum: « Conantur enim tam nostram specialiter quam omnem generaliter quae lingua latina utitur Ecclesiam reprehendere, quod *ieiunamus in Sabbatis*, quod *Spirtum Sanctum ex Patre Filioque procedere* dicamus, cum ipsi hunc tantum ex Patre procedere fateantur. Dicunt praeterea nos abominari nuptias, quia *presbyteros sortiri coniuges* prohibemus; et insimulare tentant quoniam eosdem *presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes* inhibemus: quod tamen *chrisma nos ex aqua fluminis* conficere fallaciter arbitrantur. Reprehendere nihilominus moliuntur eo quod octo hebdomadibus ante Pascha a carnium, et septem hebdomadibus a casei et ovorum *esu more suo non cessamus*. Mentiuntur quoque nos, sicuti per alia ipsorum conscripta indicantur, *agnum in Pascha*, more iudaeorum, super altare pariter cum Dominico corpore benedicere et offerre. Quin et reprehendere satagunt quia penes nos clerici *barbas radere* suas non abnuunt; et quia *diaconus, non suscepto presbyteratus officio, apud nos episcopus* ordinatur ... Et adhuc, quod est gravius et insanius, *a missis nostris* contra omnem regulam et praeter omnem consuetudinem, libellum fidei, si se ab illis recipi vellent, exigere moliebantur » [93]. Hisce ul-

---

90 PL 119, 1152-1161.
91 PL 119, 1153.
92 PL 119, 1155.
93 PL 119, 1155-1156.

timis verbis respicit quaestionem *de Primatu*, quam paucis interiectis denuo considerat, denuntians Byzantinorum opinionem de Primatus a Veteri ad Novam Romam translatione [94].

Cum res sic se habeant Constantinopoli, cumque periculum sit ut in aliis quoque patriarchatibus difficultas oriatur, Pontifex episcopos hortatur ut unitis viribus strenue pro veritate decertent [95], eos iubens ut singuli, coactis synodis, de his tractent, et quod repererint ad Romanum scribant episcopum [96]. Quo vero hoc negotium facilius procederet, illud CAROLO CALVO Imperatori enixe commendat [97]. Harum consultationum fructus sunt opuscula latina contra Photium [98].

94. AENEAE PARISIENSIS LIBER ADVERSUS GRAECOS: AENEAS PARISIENSIS episcopus creatus (ca. 853-857), Caroli Calvi, cuius in palatio munere Cancellarii perfunctus est, amicissimus, magno gavisus est nomine in Synodis quae hoc tempore in Galliis frequenter sunt convocatae. Obiit sexta Kalendas ianuarias a. 871 [99]. Eius opusculum, quod audit *Liber adversus Graecos* [100], neque perspicuitate neque ingenio commendatur, ita ut DRÄSEKE scribat: « illud si perlegissent Graeci nulla sane iniuria possent exprobare ' barbaris ' eorum ingenii inopiam » [101].

Hoc tamen iudicium mitigationem quandam sane patitur; neque enim deest quidam ordo et apta divisio in commentario, testimoniis Patrum referto. Agit autem imprimis de Processione Spiritus Sancti [102], deinde de coelibatu ecclesiastico [103], de ieiunio [104], de confirmatione [105], de capillis et barba [106], de Primatu Romani Pontificis [107].

Operis autem, ad instar Florilegii lucubrati, methodus est prorsus positiva; quinimo, unam respicit Traditionem Patrum et Conciliorum, quorum locos adducit ab omni personali commentatione

---

94 PL 119, 1157.
95 PL 119, 1160.
96 PL 119, 1161.
97 *Epist. 153 ad Carolum Calvum;* PL 119, 1161.
98 Cfr. J. HERGENRÖTHER, *Photius* I, 667-684; J. DRÄSEKE, *Ratramnus und Photius;* BZ 18 (1909), 396-421.
99 PL 121, 681.
100 PL 121, 685-762.
101 J. DRÄSEKE; l. c., 407 s.
102 Cap. 1-94; PL 121, 691-721.
103 Cap. 95-168; PL 121, 721-739.
104 Cap. 169-177; PL 121, 739-743.
105 Cap. 178-181; PL 121, 743-744.
106 Cap. 182-186; PL 121, 744-748.
107 Cap. 187-210; PL 121, 748-762.

plerumque abstinens; quando vero id praestat parum sane feliciter haud raro loquitur [108].

Sin quaeras quos Patres adducit, in prima parte, quae est de Spiritu Sancto, adhibet S. Athanasium (19 testimonia), S. Ambrosium (4 test.), S. Augustinum (19 test.), S. Cyrillum Alexandrinum (2 test.), Didymum, iuxta versionem S. Hieronymi (6 test.), S. Hilarium Pictaviensem (3 test.), S. Hormisdam (1 test.), S. Leonem Magnum (1 test.), S. Gregorium Magnum (4 test.), S. Fulgentium (8 test.), S. Isidorum Hispalensem (6 test.), S. Prosperum (1 test.), S. Proclum Constantinopolitanum (1 test.), quibus addit Agnellum (1 test.), Alcuinum (11 test.), Cassiodorum (2 test.), Prudentium (4 test.), et Vigilium Africanum (1 test.). In favorem coelibatus adhibetur S. Paulus, Concilium Nicaenum, Concilia Carthaginense, Ancyranum, Laodicense, Neocaesareense, Decretalia Siricii et S. Leonis Magni, auctoritates S. Ambrosii, S. Hieronymi, Origenis, Isidori et Vitae S. Basilii. Ad ieiunium et abstinentiam veniunt S. Faustinus et S. Augustinus. De Confirmatione ius latinum roborant Decretalia Innocentii et S. Gelasii. Circa barbae tonsuram inducit S. Hieronymum, S. Gregorium, S. Isidorum. Denique Primatui adhibet Concilia Nicaenum, Carthaginense, Sardicense, Commonitorium S. Gelasii, S. Leonem Magnum et S. Gregorium Magnum.

Ut videre est, nihil aliud habetur in hoc libro quam testimoniorum congeries, absque altiore quaestionis consideratione. Satis etiam apparet auctorem ex una epistula S. Nicolai desumpsisse errores Graecorum, neque illos sedulo investigasse. Quare, nihil mirum si haec prima responsio ad Graecos praetervolet ea quae magis in quaestionem venire debuissent. De ecclesiasticis enim usibus agit Photius Trullana fretus Synodo; respuit auctoritatem canonem Sardicensium de Primatu, quem potius considerat iuxta canonem 28 chalcedonensem; processionem Spiritus Sancti ab uno Patre exstruit argumentis dialecticis ... Quibus omnibus ne indirecte quidem satis Aeneas facit.

138. Ratramnus Corbeiensis eiusque Libri quattuor contra Graecos: Ratramnus, in Gallia probabiliter natus, monachus Monasterii Corbeiensis in Germania, deinde coenobio Orbacensi in dioecesi Suessonensi praepositus, celebris habetur inter scriptores latinos saec. IX, magnis elatus laudibus a Ioanne Trithemio [109], qui eum *Bertramum* appellant, quod nomen ferunt primae operum Ratramni editiones.

---

[108] Cfr. e. g. de S. Fulgentio (de quo nihil exstat, praeter fragmenta commemorata ab Aenea, qui rursus illa petit a Theodulpho Aurelianensi), sistens in missione temporali, quin assurgat ad Processionem, de qua fit quaestio.

[109] *De Scriptoribus Ecclesiasticis;* PL 121, 11-12.

Ut theologus partes habuit in controversia de Praedestinatione, in qua Gotteschalco generalem Dei salvificam voluntatem neganti plus aequo favit [110]. Scripsit praeterea *de natura animae* [111] et notissimum suum tractatum *de Corpore et Sanguine Domini,* quem nonnulli Ioanni Scoto Eriugenae falso tribuerunt, contra Paschasium Radbertum, et ipsum Corbeiensem monachum, ubi ambigue loquitur de praesentia Christi Domini in Sacramento Eucharistiae, perinde ac si praesens esset non in veritate, sed in figura; id causa fuit cur liber, sub nomine Bertrami, in Indicem Librorum prohibitorum referretur, licet non defuerint qui auctoris orthodoxiam vidicare studuerint, ut Iacobus Boileau [112].

Opusculum autem contra Graecos, cui titulus *Ratramni Corbeiensis Monachi contra Graecorum opposita Romanam Ecclesiam infamantium Libri quattuor* [113], rectam in omnibus profitetur sententiam, estque opus praecipuum contra Photium, iubente S. Nicolao Papa, scriptum.

96. Analysis operis Ratramni: Agens de hoc volumine primus eius editor Acherius scribit: « Ratramnus noster id muneris sibi impositum accurate, eleganter et prosus erudite quattuor peregit libris » [114]. Recentius vero Dräseke scriptum voluit: « Iure optimo potuit Occidens gloriari tali ac tanto defensore et propugnatore suae fidei » [115]. Id autem valet imprimis de quaestione circa Processionem Spiritus Sancti.

Omissis iis quae omni prorsus destituuntur fundamento, ut sunt illa de oblatione agni in die sancto Paschatis, de chrismate ex aqua confecto [116], Ratramnus exorditur a praecipua controversia *de Spiritus Sancti Processione,* quam tribus primis libris continenter agitat.

In Libro I discutit argumentum Sacrae Scripturae. Considerat autem textus: *quem ego mittam vobis* [5], *de meo accipiet et annunciabit vobis* [118] et *misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem Abba, Pater* [119]. Tum, fusius agit de effusione Spiritus a Filio vel per Filium — quod idem prorsus valet [120] — ut ostendat missionem temporalem aeternam praesupponere processionem; « Nemo

---

110 I. F. de Groot S. I., *Conspectus Historiae Dogmatum* II, R 1931, 391.

111 A. Vilmart, *L'Opuscule inédit de Ratramne sur la nature de l'âme;* Revue Bénédictine 43 (1931), 207-223.

112 Opere edito Pa 1712; cfr. PL 121, 103-126, 171-222.

113 PL 121, 225-354.

114 PL 121, 223-224.

115 J. Dräseke, *Ratramnus und Photius;* BZ 18 (1909), 411.

116 PL 121, 225-226.

117 Ioan. 15, 26; PL 121, 229.

118 Ioan. 16, 14; PL 121, 229-230.

119 Galat. 4, 6; PL 121, 232.

120 PL 121, 233.

quod non habet donare praevalet: sic Filius testatur habere Spiritum Sanctum quem dedit obedientibus sibi ... Quod non alias Filius faceret, si non a se quoque Spiritus Sanctus procederet » [121]. His positis, maiore iam cum libertate textus quamplures adducit, quibus non inmoramur, cum non tam argumentum quam ornamentum sint huius primi libri.

In libro II ad Concilia et Patres attentionem convertit. Primum agit de Symbolo Nicaeno, ubi legitur sane *Credimus et in Spiritum Sanctum;* sed si legitime alia adiunguntur, quae a Graecis recipiuntur, cur non licebit Filioque symbolo adhiberi? Praesertim cum haec additio necessaria sit, ne si Spiritus Sanctus a Patre diceretur, filius etiam Patris putaretur Spiritus [122]. Testimonia deinde Patrum aggressus, citat S. Athanasium, vel potius Symbolum pseudo-Athanasianum, cui subiungit auctoritates S. Ambrosii, S. Gregorii Nazianzeni, Didymi Alexandrini et Paschasii diaconi.

Librum III integrum dicat S. Augustino, quem ducit doctorem praecipuum, « cui iuge certamen adversus haereticos mansit; cuius doctrinae simul et eloquentiae non solum Ariana subiacuit impietas, verum reliquorum haereticorum, Macedonianorum videlicet, Manichaeorum, Pelagianorum cessit immanitas » [123], licet iam ipse suspicetur: « Fortassis Graecorum tumor opponat Latinorum auctoritatem se recipere nolle » [124]. Praecipuum vero locum Augustini petit a *quaestione secunda ad Orosium*, ubi non solum clare enuntiat processionem « ab utrisque », verum etiam probat Evangelio. « Quid isthic, ait Ratramnus, o Graecorum principes, dignum reprehensione iudicatis? Dicit Spiritum a Patre Filioque procedere: probat hoc Evangelii testimonio. Dicit et Patris et Filii esse Spiritum; affirmat tam ex Evangelio quam ex Apostolo. Si non vultis Latinis, Evangelio credite, si verbis Augustini aurem praebere non vultis, praebete Christo, praebete Apostolo » [125]. Quibus disputatis, subiungit quosdam locos Gennadii Constantinopolitani, Fulgentii et tandem S. Athanasii, « ut is sit clausula testificationis de Processione Spiritus Sancti, qui fuit intium » [126].

Liber IV exorditur a *diversis Ecclesiae consuetudinibus*; ita ut primo loco quaestionem generalem instituat: licere nempe, ubi nullum est fidei periculum, diversa uti consuetudine; idque probat allatis exemplis ex ipsis Orientalibus Ecclesiis et documentis historicorum graecorum petitis [127]. Ad particularia autem descendens,

---

[121] PL 121, 235; cfr. 236.

[122] PL 121, 247. Hic autem decipitur errore Ratramnus dum putat apud Graecos, sicut apud Latinos, licere dicere Filium *procedere* a Patre; textus enim S. Ioannis quo innititur: *Ego ex Deo processi et veni;* Ioan. 8, 42 graece habet ἐγὼ γὰρ ἐκ τοῦ θεοῦ ἐξῆλθον καὶ ἥκω.

[123] PL 121, 271.

[124] PL 121, 272.

[125] PL 121, 273-274.

[126] PL 121, 297.

[127] PL 121, 305-306.

a) circa *ieiunium Sabbati* demonstrat in aliis quoque ecclesiis hunc usum vigere, nec sua pietate hanc praxin destitui, videlicet, ob sepulturam Domini; remque totam pulchro S. Augustini testimonio confirmat [128]; *b*) pari ratione, ad diversas Orientis et Occidentis consuetudines appellans, solvit dubia de *Quadragesimae* observatione [129]; *c*) de *barbae* autem *tonsura,* quam quaestionem spernendam ducit, allegat quosdam locos S. Scripturae et usum depingendi S. Petrum absque barba [130]; *d*) de *coelibatu* clericorum pluribus agit. Commemoratis consilio Apostoli Pauli et decretis Synodorum Nicaenae, Neocaesariensis et Carthaginensis, argumentatur ad hominem ex ipsis legibus Ecclesiae Graecae, quae episcopatum denegat sacerdotibus uxoratis, coelibatus praestantiam hoc pacto commendans [131]; *e*) tandem, ad *Confirmationis ministrum* quod attinet, licet Graecorum consuetudinem non improbet, latinum usum legitimum ostendit ex praeeminentia episcoporum prae simplicibus presbyteris [132].

Ultima agitata quaestio est *de Primatu Romano.* Ratramnus ius divinum Primatus Romani ostendere conatur ex promissione Primatus S. Petro facta et ex vocatione S. Pauli, qui ambo universum eorum apostolatum — in circumcisionem et in gentes — Romanis tradiderunt Pontificibus [133]. Horum porro ius declarant monumenta antiquitatis; videlicet, regula ecclesiastica Papae Iulii, Concilium Sardicense, Eusebius in Vita S. Silvestri, litterae Imperatorum Constantinopolitanorum ad Romanos Pontifices et epistulae S. Leonis Magni; in quibus omnibus apparet auctoritatem Praesulis Byzantini intra propriae dioeceseos confinia necessario contineri; Romani vero Pontificis iurisdictionem ad universam Ecclesiam sese extendere [134].

97. Crisis de opere Ratramni: Validissime tuetur Ratramnus Ecclesiae Romanae consuetudines, ac praesertim eius doctrinam de Processione Spiritus Sancti, etiamsi, *Encyclicam Photii ignorans,* ad eius argumenta dialectica directe non respondeat. In quaestione vero de Primatu Romano minus feliciter egisse dicendus est.

Praecipua sane laus auctoris reponenda est in quaestione de *Spiritus Sancti Processione,* quam sensu catholico declarat innixus auctoritate *Sacrae Scripturae;* Ratramni enim argumentatio adeo est fundata ut vix quidquam adiungendum sit, efficacior autem fuisset si textum graecum, quem ignorat, magis attenderet. Ad argumentum autem *Patrum* quod spectat, paucissimos sane novit Pa-

---

128 PL 121, 313-314.
129 PL 121, 317-322.
130 PL 121, 322-323.
131 PL 121, 330-331.
132 PL 121, 332-334.
133 PL 121, 335.
134 PL 121, 336-343.

tres Graecos, videlicet S. Athanasio tantum, S. Gregorio Nazianzeno et Didymo utitur, sed indolem patristicae graecae assecutus est. Non enim quaerit verba quae Latinis consonent, sed praecipuos Patrum Graecorum conceptus rimatur, quibus relationem Spiritus Sancti ad Filium declarat. Praeterea, nexum inter processionem aeternam et missionem temporalem apte demonstrat, et futuris accusationibus obviam fit, dum ostendit praepositionem « per » eundem habere sensum ac praepositionem « ex » ubi sermo fit de divinis processionibus [135]. Quae cum ita sint, dolendum sane est Ratramno non licuisse *argumenta dialectica* Photii perpendere; indirecte vero aliqua habetur responsio ad id quod caput est argumentationis photianae, dum loquitur de Patre et Filio tamquam unico principio Spiritus Sancti, qui totus a Patre et totus a Filio procedit [136].

Ad *Primatum* autem Sedis Romanae vindicandum non satis insistit in divina origine potestatis primatialis; cum privilegiorum Romanorum Pontificum, alia a Christo Domini, alia ab universa Ecclesia, i. e. a Conciliis, alia ab Imperatoribus collata existimet [137].

98. Doctrina S. Nicolai I de Primatu Romano. Si velimus plenam ac sinceram de Primatu Romano doctrinam habere, quae Byzantinorum opinioni opponatur, adire debemus epistolas S. Nicolai I qui receptam de suae Sedis Primatu doctrinam, in rebus cum Occidentalem, tum etiam Orientalem Ecclesiam respicientibus, amplissime et accurate declarat [138].

Hanc autem de Primatu sententiam, quam separationis causam fuisse ducunt [139], plures auctores respiciunt adeo S. Nicolao propriam ut facile pronuntient vel ab eo primum universalem iurisditionem Romanae Sedis propugnari, quae est sententia quorundam Orthodoxorum [140], vel saltem hanc doctrinam novo veluti respectu donari, ut contendunt Vetero-catholici [141].

---

[135] PL 121, 233; cfr. 269.

[136] PL 121, 296; cfr. 276.

[137] PL 121, 343-344.

[138] Genuinam S. Nicolai mentem prae aliis declarat Th. Kurent S. O. C., *Doctrina S. Nicolai Papae de Primatu Romano*; AAV 14 (1938), 18-24, 81-105, 267-292. Ad historiam S. Nikolai cfr. E. Amann, *L'époque carolingienne*, in opere A. Fliche-V. Martin, *Histoire de l'Église*, VI Pa 1938, 367-395.

[139] Sic A. P. Lebedev, Исторія раздѣленія церквей², M 1900, 343, 347 s.

[140] Sic vult Encyclica Patriarchae Constantinopolitani a. 1863; apud TDCO, 1, 386; V. Guettée, *La papauté schismatique*, Pa 1863; Chr. Papadopoulos, o. c., 144 s. De S. Nicolao saepius agunt Orthodoxi, cum in generalibus tractatibus, ut S. Pretečenskii, Развитіе вліянія папскаго престола на дѣла западныхъ церквей до конца IX вѣка; PS, 1890, III, 98-226-294; IV, 89-139; Chr. Papadopoulos, Τὸ πρωτεῖον τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης, A 1930, 135, tum in dissertationibus de hac re editis, ut Archihereus C. Bäalädeanu, *Papa Nicolai I-iĭ;* BOR 26 (1902-1903), 1268-1282, 1375-1388; 27 (1903-1904), 53-64.

[141] Cfr. E. Michaud, *L'ancienne et la nouvelle Église en Occident au XIe siècle;* RIT 5 (1896), 471.

In suis autem litteris conscribendis S. NICOLAUS usus est ANASTASIO BIBLIOTHECARIO, qui proinde alienus non est a formulis et a doctrina quae hisce in litteris usurpantur; quanam vero ratione id dici possit ac debeat recte explicat PERELS [142], epistularum editor.

Epistulas si evolvas invenies iam a primo tempore sui Pontificatus (858-865) S. NICOLAUM propugnare *universalem* et *plenam iurisdictionem* Sedis Romanae, eandemque a divina institutione repetere [143]. Id autem magis inculcat litteris datis occasione controversiae photianae, quibus perspicue tradit et divinam originem privilegiorum Romanorum, et inamovibilitatem Primatus a Veteri Roma, confutans opiniones a Byzantinis excultas.

Iam a. 862, respondens ad « Apologiam » Photii, scripserat: « Constat enim sanctam Romanam Ecclesiam per beatum Petrum principem Apostolorum, qui dominico ore primatum Ecclesiae suscipere promeruit, omnium ecclesiarum caput esse et ea rectitudinem atque ordinem in cunctis utilitatibus et ecclesiasticis institutionibus, quas secundum canonicas et synodicas sanctorumque Patrum sanctiones inviolabiliter atque irrefragabiliter retineret, exquirere ac sectari. Et ideo consequens est ut, quod ab huius sedis rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis praepediente occasione proprias tantum sequendo voluntates removeatur, sed firmius et inconcusse teneatur » [144]. Idem argumentum fusius et pressius contra theoriam byzantinam de origine et de translatione Primatus declarat in epistula ad Michaelem III a. 865: « Praesertim cum Ecclesiae Romanae privilegia, Christi ore in beato Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita antiquitus observata, atque a cuncta Ecclesia iugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari; quoniam firmamentum quod Deus posuit humanus non valet amovere conatus, et quod Deus statuit firmum validumque consistit ... Privilegia, inquam, istius Sedis vel Ecclesiae perpetua sunt, trahi possunt, evelli non possunt. Quae ante imperium vestrum fuerunt et permanent, Deo gratias, hactenus illibata manebuntque post vos et, quousque christianum nomen praedicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt immutilata ... Ista igitur privilegia huic sanctae Ecclesiae a Christo donata, a Synodis non donata, sed iam solummodo celebrata et venerata; per quae non tam honor quam onus nobis incumbit; licet ipsum

---

142 E. PERELS, *Papst Nikolaus I und Anastasius Bibliothecarius*, Be 1920, 242-306.

143 Cfr. J. ROY, *Principes du pape Nicolas 1er sur les rapports des deux puissances*, Pa 1896; H.-X. ARQUILLIÈRE, *Sur la formation de la théocratie pontificale*; Mélanges Lot, 1925, 10-24.

144 PL 119. 785-786.

honorem non meritis nostris, sed ordinatione gratiae Dei per beatum Petrum et in beato Petro simus adepti, nos cogunt nosque compellunt omnium habere sollicitudinem Ecclesiarum Dei » [145]. In hoc autem iterum iterumque insistit: « Proinde, animadvertendum est quia non Nicaena, non denique ulla Synodus, quodquam Romanae contulit Ecclesiae privilegium, quae in Petro noverat eam *totius iura potestatis pleniter* meruisse, et cunctarum Christi ovium regimen accepisse » [146]. Haec autem « totius iura potestatis » ita accipit et interpretatur S. NICOLAUS ut sub his « plenitudo potestatis » veri nominis veniat: « Suscepit ergo ac continet in se Romana Ecclesia quod Deus universalem Ecclesiam suscipere ac continere praecepit » [147].

99. DOCTRINA S. NICOLAI ET PSEUDO-ISISORIANA: Doctrina perspicua est, et prout a S. NICOLAO traditur fulcitur innumeris documentis antiquitatis christianae, praesertim testimoniis praecedentium Pontificum. Attamen non defuerunt qui hanc S. Nicolai doctrinam a falsis repeterent *Decretalibus,* quae hoc tempore, sub ementito nomine Isidori Mercatoris — seu Peccatoris ut nonnulli codices ferunt, neque immerito ... — in Occidente vulgari coepta sunt [148].

Si audias Protestantes et Gallicanos, pseudo-Decretalia condita sunt Romae, et quidem ut supremam Romani Pontificis auctoritatem, etiam supra Concilia, extollant [149]. Hanc opinionem, quam obsoletam dicit VILLIEN [150], frequentarunt Orthodoxi [151], eandemque recentius colunt plures, quos inter Archiepiscopus Atheniensis Chrysostomus PAPADOPOULOS [152]. Sed modo generalis sententia tenet pseudo-Isidoriana conficta esse in Gallia, sive in civitate Rhemensi [153], sive in provincia Turonensi, in civitate Le Mans [154], versus annum

---

[145] PL 119, 948.

[146] PL 119, 949.

[147] PL 119, 952.

[148] Pseudo-Isidoriana edita sunt a P. HINSCHIUS, *Decretales pseudo-isidorianae et Capitula Angilramni*, L. 1863. PL 130 sequitur antiquiorem editionem curante MERLIN, Coloniae 1530.

[149] Huius opinionis fuerunt D. BLONDEL, *Pseudo-Isidorus et Turrianus vapulantes*, Génève 1620; VAN ESPEN, *Dissertatio de collectione Isidori vulgo Mercatoris*, Lovanii 1753; FEBRONIUS, *De Statu Ecclesiae*, cap. 3, par. 9; cap. 7, par. 2; THEINER, *De pseudo-isidoriana canonum collectione*, Breslau 1827.

[150] A. VILLIEN, *Décrétales (les fausses)*; DTC 4, 214.

[151] Лжеисидоровскія Декреталы и ихъ значеніе въ исторіи развитія папксой системы; ChC 1862, I, 27-86.

[152] CHR. PAPADOPOULOS, Τὸ πρωτεῖον τοῦ ἐπισκόπου ʽΡώμης, A 1930, 136 ss.

[153] Ita vult E. SECKEL, *Pseudo-Isidor;* Protest. Realencyclopädie, 16 (1905), 278-279.

[154] Hanc probabiliorem sententiam defendit P. FOURNIER, *Études sur les fausses décrétales;* RHE 7 (1906), 33-51, 301-316, 543-564,761-784; cfr. 783 s.

850 [155], eo fine ut ecclesiasticam episcoporum iurisdictionem a civili potestate liberarent [156].

Utrum vero S. NICOLAUS *pseudo-Decretalia noverit*, eisdemque usus fuerit, non una sententia est. MÜLLER propugnat influxum huius falsae collectionis in litteras Pontificis [157]; SCHRÖRS e contra putat nullam fuisse notitiam pseudo-Isidorianorum in scriptis S. Nicolai [158]; alii denique mediam viam tenent: primis suis epistulis Pontifex ignarum sese ostendit huius operis, ut cum a. 863 scribit ad Hincmarum Rhemensem [159]; anno autem 864-865, cum Rothadus Romae versaretur, aliqui galli episcopi quosdam e pseudo-Isidorianis textus produxerunt in Romana Curia, quae eis, parce tamen admodum, uti coepit. Haec est sententia FOURNIER [160] et HALLER [161].

Verum age; si quaeras quod *pondus* pseudo-Isidoriana, etiam posteaquam Romanis innotuerunt, in opere litterario S. Nicolai obtineant, non est negandum levia quaedam vestigia adesse in formulis iuridicis ab ANASTASIO Pontificis Secretario adhibitis [162], sed perperam quis assereret ob pseudo-Isidoriana Pontificem suam doctrinam de ambitu potestatis primatialis immutasse [163].

Si agatur de influxu litterario, a pseudo-Isidoro repetenda est institutio quae audit « exceptio spolii » de restitutione nempe episcoporum antequam de sua causa iudicium feratur [164], necnon illud « resumptis viribus » aliaque paucissima [165]. Sin vero quaestio instituatur de ipso doctrinali conceptu, fatemur sane in collectione Pseudo-Isidoriana Romanum *Pontificem supra Concilium* extolli, id quod menti S. Nicolai apprime respondet; satis est legisse falsa decretalia pseudo-Marcelli, pseudo-Iulii, pseudo-Felicis, pseudo-Damasi, pseudo-Pelagii [166]. Attamen hic conceptus iam an-

155 Ibid., 316.
156 Ibid., 51.
157 A. V. MÜLLER, *Zum Verhältniss Nicolaus I und Pseudo-Isidors*; Neues Archiv für Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde, 21 (1900), 652-653.
158 M. SCHRÖRS, *Papst Nikolaus I und Pseudo-Isidor;* Historisches Jahrbuch 25 (1904), 1-33.
159 PL 119, 822.
160 P. FOURNIER, *Études sur les fausse décrétales;* RHE 8 (1907), 30-39.
161 I. HALLER, *Nikolaus I und Pseudoisidor,* Stuttgat 1936, 173-179.
162 Anastasio haec omnia attribuit A. LAPÔTRE, *De Anastasio Bibliothecario Sedis Apostolicae,* Pa 1885, 143-176.
163 In hanc sententiam scripsit J. RICHTERICH, *Papst Nikolaus* I, Bern 1903.
164 M. SCHRÖRS, *Die pseudo-isidorianische Exceptio expolii bei Papst Nikolaus I;* Historisches Jahrbuch 26 (1905), 275-298.
165 Illa colligit P. FOURNIER; l. c., 23-25.
166 Ps. MARCELLUS: « Ut nulla fieret Synodus praeter eiusdem Sedis auctoritatem »; Ps. IULIUS: « Non oportere praeter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari »; Id.: « Canonibus quippe in Nicaene Synodo iubentibus non

tiquitus ab Ecclesia receptus, inventus non fuit a pseudo-Isidoro, qui non tam nova proferre, quam aliunde notas et vulgatas sententias, confictis antiquitatis documentis, roborare studet [167].

Sic, relate ad auctoritatem Romani Pontificis erga Concilia, id quod nostra quam maxime refert, praesto aderant S. NICOLAO authentica documenta; ut puta, praeambulum Decreti S. GELASII ad episcopos Dardaniae: « Unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat [Romanus Pontifex] et continuata moderatione custodit » [169]; quam sententiam iterant sequenti saec. VI CASSIODORUS in sua *Historia Tripartita* [170] et PELAGIUS I, cuius sunt verba: « nullam Synodum generalem ratam esse quae Sedis apostolicae non fuerit auctoritate congregata vel fulta » [171]. His absque dubio nitebatur S. NICOLAUS cum a. 860 ad Michaelem Imperatorem scriberet: « Absque Romanae Sedis Romanique Pontificis consensu nullum insurgentis deliberationis terminum dari, ut Patres nobis tradiderunt » [172]; et a. 862 cum Photio commendaret auctoritatem Sedis Romanae, « cuius auctoritate atque sanctione omnes synodi et sancta concilia roborantur et stabilitatem sumunt » [173].

ART. III

Ultima Photii scripta contra Latinos

100. PHOTIANA SCRIPTA. INFLUXUS RATRAMNI: Cum a. 878 PHOTIUS, demortuo S. Ignatio, denuo Patriarcha fieret, pacem, uti videtur, cum Ecclesia Romana, retinuit, donec a. 886 exilio mulctatus est [1]. Attamen, non solum exulis vitam agens, sed

---

debere, praeter sententiam Romani Pontificis ullo modo concilia celebrari »; PL 130, 219, 620, 626.

[167] E. AMANN, *L'époque carolingienne*; in opere A. FLICHE-V. MARTIN, *Histoire de l'Église*, VI, Pa 1937, 366 iure contendit pseudo-Isidoriana id unum utilitatis afferre: « donner à certaines formules, selon lesquelles s'exerce le pouvoir suprême dans l'Église, un cachet d'antiquité qui leur manquait ».

[168] ES 163.

[169] A. THIEL, *Epistulae Romanorum Pontificum genuinae*, Brunsbergae 1868, 415.

[170] PL 69, 950.

[171] PH. JAFFE-G. WATTENBACH, *Regesta Romanorum Pontificum*, n. 954, I 2, L 1885, 137.

[172] PL 119, 773.

[173] PL 119, 788. Quae cum ita sint iure merito scribit P. FOURNIER: « A dire vrai, dès les premières années de son pontificat, les idées de Nicolas 1er sont fixées et ne varient pas; il serait téméraire d'en faire remonter la cause aux Fausses Décrétales »; l. c. 8 (1907), 27; et TH. KURENT: « Doctrinam suam Nicolaus ex fontibus revelationis satis comprobat, nec ullo documentum fictitiorum fulcro indiget »; l. c., 291 s.

[1] Quantam apud Byzantinos commotionem provocaverit hoc alterum exilium Photii comprobat scholion quoddam astrologicum editum a F. BOLL, *Die Verbannung des Photios*; BZ 8 (1899), 158.

etiam durante hoc altero patriarchatu a sua sententia contra Latinos propugnanda non plane destitit.

Documenta autem a Photio edita de hoc argumento recensenda sunt: a) *Epistula ad Metropolitam Aquileiae*[2], Walpertum, qui hoc tempore quandam cum Romano Pontifice contentionem habuerat[3], a. 884 scripta; b) opus *de Spiritus Sancti Mystagogia*[4], post mortem utique Hadriani III (884-885) exaratum, sed probabiliter ante pontificatum Formosi (891-896), quem Photius non citat inter Romanos Pontifices qui suae sententiae, ut putat, favent[5]; c) *Collectanea de Metropolitis et Episcopis*[6]; d) quibus addere possumus *Opusculum seu Libellum contra veteris Romae asseclas*[7], dubiae sane authenticitatis[8], sed apte compendians argumenta photiana de Processione Spiritus Sancti; e) et *Acta Synodi photianae* Sanctae Sophiae (a. 879-880), quae tamen caute adhibenda sunt; a pluribus enim censentur arte a Byzantinis deturpata[9].

Sed antequam horum scriptorum argumentum ingrediamur, praevia occurrit quaestio: Photius, dum illa redigeret, *noverat Latinorum opuscula* contra ipsum elucubrata? Affirmative respondendum est; licet non plene, sed indirecte vel fragmentarie, illa Photius cognoverit.

In praeambulo Epistulae ad Metropolitam Aquileiae ait: « *Pervenit ad aures nostras* quod nonnulli Occidentalium divinum et sanctissimum Spiritum non solum ex Deo et Patre, verum etiam ex Filio procedere novo dogmate introducunt »[10]. Praeterea, adversa-

---

2 PG 102, 793-821.

3 TDCO, I, 189.

4 PG 102, 280-392.

5 V. Grumel A. A., *Formose ou Nicolas 1er? (dans la Mystagogie de Photius, n. 84)*; EO 33 (1934), 194-195; F. Dvornik, *Études sur Photius;* Byz 11 (1936), 1-19.

6 PG 104, 1220-1232.

7 PG 102, 392-397.

8 J. Hergenröther, apud PG 102, 273 s.

9 Cfr. de hac quaestione V. Grumel A. A., *Le Filioque au Concile Photien de 879-880 et le témoignage de Michel d'Anchialos,* EO 29 (1930), 257-264; M. Jugie A. A., *Les actes du Synode Photien de Sainte Sophie (879-880)*; EO 37 (1938), 89-99; V. Laurent A. A., *Les actes du Synode Photien et Géorges le Métochite*; EO 37 (1938), 100-106; V. Grumel A. A., *Le décret du Synode photien de 879-880 sur le Symbole de foi*; EO 37 (1938), 357-371; M. Jugie A. A., *Origine de la controverse sur l'addition du Filioque au Symbole*; RSPT 28 (1939), 369-385. Jugie, qui authentiam Actorum propugnat, hanc retinet sententiam in opere *Le Schisme Byzantin,* Pa 1941, 126-128. Denique, J. Hergenröther, *Photius,* II, 644 conjicit, volvente altero patriarchatu, Photium novam vulgasse editionem *Encyclicae ad Orientales Thronos,* omissis iis quae consuetudines respiciebant, retentis vero argumentis contra Processionem Spiritus Sancti ex Patre et Filio.

10 PG 102, 797.

rios saepius loquentes introducit: « ast inquiunt » etc. Denique, Ratramni influxui iure optimo tribui potest, si Photius agens de Spiritu Sancto, una cum argumentis dialecticis, pluribus agat de Sacra Scriptura et Latinorum Patrum sententiam attendat et suo marte explicet.

Ceterum, cum latinam linguam ignoret PHOTIUS, Carolinorum argumentationis notitiam hausit, sive ex brevi quodam graeco compendio, quae est opinio HERGENRÖTHER [11] et JUGIE [12], sive ex aliorum orali relatione, ut DRÄSEKE [13] dicere mavult. Sed quidquid sit, relate ad opus Ratramni, quod est praecipuum, duo sunt retinenda: PHOTIUM ignorare integrum opus, argumenta autem nonnulla a Corbeiensi scriptore adhibita illum movisse ut suam de Spiritu Sancto doctrinam compleret.

101. DOCTRINA PHOTII DE MENTE SS. PATRUM CIRCA PROCESSIONEM SPIRITUS SANCTI: *Sanctos Patres*, quos in Encyclica silentio praeterierat, modo, etsi vaga quadam ratione, ita explicat ut Latinorum testimonia quibus adversarii praesertim fulciuntur, suspecta esse tradat; confidenter vero asserat Graecos suae opinioni suffragare, quin tamen ulla usquam verba Patrum in medium adducat.

Id PHOTIUS excusat proterea quod ipsi in exilio scribenti librorum copia desit; « Quodsi quando Dominus nobis direptos libros atque amanuenses restituat, fortasse habebis, Sanctissimo Spiritu nobis afflante, etiam testimonia ... » [14]. Interea, quonam pacto devitet auctoritatem Patrum *Latinorum* paucis concludit *Libellus*: « Praetendunt autem Ambrosium ita dixisse in suis libris, ac pariter Augustinum et Hieronymum; super quibus respondendum vel Pneumatomachos eorum scripta depravasse, vel eos secundum oeconomiam fortasse locutos fuisse ..., vel ab accurata eos theologia, quae est hominum conditio, deflexisse » [15]. Hoc pluribus evolvit in *Epistula ad Metropolitam Aquileiae;* videlicet, pauci sunt in numero Patrum [16], dispensatione quadam utuntur, cum ad haereticos verba facerent [17], nihil mirum si debitos dogmatis limites hac in re sunt praetergressi [18]; quare magis foret pium de illis silere [19]. Hanc vero pietatem maxime suis commendat adversariis in *Mystago-*

---

[11] J. HERGENRÖTHER, *Photius*, III, 160.
[12] TDCO, I. 196.
[13] J. DRÄSEKE, *Ratramnus und Photius*; BZ 18 (1909), 414.
[14] PG 102, 389.
[15] PG 102, 393.
[16] PG 102, 809.
[17] PG 102, 812.
[18] PG 102, 813.
[19] PG 102, 809-812.

gia [20], denuo appellans ad oeconomiam [21] et ad labilem humani ingenii conditionem [22], addens suspicionem: « Dixit Augustinus et Hieronymus Spiritum a Filio procedere. Et unde potest haberi aut dari fides, post tot annos elapsos, non esse illorum scripta per malitiam depravata? » [23]. Denique, Latinis obicit Romanorum Pontificum sententiam, incipiens a S. Damaso, qui Concilium Oecumenicum II confirmasse traditur a Photio, usque ad Hadrianum III in sua synodica epistula ad Photium [24].

De *Graecis* autem Patribus, quos a Latinis usurpari scit, contentus est illa intima persuasione, omnes originem Spiritus Sancti a solo Patre ducere solere; quare, ad finem *Mystagogiae* confidenter pollicetur testimonia, cum primum liceat, se allaturum: « necnon habebis confutationem ipsorum ex testimoniis quae ipsimet producunt deductam; imo et ipsorum in his rebus dolos et fraudes; itemque beatorum ac sapientissimorum nostrorum Patrum testimonia constantissima atque irrefragabilia, quibus confunditur et impietatis arguitur istius apostasiae sententiae » [25].

102. Photius de testimoniis Sacrae Scripturae: Ut satis faceret obiectationibus Latinorum Photius non potuit non explicationem adhibere locis Sacrae Scripturae quae Latinis praesidio sunt maximo. Circa verba D. Pauli: *Spiritum Filii* (Gal. 4, 6) non est sollicitus de uno certo ac determinato sensu vindicando; satius ei est si dicat his verbis neque affirmari neque negari processionem Spiritus Sancti a Filio; quare tunc solum argumentum evaderet Latinis, si alii afferantur loci quibus diserte affirmatur processio a Filio; ut evenit relate ad dictum: *Spiritus Dei,* vel *Patris* [26].

In *Epistula ad Metropolitam Aquileiensem* D. Paulum in hunc sensum trahit: Spiritus dicitur Filii, quia ei est consubstantialis [27]. Id autem fusius explanat in *Mystagogia* [28], varias subiungens diversasque interpretationes, priorem declarationem de consubstantialitate complens ac corrigens. Commemorans descensum Spiritus super Christum ad flumen Iordanum: « Et quomodo non inde confestim ad Pauli commigrasti vocem qua dicit *Spiritum Filii sui?* Certo, loco effingendae monstruosae processionis, facile intellexisses

---

[20] PG 102, 345. 349-352.
[21] PG 102, 352-353.
[22] PG 102, 357.
[23] PG 102, 352.
[24] PG 102, 361-384.
[25] PG 102, 382.
[26] Sic in *Mystagogia*; PG 102, 384-385.
[27] PG 102, 804.
[28] PG 102, 328-337.

merito dici Spiritum Filii quoniam *Spiritus manet in Filio* » [29]. Tandem, ad finem operis, novam quandam rationem detegit, videlicet: *unctionem Filii a Spiritu*: « Spiritus dicitur Spiritus Christi, et qua ratione dicatur non est difficile ex Isaia discere ... Spiritus quidem Domini [accipe Dei Patris] utpote consubstantialis: Spiritus vero Filii, licet sit consubstantialis, tamen propter unctionem dicitur » [30]. Sed has omnes explicationes vel inscius infirmat, dum asserit per se *Spiritum Filii* dicere solummodo quandam Spiritus ad Filium habitudinem; quae qualis fuerit aliis locis adductis declarare necesse est [31].

Quare, attentionem convertit ad testimonium Christi Domini: *de meo accipiet* (Ioan. 16, 1. 12); de meo autem significare contendit *de meo Patre,* parvi faciens et exegesin SS. Patrum quorum meminit Ratramnus, et ipsum contextum Evangelii: *omnia quaecumque habet Pater mea sunt; propterea dixi quia de meo accipiet.*

Arbitrarium enim ducit illud *de meo* in *de me* transmutari, ut vult sententia Latinorum. Sic in *Epistula ad Aquileiensem*: « Non enim dixit *ex me,* sed *de meo,* videlicet Patre ... Quomodo enim non pudet, dicente Domino *Spiritus de meo accipiet* ... non ita ac ille dixit istud *de meo* accipere, sed vitiata littera, eius loco *ex me* rescribere? » [32]. Neque in *Mystagogia* aliud tradit: « Certe enim vocem *de me* Christus non enuntiabit; tu tamen, licet non voce, at saltem fraudis exercendae studio vocem *de meo* in hanc aliam *de me* transformans ... » [33]. Suam vero interpretationem, quam adeo planam obviamque ducit ut vel ipsis pueris manifesta sit [34], confirmat ex fine quem Christus Dominus sibi praefixit: ne, videlicet, disciputi putarent Spiritum Sanctum, utpote maiora dona praebentem, Filio esse superiorem, utrumque ab uno eodemque Patre originem ducere patefecit [35].

Unum igitur remanet testimonium evangelicum de Processione Spiritus Sancti: *Spiritum veritatis qui a Patre procedit* (Ioan. 15, 26), sensu exclusivo accipiendum: « Ex Patre Spiritum procedere Filius ipse sacra sua institutione tradit; et tu alium quaeris adhuc

---

29 PG 102, 372.
30 PG 102, 388.
31 PG 102, 384-385.
32 PG 102, 303-809.
33 PG 102, 297-312.
34 PG 102, 301: « Vides quomodo ne illa quidem quae pueris trita sunt calles? nam vel pueri grammaticorum frequentantes scholas sciunt, voce hac *de me* illum ipsum includi qui orationis pericopem protulit; hac autem *de meo* aliam personam disserte significari, unitam quidem iuribus coniunctionis cum eo qui vocem pronuntiavit, sed differentem omnino quoad hypostasim ».
35 PG 102, 305-308.

doctiorem qui te imbuat, imo potius inficiat impietate, Spiritumque a Filio progredi fabularis? »[36].

103. De additione vocis Filioque ad Symbolum: Iam aliquid insinnuaverat Photius contra additionem « Filioque » ad Symbolum Nicaeno Constantinopolitanum in *Encyclica* a. 867[37]; ultimis autem suis scriptis illam magis diserte confutare satagit. Ut praescindamus a decreto Synodi photianae a. 879-880, de quo controversia est[38], in libro *de Spiritus Sancti Mystagogia* non solum additionem respuit, verum etiam argumenta profert cur additionem Filioque prorsus illegitimam reputet.

Ferunt in Synodo a. 879-880 instauratum fuisse decretum Ephesinum omnem ad Symbolum additionem vetans[39], id quod, sin minus directe, saltem subdole contra « Filioque » Latinorum directum accipiunt plures nostri auctores[40]. Attamen vel ipsa praesentia Legati Ioannis VIII, qui Synodo praeerat, dubiam reddit hanc rigidiorem interpretationem. Praeterea, Acta, etiam prout iacent, non omnem vetant additionem, sed illam dumtaxat quae fiat « nulla existente haeresi, per Maligni artes introducta ».

In *Mystagogia*[41] autem Photius contra « Filioque » adducit decretum Chalcedonense de non condendo Symbolo a Nicaeno diverso[42]; quod decretum complet actis ipsius Concilii Chalcedonensis in Sessione V declarantis Symbolum in his quae pertinent ad Trinitatem perfectum esse[43]. Deinde auctoritatem allegat Romanorum Pontificum qui fidei declarandae « Filioque » adhibere minime sunt ausi, ut patet, ait, si inspicias scripta Vigilii, Agathonis, Gregorii Magni[44], Zachariae, Leonis III, Nicolai, Ioannis VIII et Hadriani III. Quae vero fusius hic habet iam paucioribus dederat in *Epistula ad Metropolitam Aquileiae*[45].

---

[36] PG 102, 280-281; hanc eandem argumentationem usurpaverat in *Encyclica ad Orientales Thronos;;* PG 102, 728-729.

[37] « Sanctum et sacrum Symbolum ... sensibus spuriis, *verbis adscititiis*, ... conabantur adulterare »; PG 102, 725.

[38] Cfr. supra n. 100.

[39] J. Hardouin, *Conciliorum Collectio*, VI, 336.

[40] Lege TDCO, I, 189.

[41] PG 102, 361-384.

[42] CC 7, 1 s.

[43] CC 7, 107 s.

[44] Verba S. Gregorii M. a Photio relata sonant: « ex Patre procedit et in Filio manet », secundum graecam versionem; originalis autem textus latinus habet: « Ex Patre et Filio procedit »; Gregorio autem Photius jungit Zachariam, qui fuit eius graecus translator.

[45] PG 102, 797-801, 817-820. Photium abstinuisse e controversia de additione « Filioque » tradit M. Jugie A. A., *Origine de la controverse sur l'addition du Filioque au Symbole*; RSPT 38 (1939), 369-385; quem refutat V. Grumel A. A., *Photius et l'addition du Filioque au Symbole de Nicée-Constantinople*; REB 5 (1947), 218-234.

104. SENTENTIA PHOTII DE PRIVILEGIIS ET CONSUETUDINIBUS ECCLESIAE ROMANAE: Quodsi PHOTIUS suam contra Latinos sententiam de Spiritus Sancti Processione ad finem usque vitae suae propugnare pergit, oblivioni tradit quae durante suo primo patriarchatu dixerat circa usus et consuetudines Ecclesiae Latinae. Relate ad Primatum abstinet quidem a directa impugnatione; quaedam vero etiam hoc tempore scripsisse fertur, quae auctoritatem Romanae Sedis labefactant.

Nullum quidem verbum reperies dictum a PHOTIO contra diversas Latinorum *consuetudines* ecclesiasticas; neque id mirum, cum vel ipsa Synodus photiana eas legitimas pronuntiaverit [46].

Primatum vero nonnihil laedunt *Collectanea de episcopiis et Metropolitis;* quod est opus concinnatum ex operibus historicis Socratis, Sozomeni, Theodoreti et Evagrii, necnon ex Actis Conciliorum, ad Photii agendi rationem commendandam, non obstante contradictione Romanae Sedis; imo, et Photii ordinationem a Gregorio Asbesta Syracusano episcopo, excommunicato, allatis exemplis, opusculum legitimam ducit [47]. Interrogatio autem prima ea est: « Quanam in re secus ac rationi consentaneum est Romani egisse apparet? ». Responsionis ergo meminit Liberii, Felicis, Honorii, ut ostendat vel Romanos Pontifices in errorem fuisse lapsos [48]. In altera Interrogatione: « Quot quosve legitimos patriarchas Romani non receperint? » dicit vel S. Flavianum et S. Ioannem Chrysostomum gravia incommoda apud Romanos Pontifices fuisse expertos [49].

Pariter in Synodo Sanctae Sophiae, si stemus Actorum veritati, nonnulla iacent, prolata praesertim ab amicis Photii ut ZACHARIA CHALCEDONENSI, quae rectae sententiae minus quadrant [50]. Attamen in ipsa Synodo, cum PETRUS Legatus pontificius, tum alii et ipse PHOTIUS, testimonium dant Primatui Romano, quem *litterae Ioannis VIII* in Concilio perlectae luce clarius repetito inculcant [51].

101. CRISIS SENTENTIAE PHOTII: Ex iis quae dicta manent inferre licet quid de opinionibus PHOTII censendum sit. A Concilio VIII Oecumenico (a. 869-870) PHOTIUS dictus fuit « inventor mendacii et fabricator novorum dogmatum » [52]; quare et Concilium sententiam fert: « Inventori perversorum dogmati anathema » [53]. Nihilo tamen minus eius falsae opiniones altas

[46] CC 17, 490.
[47] Interr. 4; PG 104, 1224.
[48] PG 104, 1220-1221.
[49] PG 104, 1221.
[50] Illa colligit M. JUGIE A. A., TDCO, I, 238-244.
[51] TDCO, I, 229-238.
[52] CC 17, 383 ss.
[53] CC 17, 395, 451.

habent radices in doctrina a pluribus saltem Byzantinorum iam antea recepta, quam PHOTIUS, non sine audacia, ad extrema quaeque consectaria perduxit. Id apparet in duplici argumento ab illo agitato: de Primatu inquam et de Processione Spiritu Sancti.

Circa *Primatum Romanum*, si stemus certis documentis, PHOTIUS abundat sententia quae apud Byzantinos apparet iam a tempore IUSTINIANI et Synodi Trullanae de quadam *independentia* Sedis Constantinopolitanae. Constantinopolis sane agnoscit Romam ut primam Sedem, ac proinde ei concordare studet; sed illa, stricte loquendo, de facto non eget; ut fert progressus canonis 28 chalcedonensis in commentariis Byzantinorum, iam ante Photium, ex hoc canone inferentium vel ipsam translationem iuris primatialis a Veteri ad Novam Romam.

Sin vero agatur de *Processione Spiritus Sancti,* opus est distinguere formulas et doctrinam ipsam. Ad *formulas* quod attinet fatendum sane est Byzantinorum neminem ante Photium usum fuisse voce « ex Patre solo », loco illius « ex Patre per Filium » a Graecis tritae, et a S. TARASIO, Photii avunculo usurpatae. *Doctrinam* vero si respicias, quae inspirationem activam uni Patri concedit, Photii sententia *discedit sane a mente SS. Patrum, sed non est censenda antea inaudita* apud Byzantinos.

Iam antiquitus Patriarcha IOANNES BECCOS Photium dixit *inventorem* novi dogmatis de Processione Spiritus Sancti [54]. Eadem sententia apud plures nostros auctores viget. JUGIE [55] et DE REGNON [56] scribunt placita Photii e regione adversarii SS. Patribus, tam Graecis quam Latinis. AMOR RUIBAL [57] discrimen reponit potius in eo quod Photius « syncretismum » quendam excoluit, medium inter systema graecum et latinum. Videlicet, secundum Graecos in divinis processionibus duo habemus: *a*) personam a persona ut adaequato principio procedere; *b*) ita tamen ut ex una in aliam per indivisam Trinitatem una eademque diffundatur divinitas; quare, ex Patre immediate Filius, mediante vero Filio Spiritus Sanctus procedit. Quodsi Filium omittas, ruit, iuxta Graecorum systema, processio Spiritus Sancti ex Patre. E contra, Latini processiones declarant per naturam ut est in-

---

54 IOANNES BECCOS, *Ad Theodorum Sugdaeae ep.*; PG 141, 337.

55 M. JUGIE A. A., TDCO, I 223.

56 TH. DE REGNON S. I., *Études de Théologie positive sur la Sainte Trinité,* IV, Pa 1898, 242.

57 A. AMOR RUIBAL, *Los problemas fundamentales de la Filosofia y del Dogma,* V, Madrid-Friburgo (absque anno), 382-386.

tellectus et voluntas; Spiritus autem Sanctus cum procedat ex amore Patris et Filii non minus immediate iungitur Patri quam Filio; amor enim mutuus in eodem signo intelligitur in Patre et in Filio. Utrique igitur medium quid statuunt, relate ad Processionem Spiritus Sancti, inter Patrem et Spiritum: Graeci, Filium, quo mediante Spiritus a Patre procedit; Latini spirationem communem activam. Photius autem omne medium excludit: medium Graecorum, quia cum Latinis Spiritum immediate Patri coniungit; Latinorum autem, quia cum Graecis Spiritum immediate a persona Patris, non mediante spiratione communi, repetit. Explicatio quidem ingeniosa, sed quae non sine difficultate sustineri posse existimo; ignoravit enim PHOTIUS Latinorum systema.

Age iam; in antiquitate christiana frustra quaeres inter Patres et scriptores orthodoxos qui originem Spiritus Sancti ab uno Patre duxerint, si excipias THEODORUM MOPSUESTENUM et NESTORIUM, ad quem Photii asseclae confugiunt [58]. Sed Byzantini, licet formulam retineant alexandrinam « ex Patre per Filium », quae sane Filium quoque accipit principium Spiritus Sancti [59], sensim sine sensu ita distinguunt munus Patris et Filii relate ad Processionem Spiritus Sancti, ut non solum dicant Patrem principaliter esse principium, quia a se habet ipsam spirandi virtutem, verum etiam ei reservent rationem principii stricte sumpti, ut praestitit iam LEONTIUS BYZANTINUS [60] et probabiliter S. IOANNES DAMASCENUS [61]. Hac via gradientes Byzantini posteriore tempore Filium arcent a Spiritus Sancti principio, et formulam « per Filium » interpretantur de missione. Huius opinionis, quam videntur Graeci in disputationibus cum Carolinis propugnasse, vestigium clarissimum habetur apud ANASTASIUM BIBLIOTHECARIUM [62], cuius tantus fuit usus cum litteris graecis. PHOTIUS igitur sua *nova formula* effert nonnullorum praecedentium *Byzantinorum conceptum* et ope dialectices impugnat sententiam de Patre et Filio principio Spiritus Sancti, quam falso asserit non ab omnibus catholicis sed a carolinis tantum theologicis edoceri.

---

[58] Nestorii auctoritatem invocant MARCUS EPHESIUS, *Latinus*; PO 17, 418 et GEORGIUS SCHOLARIOS, *Oeuvres complètes de Gennade Scholarios*, II, Pa 1929, saepius cfr. 513. Ut fontem fere praecipuum Theologiae Photianae inducit J. SLIPYJ, *Die Trinitätslehre des byzantinischen Patriarchen Photius*, Innsbruck 1919, 41, monachum IOB, cuius longa excerpta dedit Photius in sua *Bibliotheca*, Cod. 222; PG 103, 736-839. Res autem adhuc plenius demonstretur oportet.

[59] Cfr. *Compendium Theologiae Orientalis* [3], R 1950, 120-122.

[60] Cfr. M. JUGIE A. A., *De Processione Spiritus Sancti ex fontibus Revelationis et secundum Orientales dissidentes*, R 1936 (Lateranum, Nov. Ser., 3-4), 174 s. Leontius videlicet distinctionem inducit Patrem vocans « spiratorem », Filium vero « transvectorem » Spiritus; id quod laudatus auctor ad Alexandrinorum rectam sententiam trahere conatur.

[61] De DAMASCENO lege, sis, *Compendium Theologiae Orientalis* [3], R 1950, 122-124.

[62] *Anastasii Bibliothecarii epistulae sive praefationes;* Mon. Germ. Histor, Epist. Karolini Aevi, V, 425.

Rem ita se habere suadent scriptores byzantini posteriores, Photiani illi fuerint vel Ignatiani, uno omnes ore et Filium excludentes a ratione principii, et formulam *ex Patre solo* nulla formidine adhibentes [63].

APPENDIX

Doctrina Trinitaria Ioannis Scoti Eriugenae et Theologia Photiana

106. De mente Scoti Eriugenae variae sententiae: Doctrina Photii de Processione Spiritus Sancti suos habuit in Occidente contradictores, ut vidimus; sed, iuxta quosdam, suos etiam asseclas nacta est. Quaestio fit praesertim de Ioanne Scoto Eriugena († c. 875) [1] in suis libris *de divisione naturae* [2].

Scotum orthodoxum dicunt Dräseke [3], Palmieri [4] et Slipyj [5]. E contra Scotum a Photio proxime abesse, atque adeo illum veri nominis photianum, etsi larvatum, fuisse putant Hergenröther [6] et Jugie [7], ad quorum sententiam facile adiunges scriptores orthodoxos qui de Scoto agunt, ut Tatarskii [8] et Brilljantov [9].

Sed in antecessum duo notasse iuvabit; a) Ioannem Scotum *a Photio minime pendere*; suum enim opus *de divisione naturae* absolvit a. 865, antequam Photius suam Encyclicam aliosque de Spiritu Sancto tractatus ediderit; b) sententiam Scoti toto caelo *differre a sententia Photiana*; Scotus enim non solum tenet Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere, verum id ducit de fide creden-

---

63 Cfr. infra n. 112-114.

1 De auctore v. Dom M. Cappuyns O. S. B., *Jean Scot Erigène - Sa vie, son oeuvre, sa pensée,* Louvain-Paris 1933. M. dal Prà, *Scoto Eriugena ed il neoplatonismo,* Milano 1941

2 PL 122.

3 I. Dräseke, *Ratramnus und Photius*; BZ 18 (1909), 401-406. Idem auctor iam antea scripserat *Ioannes Scotus Erigena und dessen Gewährsmänner in seinem Werke De divisione naturae l. V*; L 1902.

4 A. Palmieri, *Studi Bizantini. La teologia bizantina e antibizantina in Italia*; Studi Bizantini 1 (1924), 245.

5 J. Slipyj, *Die Trinitätslehre des byzant. Patr. Photius,* 80-84.

6 J. Hergenröther, *Photius,* I, 637.

7 M. Jugie A. A., *De Processione Spiritus Sancti,* R 1936, 307-312; TDCO, I, 256-263. Eiusdem est sententiae E. Rand, *Ioannes Scottus,* Monaci 1906, qui putat primo quidem tempore Scotum photianismo laborare, postea vero opinionem rectam amplexum fuisse.

8 I. Tatarskii, Сущность и происхожденіе философіи Іоанна Скота Эригены; VR 1885, II. 230-252, 277-294.

9 A. I. Brilljantov, Вліяніе восточнаго богословія на западное въ произведеніяхъ Іоанна Скота Эригены; P 1898; Id., Іоаннъ Скотъ Эригена и его отношеніе къ богословію восточному и западному; ChC 1898, II, 44-62.

dum esse [10]. Quare, ne suspicatus unquam fuit suam de origine Spiritus Sancti explicationem confundi posse cum opinione Photii, cuius ipse meminit, quamque tamquam falsam et haereticam respuit in *Commentario ad Boethium* a. 870 [11].

107. Quaenam interpretatio adhibenda sit operi « de divisione naturae »: Sed etiamsi Scotus clare dixerit Spiritum Sanctum a Patre et Filio, seu a Patre per Filium procedere, difficultas manet in ratione a Scoto adhibita in opere *de divisione naturae* origini Spiritus Sancti declarandae. Fretus enim formula et terminologia byzantina, tandem aliquando pronuntiat unam « causam », seu unum principium, Spiritus Sancti Patrem esse.

Ad quaestionem quomodo Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedat, ita ut unum remaneat principium Spiritus Sancti, quam quaestionem ipse difficillimam censet [12], respondet: « Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere catholica fides praedicat; quoniam ipse Pater, qui *principalis causa* est *et sola* processionis Spiritus Sancti, totus in toto Filio dicitur, ex quo per Filium Spiritus sanctus procedit » [13]. Obscuritas autem huius dicti augetur ex doctrina byzantina quam usurpat de principio divinarum processionum: « Non igitur ex essentia, sed ex substantia [accipe, iuxta terminologiam Scoti, ex hypostasi] Patris et Filius nascitur et Spiritus Sanctus procedit » [14].

Haec autem loquendi ratio, ex qua argumentum suum praecipuum contra orthodoxiam Scoti petit Jugie [15], ostendit sane Scotum abundare conceptu, ut aiunt, graeco de divinis processionibus, imo et axiomata quae feruntur Photii iam prius in theologia byzantina, cui Scotus debitor est, frequentari; ast non sufficit ut illum non solum byzantinum mente, sed etiam photianum dicamus. An-

---

[10] PL 122, 601. 609. 611.

[11] « Licet Graeci dicant a solo Patre procedere Spiritum Sanctum. Sed convincuntur auctoritate. Haec autem haeresis nuper orta est, tempore scilicet Nicolai Papae, et ut fertur causa invidiae inventa. Praedictus enim Papa Bulgaros, qui sunt Graecis vicini, misso episcopo Formoso, convertit ad fidem Christi. Quare, Graeci, ducti invidia, nescientes qualiter Romanis aliter derogarent, invenerunt hanc haeresim, fidei catholicae repugnantes, quasi Spiritus Sanctus a solo Patre procedat. Quam refert ipse papa in epistolis, quas per Gallias mittens, Graecos, utpote haerticos, damnavit ». Apud TDCO, I. 257, not. 2.

[12] PL 122, 601-602.

[13] PL 122, 609. Cfr. alia testimonia digesta apud M. Cappuyns O. S. B., o. c., 334-336.

[14] PL 122, 614.

[15] M. Jugie A. A., o. c., 311, ex verbis modo relatis infert: « Latet ergo Ioannem Scotum distinctio inter *principium quod* et *principium quo*; sublata autem hac distinctione in photianismum devenire necesse est ». Id vero haud facile probabis. Quem enim tunc temporis non latuit haec distinctio, quae propria est Scholastices sequioris aetatis?

xius quidem fuit in conciliandis formulis graecis cum dogmate catholico et cum documentis positivis quibus recta innititur fides. Id autem praestitit hac lege ut a) primas deferat argumentis positivis e Revelatione deductis quibus stabilitur origo Spiritus Sancti a Patre et a Filio; b) simul vero retineat conceptum graecum de unica « causa » seu αἰτία, quem absque negotio explicare possumus ac porro debemus.

Quodsi opus *de divisione naturae* reprobatum fuit a Leone IX et Honorio III, in causa fuit non « photianismus » auctoris, sed scandalum, quod movere posset inter Latinos haec ratio dicendi. Ceterum, si inter se conferantur sententiae Scoti et Photii, confundendae minime sunt; alter enim « per Filium » Spiritum Sanctum a Patre procedere tradit, alter « ex Patre solo », quin Filium nominet; alter SS. Athanasii, Basilii, Gregorii Nysseni, Epiphanii, mentem sequitur, alter, iis missis, uni Theodoreto et recentioribus byzantinis adhaeret.

CAPUT V

DE THEOLOGIA ORIENTALIUM A PHOTIO USQUE AD ANNUM 1054

108. Rerum conditio in Ecclesia Byzantina: Altercationes Photii cum Ecclesia Romana pressa in historia vestigia non reliquerunt. Latini enim scriptores medii aevi illas vix non omnes silentio praetermittunt [1]. Byzantii vero Leo VI Imperator, Sapiens dictus [2], in oratione panegyrica seu « epitaphio » Basilii I, totam hanc photianam controversiam respicit tamquam intestinam quandam luctam Ecclesiae Constantinopolitanae, qua permoti « episcopi et sacerdotes contra sacerdotes alios et episcopos decertabant » [3]. Hisce vero simultatibus Basilius finem imposuit, iuxta Leonem; sed revera dissidium inter ignatianos et photianos perduravit usque ad a. 899, quando, non sine interventu Romanae Sedis, res tandem composita fuit [4]. Utrum vero a Photio usque ad Caerularium Byzantini pacem cum Antistite Romano servaverint necne, disputant historici, qui tandem aliquando nequeunt certo statuere hac pe-

---

[1] F. Dvornik, *L'affaire de Photios dans la littérature latine du moyen âge*; SK 10 (1938), 69-93. Post mortem Photii, illius tantum meminerunt Erchempertus, *Historia Longobardorum*; Mon. Germ. Hist., Script. rer. Long., 256, Heriveus Rhemensis in Synodo Trosleiana a. 909; CC 18, 304 s., Leo abbas; PL, 139, 342 et unus alterve ex posterioribus canonistis.

[2] Cfr. Н. Ķ. Состоянiе Восточной Церкви по смерти Константинопольскаго патрiарха Фотiя до окончательнаго раздѣленiя Церквей; VR 1891, I, 686-716; N. A. Popov, Императоръ Левъ УI и его правленiе въ церковномъ отношенiи, M. 1892; A. Vogt, *Basile I; La jeunesse de Léon VI le Sage;* RH 104 (1934), 389 ss.

[3] A. Vogt-I. Hausherr S. I., *Oraison funèbre de Basile I par son fils Léon VI le Sage*; OC 77 (R 1932), 18-21, 62; N. Adontz, *La portée historique de l'oraison funèbre de Basile I par son fils Léon VI le Sage;* Byz 8 (1933), 501-513.

[4] H. Grégoire, *Études sur le neuvième siècle*; Byz 8 (1933), 515-550; cfr. 540 ss: L'union des Églises en 897. Sed A. Vogt, *Note sur la chronologie des patriarches de Constantinople au IXe et Xe siècle*; EO 32 (1933), 275-278; et V. Grumel A. A., *Chronologie des événements du regne de Léon VI (886-912)*; EO 35 (1936), 6-8, 13-17, retinent a. 899.

riodo volvente ullum inter Veterem et Novam Romam veri nominis schisma evenisse.

Dubia moventur imprimis de Patriarcha Constantinopolitano Nicolao Mystico (901-907, 912-925) [5], qui cum quartas nuptias Leonis VI, iure byzantino prohibitas, impugnaverit, sede pulsus est. Cum vero eandem post mortem Imperatoris denuo conscenderet, anathema tulit in omnes qui quartas nuptias legitimas dixerant, quos inter et Romanus erat episcopus; quocum tamen epistolare commercium nunquam abrumpit [6].

Etiam quaestio fit de Patriarchis Sisinio II (996-998) et Sergio II (999-1019); uterque enim fertur *Photii Encyclicam ad Orientales Thronos* iterare voluisse contra Ecclesiam Romanam. Id autem, ut bonis argumentis contendit Grumel [7], pertinet ad « inveteratas opiniones » circa mutuam utriusque Ecclesiae habitudinem, quae nullo innituntur historico fundamento. Putat enim laudatus auctor hanc notitiam deberi cuidam memoriae lapsui apud Baronium, quem secuti sunt primo Allatius, deinde Hefele et Hergenröther, qui hanc vulgarunt gratuitam opinionem.

Sed si Photii exemplum in agendo cum Ecclesia Romana nullum fere sectatorem habuit, eius *scripta,* a suis vulgata discipulis, Byzantinorum mentes praeoccuparunt, ut ostendunt commentaria theologica saec. X, quae photiana de Spiritu Sancto argumenta iterant.

Circa immediatum et directum influxum scriptorum Photii, imprimisque *Mystagogiae,* quod sane praecipuum est, quae de eorum momento apud auctores reperies [8] valent quidem de tempore subsequenti patriarchatum Photii; postea enim usus *Mystagogiae* rarus admodum fit, ut liquet ex codicibus in nostris bibliothecis asservatis, qui paucissimi sunt. Sic, ut exemplo utar, duo tantum codices adsunt, ambo saec. XI, in Bibliotheca Parisiensi [9]; in variis

---

[5] N. Volkov, Николай Мистикъ, патріархъ Константинопольскій; PTSO 1861; XX; S. P. Lambros, *Die Abdankungsurkunde des Patr. Nikolaos Mystikos*; BZ 1 (1892), 551-554; M. Jugie A. A., *Le Schisme Byzantin,* Pa 1941, 159-164.

[6] Ceterum tota haec controversia de quartis nuptiis, deque dispensatione a Papa Sergio III Imperatori facta, praetextus potius fuit, cum primo quidem tempore Nicolaus se paratum ostenderet ad dispensationem concedendam: « Quod fecit — aiebat — Athanasius pro tertiis nuptiis, quomodo ego pro quartis non possim? Ad hoc adventum Romanorum expectare necesse non est ». C. de Boor, *Vita Euthymii,* Be 1888, 18. 28.

[7] V. Grumel A. A., *L'Encyclique de Photius aux Orientaux et les Patriarches de Constantinople Sisinius II et Sergius II;* EO 34 (1935), 129-138.

[8] J. Slipyj, *Die Trinitätslehre des byzantinischen Patriarchen Photius,* Innsbruck 1919, 80.

[9] H. Omont, *Manuscrits grecs de la Bibliotheque Nationale*; cfr. Gr 1228; Suppl. 686.

autem Bibliothecis Montis Athonensis ne unus quidem reperiri videtur [10]. Quae cum ita sint, Orthodoxi, tam graeci quam slavi, per plura saecula *Mystagogiam* ignorant. Altera medietate saec. XVIII Metropolita Kioviensis SAMUEL MISLAVSKIJ in sua Introductione ad Tractatum de Processione Spiritus Sancti THEOPHANIS PROKOPOVIČ [11], deplorat hunc Photii librum in archiviis delitescere. Quare, vel ipsi polemistae graeci qui ardentius dimicarunt in favorem formulae photianae, ut GENNADIUS Patriarcha, illum nusquam adhibent. Post editionem autem Ratisbonensem a. 1857, curante HERGENRÖTHER, Graeco-slavici illo tandem uti coeperunt. Sed, ut diximus, hac nostra periodo saepius usurpatur liber Photii, cuius postea refutationem fecit Patriarcha BECCOS [12].

Ceterum, Imperium Byzantinum, quod hac periodo suae gloriae culmen attingit [13], suis inter Slavos et contra Mahumedanos expeditionibus magis quam antea influit litteris theologicis, tum Slavicis, quarum incunabula altera medietate saeculi IX collocanda sunt, tum Monophysitarum, saltem iacobitarum et armenorum. De utrisque agemus hoc capite, posteaquam brevem de theologia Byzantina conspectum praebuerimus.

ART. I

Theologia Byzantina a Photio usque ad Caerularium

109. SCRIPTORES PRAECIPUI: Saeculum X Occidenti nullos fere insignes doctores peperit. Quippe bene licuit BARONIO scribere: « Saeculum quod sui asperitate ac boni sterilitate ferreum, malique exeuntis deformitate plumbeum, atque inopia scriptorum appellari consuevit obscurum » [1]. Secus vero accidit Byzantii, ubi plures bonis et sacris litteris vacant, praeeuntibus haud raro ipsis Imperatoribus, ut LEONE VI et CONSTANTINO PORPHYROGENITO. Mentione autem maxime digni habentur:

---

[10] Cfr. S. LAMBROS, *Catalogue of the Greek Manuscripts on Mount Athos*, Cambridge 1895-1900.
[11] Edit. L 1872, 3.
[12] *Refutatio photiani libri de Mystagogia Spiritus Sancti;* PG, 141, 72g-864.
[13] G. OSTROGORSKY, *Geschichte des byzantinischen Staates*, München 1940, 147 ss.
[1] C. BARONIUS, *Annnales Ecclesiastici*, a. 900.

Arethas Caesareensis, auctor est *Commentarii in Apocalypsin* circa a. 875 perfecti [2] et aliorum opusculorum theologicorum et orationum, e quibus una edita est *Oratio de martyribus Edessenis* [3].

Nicetas Byzantius, *Magister* et *Philosophus* appellatus, ob eius in dialectica excellens ingenium, nobis notus est ut apologeta. Scripsit enim tractatum *contra Armenios*, respondens epistulae regis Achot ad Photium [4]; tres libros *contra Mahumedanos*, rogantibus Imperatoribus Michaele III et Basilio [5] et sua *Capita Syllogistica XXIV* [6] contra Latinos exarata, vindicans Processionem Spiritus Sancti ab uno Patre.

Georgios Nicomediensis Metropolita, Photio amicitia iunctus, plures reliquit homilias, e quibus 10 typis datae sunt, laudes B. M. V. extollentes [7].

Leo Sapiens Imperator (886-912), in provincia Theologiae quoque adlaboravit. Eius servantur et epistula ad Chalipham Omar, varia controversiae argumenta agitans, et homiliae mariales [8].

Quasdam etiam homilias novimus Constantini Porphyrogeniti (913-957) in omni scientiarum genere versatissimi, de translatione imaginis Christi ex Edessa in Constantinopolim [9] et de translatione reliquiarum S. Ioannis Chrysotomi.

Denique, inter Melchitas ineunte saec. XI floruit Euthychius Alexandrinus Patriarcha, († 940), cuius exstat Chronicon seu *Collare margaritarum* [10]. Huius auctoris, arabice dicti *Sa'îd ibn Baṭrîq*, duo arabicos tractatus detegit Graf [11] *contra Nestorianos* et *contra Iacobitas;* eidem tribuenda videntur *Liber sapientiae,* aliaque arabica fragmenta sub nomine S. Athanasii posita [12].

110. Sententia de Processione Spiritus Sancti: Pontifex Sergius III, scribens ad episcopos Galliae in Concilio Trosleiano coadunatos a. 909, ut refert Heriveus Archiepiscopus Rhe-

---

2 PG, 106, 493-785.

3 PG, 106, 787-806.

4 PG, 105, 588-665.

5 PG, 105, 669-841.

6 J. Hergenröther, *Monumenta graeca ad Photium eiusque historiam pertinentia,* Ratisbonae 1869, 84-138.

7 PG, 100, 1336-1528.

8 PG, 107, 9-298. Pleniorem editionem Leonis dederat monachus Acacius, A. 1868; cfr. L. Petit; EO 3 (1899-1900), 245-249 et D. Serruys, *Les Homélies de Léon le Sage;* BZ 12 (1903), 167-170.

9 PG, 113, 424-453.

10 PG, 111, 889-1232; arabice, curante L. Šeihô S. I., in CSCO, Ser. III, 6 (1906).

11 G. Graf, *Die christlich-arabische Literatur bis zum 11 Jahrhundert,* Freiburg in Br. 1905, 42

22 G. Graf, *Ein bisher unbekanntes Werk des Patriarchen Eutychios von Alexandrien (s. X)*; OrC Neue Ser. 1 (1911), 227-244.

mensis [13], eos incitat ad confutandum *errorem photianum de Processione Spiritus Sancti,* qui adhuc vigebat inter Byzantinos. Haec verba veritati apprime respondent; quae enim apud illos legimus omnia sunt in favorem Processionis Spiritus Sancti ab uno Patre. Hanc sententiam contra Latinos propugnat Leo Sapiens homilia 13, quae est *de Spiritu Sancto.*

In ea clare enuntiat *doctrinam,* hisce expressam: « Pater est velut principium et radix; Filius et Spiritus Sanctus, velut rami quidam, ab aeterno pullularunt » [14]. Argumenta etiam praecipua in hac eadem homilia recurrunt, a Sacra Scriptura et a ratione theologica petita: « *De meo accipit*: Quomodo ex iis quae ille habet accipit? Quia quae Filius facit ea et Spiritus Sanctus facit; sicut Filius accipit a Patre, quia quae videt Patrem facientem facit. *De meo accipit*: Per haec verba non significatur communicatio quaedam, cuius indigens sit, sed concordia et consensus inseparabilis. Neque vero ea verba significant quod vult innovatio eorum qui novam Spiritus inducunt existentiam, scilicet ex Filio Spiritum processionem accipere, cuius unicum principium in plura perperam student convertere. Non equidem novi quidnam eos in hanc sententiam perduxerit: an Filium in Spiritus processionem intrudent, ut eum simul cum Patre concausam (συναιτίαν) faciant, vel hoc Patri eripiant? Si enim Spiritus ex Filio esset, cur non ex seipso esset, cum omne quod Patris et Filii est, Spiritus etiam sit? ... Ex Filio procedit Spiritus? Peto, per eandem processionem an per aliam? Si per eandem, quid indiget processione ab ambobus, illa posita? Si vero alia est Patris processio et alia Filii, sileatur, quaeso, quod inde consequitur. Quid enim? Uter magis causa est, Pater an Filius? Si Pater, quomodo qui maior est minoris indiget? Si Filius, iam sequitur non tantum causam esse simul cum Patre, sed ipsum solum loco Patris Spiritus causam esse » [15].

Leo, ut fertur, iuvenis magistrum habuit Photium. Alter huius discipulus Nicetas Byzantius magis accurata ratione ar-

---

[13] « Sane quia innotuit sancta Sedes Apostolica adhuc errores blasphemiasque cuiusdam vigere Photii in partibus Orientis in Spiritum Sanctum, quod non a Filio, nisi a Patre tantum procedat, blasphemantis, hortamur vestram fraternitatem, una mecum, ut secundum domini Romanae Sedis monita, singuli nostrum, perspectis Patrum catholicorum sententiis, de divinae Scripturae pharetris acutas proferamus sagittas potentis, ad confodiendam belluam monstri renascentis »; CC 18, 304 s.

[14] PG, 107, 136.

[15] PG, 107, 146-152. Quae cum ita sint non est fides adhibenda testimonio quod legimus in Leonis VI *epistula ad Omar;* « Ego sum Verbum de Patre, ex quibus Spiritus Sanctus procedit »; PG, 107, 316. Ratio porro dubitandi quam adhibet M. Jugie, A. A., TDCO, I, 257 s., illa est: epistula nota est solummodo ex versione latina Symphoriani Champerii.

gumenta rationis urget contra Filioque, et Photii explicationem de SS. Patribus complet, declarans formulam « ex Patre per Filium ».

Ut specimen argumentationis dialecticae apud Nicetam, audi illum in haec verba disserentem: « Manifestum est proprietates, quatenus sunt proprietates personales, distinctionem et diversitatem declarare, quibus, et quidem solis, Trinitas esse Trinitas proprietatibus creditur; productio autem (προβολή) cum sit personae paternae proprietas, communis erit secundum eos qui Spiritum ex Filio quoque dicunt procedere sicut ex Patre; si vero communis, iam non proprium personae; si non proprium, erit commune; commune autem paternae personae natura est Dei Patris, vel aliquid ex iis quae naturam consequuntur. Si vero hoc, communis erit et Spiritus Sancti, ac rursum Spiritus erit seipsum producens, ipse sui ipsius causa et causatus, vel aliam producet personam » [16].

Formulam *ex Patre per Filium,* a SS. Patribus commendatam, interpretatur ita ut Spiritus Sanctus a Patre quidem procedat, per Filium autem manifestetur vel communicetur hominibus: « Quodsi obscuram quandam huius rei cognitionem capere desideras, eam conspice ex imagine solis. Sicut enim sol fons et causa est tum radii tum luminis, naturaliter vero fit ut per radium solis lumen distribuatur nobisque suppeditetur: sic et in Sanctissimi Spiritus ex Patre procesione et per Filium suppeditatione cogitari debet » [17].

Photiana quoque sententia abundare videtur Patriarcha Constantinopolitanus Euthymius († 917), sanctitatis fama illustris, qui rem ex professo non agitat, sed occasione data, nobis suam mentem exprimit.

Eius *Encomium in conceptionem Sanctae Annae* haec praebet: « Hodie ipse fons divinitatis et immortalitatis, ut qui Pater est et principium et radix, ex quo principio simul carens et coaeternus Filius et Spiritus Sanctus, veluti flores et supersubstantialia lumina et germina ex Deo nascentia ... modo ineffabili ipsius Unigeniti ... matrem efformat » [18]. Et in homilia quae inscribitur *de zona Deiparae* hac utitur formula Trinitaria: « Spiritus Paraclitus ex Patre quidem procedit, per Filium autem ad omnem pium mittitur [19].

111. Byzantinorum de Primatu Romano testimonia: Conceptus de privilegiis Sedis Constantinopolitanae etiam cum

[16] J. Hergenröther, *Monumenta graeca ad Photium eiusque historiam pertinentia,* 11-120. Cfr. Syllogismos 1, 7, 11; l. c., 89. 106 s. 114 ss.
[17] Ibid., 99.
[18] M. Jugie A. A., *Homélies mariales byzantines;* PO 16, 499.
[19] PO 16, 507.

iactura Primatus Romani perseverat sane inter Byzantinos [20]. Sed in ipsa urbe Byzantio plures adsunt, quos JUGIE vocat « unionistas » [21], qui absque ulla formidine S. Petri et Romanorum Pontificum Primatum apertis verbis profitentur. Hos inter habendus est NICETAS PAPHLAGONIAE, alumnus Arethae Caesareensis et Photii discipulus [22].

Eius sententia de Primatu clare exprimitur *oratione in laudem S. Petri*. Illam hisce compendiat VOGT: « Clarissimis verbis et quidem saepius, Evangelii vestigia premens, Nicetas nobis ponit ante oculos auctoritatem Petri ... Non solum Apostolus Romam venit, verum etiam Romae ecclesiam condidit, et praecise ut Antistes Ecclesiae Romanae sibi successorem elegit. Age iam; Petrus non est tantum unus e duodecim; est Apostolorum princeps, lapis angularis supra quem tota christianae doctrinae ratio consistit. Quinimo, ipse solus inter Apostolos depositum fidei a Magistro accepit. Ipsi traditae sunt claves regni caelorum. Ipse pascit agnos et oves. Potestatem supra universam Ecclesiam sine controversia obtinet ... Potestas eius est iurisdictionis, et hanc potestatem ipse confert immediate suo successori » [23]. Ad magis declarandam hanc doctrinam Nicetae, editor animadvertit illum, etsi laicus esset, influxum subire monachorum Studitarum, quorum nota est reverentia erga Romanam Sedem [24].

Pondus autem huius testimonii augetur si attendas illud minime unum esse, sed confirmari aliis textibus, quos nostri auctores diligenter colligunt [25]. Quae praecipua visa sunt commemorabimus.

In *Menologio* quodam byzantino saec. X [26] recenter invento legimus ad diem 29 Iunii: « Petrus autem sic, advertite quaeso, didicit patientiam in peccatores et accepit gubernationem *totius prorsus*

---

[20] F. DÖLGER, *Rom in der Gedankenwelt der Byzantiner;* ZKG 56 (1937), 32 s.

[21] M. JUGIE A. A., *Le Schisme Byzantin*, Pa 1941, 47-100: Les forces unionistes; cfr. 158.

[22] A. VOGT, *Deux discours inédits de Nicetas de Paphlagonie, disciple de Photius;* OC 77 (R 1931). In introductione agit de vita Nicetae, corrigens quae de illo scripserat CHR. LOPAREV; VV 19 (1912), 143-151.

[23] A. VOGT, o. c., 17.

[24] Id., o. c., 18.

[25] M. JUGIE A. A., TDCO, I, 279-286; Id., *De B. Petri Apostoli Romanique Pontificis Primatu a theologis byzantinis, etiam post schisma consummatum asserto...;* Angelicum 6 (1929), 47-66; V. GRUMEL A. A., *Quelques témoignages byzantins sur la primauté romaine;* EO 30 (1931), 422-430.

[26] Editum fuit a B. LATYŠEV, *Menologii anonymi Byzantini saeculi X quae supersunt*, P 1911, 1912.

universalis Ecclesiae (τῆς οἰκουμένης ἁπλῶς), quemadmodum clarissime docet hac de re sacra Evangeliorum vox » [27].

Vita anonyma S. Ioannis Chrysostomi, saec. X scripta [28], cum referat gesta S. Ioannis erga conciliabulum dictum « ad Quercum », haec verba ei attribuit: « Nullum vobis competit ius Synodum adversus nos congregandi absque licentia Pontificis Romani » [29]. Ob eandem causam, quia nullum postulaverat consensum Romanae Sedis, vituperat et damnat rationem agendi Theophili [30]. Dubitare potest utrum haec historice constent necne; ast satis ostendunt persuasionem scriptoris qui has exaravit paginas; ceterum haec sua persuasio respondet antiquioribus biographis S. Ioannis Chrysostomi, ut Theodoro Trimithonti a. 860 [31] et Georgio Alexandrino a 700 [32], quem Romani Pontificis propugnatorem exstitisse demonstrat Baur [33].

Pariter dicendum est de anonyma quadam *Vita S. Germani Patriarchae Constantinopolitani,* et ipsa saec. X adscribenda. Agens de translatione S. Germani a Sede Zizichensi ad thronum Constantinopolitanum, id quod Theophanes sancitum dixerat suffragio synodali universi cleri, populi et senatus [34], auctor anonymus asserit Byzantinos misisse legationem, una cum litteris imperialibus, ad Leontium seu Leonem, qui tunc Romanus erat Pontifex, ut eius auctoritate translatio ab una in aliam sedem, contra generales Ecclesiae canones, legitima redderetur [35]; Hisce autem auctor ostendit, de eius sententia, consensum Sedis Apostolicae requiri et sufficere ad dispensationem a lege generali Ecclesiae.

Quibus omnibus perpensis Grumel iure infert perpetuam Byzantinorum traditionem usque ad saec. X avitae de Primatu Romano fidei aperte suffragari. « Si de fidelitate cogitant [recentiores Byzantini], non est sane de fidelitate erga veterem traditionem; sed de traditione, quae sub quodam respectu a Photio inchoatur quidem, non autem triumphavit Byzantii nisi post annos plus centum a Photii morte elapsos » [36]. Saec. XI, vel ipsa tristissima conditio qua Romana Sedes versatur, hanc antiquae fidei vocem apud Byzantinos debilitat et fere penitus extinguit [37].

---

27 V. Grumel A. A.; l. c., 423.

28 Edita fuit a H. Savilius, *Opera omnia S. Ioannis Chrysostomi,* VIII, Eton 1612, 294-371; sed ignoratur tam a Migne quam ab hodiernis scriptoribus de S. Ioanne Chrysostomo, non excepto diligentissimo P. Chr. Baur O. S. B., *Iohannes Chrysostomus und seine Zeit,* München 1929.

29 P. Savilius, o. c., 349.

30 Ibid., 351.

31 PG, 47, 60. 75. 83-84.

32 P. Savilius, o. c., 157-265.

33 Chr. Baur O. S. B., *Georgius Alexandrinus;* BZ 27 (1927), 4.

34 Theophanes, *Chronographia,* a. 6207; PG, 108, 780.

35 A. Papadopoulos-Kerameus, Ἀνέκδοτα Ἑλληνικὰ συγγραμμάτια, II, C 1885; cf. pag. 6.

36 V. Grumel A. A., l. c., 430.

37 Sic iure animadvertit M. Jugie A. A., *Le Schisme Byzantin,* 158.

112. ALIA DOCTRINAE CAPITA; MARIOLOGIA: In aliis autem theologicis quaestionibus operam suam positam volunt scriptores huius aetatis; praesertim vero colunt *apologeticam* contra Mahumedanos [38] ac Iacobitas et doctrinam *mariologicam*. Explicationem autem rectam tradunt; sed ut sunt plerumque imbuti litteris humanis et philosophicis, magis quam fontibus revelationis altius investigandis, elegantiae stili et dialecticis argutiis studiose consulunt.

Id valet imprimis de NICETA BYZANTIO in sua confutatione epistulae regis Armeniae [39]. Ut vindicet dyophysismum, ostendit Concilium Chalcedonense, nedum Nestorianis consentiret, mediam et unice veram viam tenere inter Nestorianos et Monophysitas; quorum placita confutat, ut fert eius indoles doctrinalis, coacervatis 15 syllogismis contra unicam naturam ab illis assertam [40]. Praeter hanc confutationem philosophicam, adhibet quoque litteras S. Cyrilli, quibus adversarius abutitur [41]; sed non insistit Sacrae Scripturae testimoniis.

Ad *Christologiam* specialem convertit attentionem EUTYCHIUS. Ut omittam eius tractatus contra Nestorianos et Iacobitas, nondum editos, de illa egit, data occasione, suis *annalibus* historicis [42], et fusius in opere *Liber scientiae,* cuius sumptum praebet GRAF [43].

Etiam in homiliis, ubi sermo est de Annuntiatione B. M. V., nostri auctores frequenter exponunt doctrinam de duabus in Christo naturis, ut praestat, e. g. Patriarcha EUTHYMIUS homilia *de Zona Deiparae* [44].

In *Mariologia* nostri auctores sententias iam dudum communiter receptas iterum iterumque explanant. Cum enim quattuor illae mariales festivitates (Annuntiatio, Purificatio, Nati-

---

[38] Recole tres libros NICETAE BYZANTII contra librum Qur'ân; PG, 105, 669-842 et Epistulam LEONIS VI ad Omarum; PG, 107, 315-324; ab iis autem praescidere cogimur.

[39] PG, 105, 588-665.

[40] PG 105, 636-644. Lege, sis, syllogismum alterum: « Omne quod ex diversis naturis componitur unius naturae effectum, aliud est ab iis ex quibus componitur. At Christus eadem est ex quibus componitur; Deus enim ipse est et homo. Christus igitur non est unius naturae post unionem ».

[41] PG, 105, 620 s.

[42] Ed. L. ŠEIHÔ; CSCO, Ser. III, 6, 159-176, 196 s.

[43] G. GRAF, l. c.; OrC, Neue Ser. 1 (1911), 235 s. Auctor vero spopondit se data opera acturum de Christologia Euthychii; l. c., 244, not. 2.

[44] PO 16, 507 s.: « Non enim dicimus hominem deificatum tamquam in phantasia, absit! Sed Deum incarnatum et hominem factum ... non quod mutatum sit ex eo quod erat Verbum, sed quod ut caro fieret, acceperit, non conversa divinitate in humanitatem, sed naturam humanam una cum propria suae divinitatis substantia in propria Dei Verbi subsistentis persona comprehendens ... ».

vitas et Dormitio) iam ante finem saec. VI per universum Imperium frequentarentur, multiplicantur quoque homiliae in honorem B. M. V. [45], quibus una cum privilegiis Maternitatis divinae, perpetuae Virginitatis et psychosomaticae in caelos Assumptionis [46], extollitur munus *Mediationis* Deiparae, eiusdemque sanctitas iam ab instanti suae *illibatae Conceptionis* [47].

Utrumque asserit suis Homiliis Patriarcha EUTYMIUS, qui Mariam Virginem praedicat primo instanti suae Conceptionis a communi illa peccati infectione exemptam et intima repletam suavitate [48]. Deiparam vero constituit mediam inter Deum et homines, dum illam nobis repraesentat ut Virginem « inter se distantia in unum unituram et medium parietem maceriae soluturam ... filiorum adoptionem nobis suppeditaturam ... mundum universum sanctificaturam » [49].

Inter cultores B. M. V. nomen sibi amplissimum acquisivit LEO SAPIENS, cuius exstant homiliae in Nativitatem, Praesentationem, Annuntiationem, et Assumptionem B. M. V. [50]. Porro haec si perlegas videbis quanto cum emphasi declamet de reparatione culpae protoparentum per Mariam Virginem [51]; quae nihil experta est illius tristissimae hereditatis Evae [52]; quaeque « maiori supra creata omnia gloria » in caelis augetur [53].

ART. II

Theologia Cyrillo-Methodiana

113. Eodem tempore ac Photius sua vulgabat scripta contra Latinos sancti fratres thessalonicenses CYRILLUS ET METHODIUS fundamenta iaciebant litteraturae et theologiae slavicae. De SS. autem Cyrillo et Methodio *communis est existimatio*

---

45 Cfr. I. ORTIZ DE URBINA S. I., *Lo sviluppo della Mariologia nella Patrologia Orientale;* OCP 6 (1940), 78-81.

46 Cfr. L. CARLI, *La Morte e l'Assunzione di Maria nelle omelie greche dei secoli VII-VIII,* R 1941.

47 Cfr. *Mariologia Orientalis;* OCA 141 (R 1954), 78. 116.

48 PO 16, 500.

49 PO 16, 502.

50 Quanti autem nostri auctores has fecerint homilias eruitur ex titulo quem adhibet suae editioni H. MARRACCI: *Leonis Imperatoris cognomento Philosophi seu Sapientis Mariale, quo eiusdem Leonis de Maria Deipara virgine vere aurea ac dissertissima monumenta, ex graecis mss codicibus eruta, latine reddita notisque illustrata,* R 1651.

51 PG, 107, 8 s.

52 PG, 107, 25.

53 PG, 107, 165.

inter Orthodoxos et Catholicos, quibus res gestas et orthodoxam doctrinam Sanctorum duorum fratrum commendavit LEO XIII, litteris Encyclicis « *Grande munus* » (30 sept. 1880); huic vero Pontificis documento plures responderunt « antiencyclicae » ex parte Orthodoxodum [1].

Scripta de SS. Cyrillo et Methodio, occasione praesertim iubilaeorum a. 1863, 1869, 1885, edita sunt innumera; illa omnia studiose colligit usque ad a. 1933 IL'INKII [2]. Ex iis quae posteriore tempore typis vulgata sunt duo nostra quam maxime referunt, videlicet, lucubratio de mente SS. Cyrilli et Methodii circa Primatum, auctore KURENT [3], et annotationes GRIVEČ ad vitam et doctrinam theologicam SS. Cyrilli et Metodii [4]. Fontes autem ad res gestas SS. Fratrum recensentur plures [5], slavici nempe, graeci et latini [6], quae conferri possunt in editionibus a PASTRNEK [7], LAVROV [8] et TEODOROV-BALAN [9] adornatis.

Non est nostrum curriculum vitae utriusque perconctari. METHODIUS (813-885) ad monasterium Olympi iuvenis se recepit. Eius germanus frater CONSTANTINUS (827-869) in universitate Constantinopolitana studiis vacavit, et in philosophia magnam adeptus est laudem; anno autem 855 prima imperiali legatione functus est ad Arabos in Mesopotamia; deinde, a. 860 ad Chazaros profectus est, quo in itinere socium habuit Methodium. Denique, a. 863 uterque in Magnam Moraviam profectus est. Romam accersiti, a Romano Pontifice HADRIANO II sacris ordinibus aucti sunt [10]. Sed brevi Constantinus, qui paulo antea monachus factus est ac nomen in CYRILLUM

---

[1] Cfr. G. A. IL'INSKII, opere mox citando, n. 2808 ss.

[2] G. A. IL'INSKII, Опытъ систематической Кирилло-Меѳодьевской библиографии, S 1934.

[3] TH. KURENT S. O. C., *Studia quaestionem de Primatu Ecclesiae saeculo IX disputatam illlustrantia. Pars I. Doctrina ss. Cyrilli et Methodii de Primatu;* AAV 13 (1937), 178-213. 260-297; 14 (1938), 1-18. — Ampliorem quaestionem instituit J. SOJAT, *Fragmenta theologica SS. Cyrilli et Methodii critice examinata et systematice proposita,* Zagreb 1940; verumtamen lucubratio typis data nonnisi excerpta huius laboris nobis praebet.

[4] F. GRIVEC, *Vitae Constantini et Methodii versio latina, notis dissertationibusque de fontibus ac de theologia SS. Cyrilli et Methodii illlustrata;* AAV 17 (1941), 1-127, 161-277.

[5] F. GRIVEC; l. c., 9-50.

[6] De illis agit P. DUTHILLEUL, *Les sources de l'histoire des saints Cyrille et Méthode*; EO 34 (1935), 272-306.

[7] F. PASTRNEK, *Dějiny slovanských apoštolu Cyrila a Methoda,* Praha 1902.

[8] P. A. LAVROV, Матеріалы по исторіи возникновения древнейшей славянской письменности, Leningrad 1930.

[9] A. TEODOROV-BALAN, Кирилъ и Методий, I. Житня на Кирила и на Методия; II. Набоженъ поменъ и исторични свидетелства, S 1920, 1934.

[10] Fontes slavici loquuntur solum de ordinatione Methodii in presbyterum et episcopum; *Vita Methodii*, 6, 8; F. GRIVEC; l. c., 111. 114. Cfr. quoque S. SAKAČ S. I., *De dignitate episcopali S. Cyrilli Thessalonicensis*; OCP 16 (1950), 237-266.

mutavit, morte correptus est in Urbe (14 febr. 869); quapropter, Methodius sacrae expeditionis caput constituitur. Pannoniae episcopus creatus, in Moraviam reversus est, ubi ad mortem usque varia fortuna adlaboravit et magnos exantlavit labores, non tam propter nativae gentis indefessam sollicitudinem, quam propter inimicitias quas ex parte Latinorum expertus est [11].

114. SS. Cyrillus et Methodius inter Romam et Byzantium: Ut patet ex eorum historia, sancti fratres thessalonicenses, qui sine controversia *litterarum slavicarum* parentes fuerunt, media gradiuntur via inter *byzantinos,* a quibus primo tempore missi sunt et *romanos,* quos non solum invisendi causa adeunt, sed ut a Romana Sede et de recta fide sententiam exquirant et legationis sacrae impetrent confirmationem.

Hinc factum est ut omnes aequo fere iure glorientur SS. Cyrillo et Metodio, quorum *cultus* iam diu apud Slavos, tam orthodoxos [12] quam catholicos [13] sollemniter celebratur.

In questione rituali, utrique Liturgiae. Byzantinae et Latinae operam contulerunt; ut ostendit *Euchologium Sinaiticum,* cuius folia quaedam reperta sunt a Uspenskii a. 1853, integer vero textus prodiit cura Geitler [14]. Ex internis vero quibusdam characteribus eruditi inferunt partes quasdam saltem Euchologii, ut Liturgiam S. Ioannis Chrysostomi et Liturgiam S. Basilii Magni, versas fuisse a Constantino in Moravia [15]. A. 1877 Sreznevskii [16] publici iuris reddidit 7 parva folia ab archimandrita Antonino a. 1874 Hierosolymis inventa, vulgo *folia kioviensia* dicta, quia aservabantur in Bibliotheca Kioviensis Academiae. Haec autem folia nihil aliud sunt quam slavonica translatio Sacramentarii Gregoriani saec. VII [17]; quae, si non ipsum Constantinum, saltem eius fratrem Methodium auctorem

---

[11] Plura recenter dedit I. Nagaevskyj, Кирилло-Методіівське Християнство в Русі-Україні, R 1941.

[12] I. Pervol'f, Чествованіе свв. Кирилла и Меѳодіа у славянъ; Ca 10 (1891), 283-289, 345-351; A. N. Petrov, Чествованіе свв. Кирилла и Меѳодія въ древнерусской Церкви, ChC 1893, I, 526-539; S. Vilinskii, Культъ свв. Кирилла и Меѳодія у православныхь Русскихъ; ACV 7 (1936), 160-173.

[13] J. Vašica, *De cultu SS. Cyrilli et Methodii in Bohemia et Moravia a saec. XII usque ad saec. XVIII;* ACV 7 (1936), 137-146; J. Slipyj, *De cultu SS. Cyrilli et Methodii in Ucraina;* Ibid., 147-152; M. Niechaj, *De cultu SS. Cyrilli et Methodii in Polonia*; Ibid., 153-159. Byzantina autem Liturgia illos ignorat.

[14] L. Geitler, *Euchologium Sinaiticum*, Zagabriae 1882.

[15] Sic e quibusdam vocibus bohemicae indolis contendunt slavistae, ut J. Vajs, *Indoles Liturgiae Slavicae. Cuius ritus fuerit Liturgia Slavica a SS. Constantino-Cyrillo et Methodio introducta?;* ACV 7 (1936), 79.

[16] I. Sreznevskii, Римскокатолическій Миссалъ въ древнемъ глаголическомъ спискѣ; Сборникъ Отд. Русск. языка 15 (1877), 529-545.

[17] C. Mohlberg O. S. B., *Il Messale glagolitico di Kiew (sec. IX) ed il suo prototipo Romano del sec. VI-VII,* R 1928.

habent [18], referunt vero *Liturgiam S. Petri,* i. e., Liturgiam Gregorii Magni in graecum versam et in Illyrico, cuius pars erat Thessalonica, usurpatam [19]. Quod si quaeras utri magis faveant SS. Cyrillus et Methodius graecae an latinae Liturgiae, respondendum videtur illos minime arctari minutis de ritibus quaestionibus, ac proinde facile et sincero animo amplecti Romanam Liturgiam, simul vero fundamentalem quandam propensionem retinere ad proprios usus tutandos [20].

Sicut in re liturgica, sic etiam in *re doctrinali* quaeri potest utrum SS. Cyrillus et Methodius Romanae Ecclesiae an Byzantinae consentiant, praesertim in iis quae durante primo Photii Patriarchatu hinc inde discusa sunt.

Ut quaestio praevia proponitur illa de *amicitia* Sanctorum fratrum *erga Photium.* Illo usus est magistro Constantinus in schola Universitatis Constantinopolitanae ad Basilicam XII Apostolorum [21], ut testatur eius Vita [22]. Postea vero, tempore commorationis romanae, Anastasius Bibliothecarius sermonem facit de Constantino ut de *fortissimo amico Photii* [23]. Gratuito vero exinde infertur Sanctos Fratres fuisse ex factione Patriarchae Photii contra Ignatianos, ut voluit Dvornik [24], reclamantibus aliis [25].

Quodsi quis vellet amicitiae limites eo usque dilatare ut Photii opiniones Sanctis Fratribus tribueret, falleretur vehementer; de Primatu enim Romano conceptis verbis excludunt theoriam byzantinam de translatione Primatus; de Spiritu autem Sancto eorum mentem a Romanorum sententia non discrepare multiplici probatur argumento.

115. Scripta Cyrillo-Methodiana: Sed antequam Cyrillo-Methodianae doctrinae expositionem ingrediamur, oportet scire quaenam supersint scripta. Praeter *versiones* ab ipsis confectas, Vitae slavicae quaedam nobis servant ex eorum catechesi et

---

18 J. Vajs; l. c., 82.

19 J. Vašica, *Slovanská liturgie nově osvětlená Kijevskými listy;* Slovo a Slovesnost (1940), 65-77; cfr. F. Grivec; l. c., 179.

20 A. Guberina O. F. M., *Nacionalizam i Katholicizam sv. Cirila Metoda*; BoS 15 (1929), 129-153.

21 F. Dvornik, *La carrière universitaire de Constantin le Philosophe;* ByzS 3 (1931), 59-67.

22 *Vita Constantini,* 4; AAV 17 (1941), 55. Cfr. F. Grivec, ibid., 163 s.

23 CC 16, 6.

24 F. Dvornik, *Les Légendes de Constantin et de Méthode vues de Byzance,* Prague 1933, 313; « Rien ne nous autorise à supposer qu'ils aient rompu avec lui [Photio] lorsqu'il se fut brouillé avec Rome ».

25 F. Grivec, *De SS. Cyrilli et Methodii ad Photium relatione;* BoV 13 (1933), 245-252; Id., *De Sanctorum Cyrilli et Methodii amicitia dubia cum Photio;* OCP 17 (1951), 192-203. Cfr. OCP 22 (1956), 415-422.

ex praedicatione, quae nobis ipsorum doctrinam qualis fuerit patefaciunt.

Iam supra diximus de translatione *Librorum Liturgicorum* [26]; videlicet integrum *Euchologium byzantinum,* quod tres Liturgias (S. Ioannis Chrysostomi, S. Basilii et Praesanctificatorum) et Trebnik complectebatur [27]; ex *ritu latino,* S. CYRILLUS, cum in Moravia degeret, slavicam fecit *Liturgiam S. Petri;* ad quae, S. METHODII opera postea accedunt versiones aliorum librorum liturgicorum [28].

Iuxta Vitam Methodii [29] brevi sex mensium spatio in slavicum convertunt omnes *libros Veteris et Novi Testamenti,* exceptis Libris Machabaeorum [30], *Nomocanonem* [31] et « *Patrum libros* » [32].

Denique, ex opere longiore graece a CONSTANTINO redacto [33] auctor *Vitae Constantini* dat excerpta quaedam, videlicet, disputationes doctrinales cum Ioanne olim patriarcha iconoclasta, cum Saracenis, cum Iudaeis et Saracenis apud Catharos, et cum « trilinguibus » [34]. Alia vero SS. Cyrillo et Methodio tributa, ut *Expositio verae fidei* [35] spuria sunt [36].

116. DOCTRINA CYRILLO-METHODIANA DE PRIMATU ROMANO: Tam latina quam slavica documenta clare ostendunt SS. CYRILLUM ET METHODIUM illibatam *de Romano Pontifice* doctrinam non solum professos fuisse, verum etiam eandem data opera inculcare et tueri.

Doctrina de Primatu Romano continetur documentis latinis a S. METHODIO in sua episcopali ordinatione subscriptis, praesertim in *Indiculo episcoporum,* in quo episcopus spondet « beato Petro

---

26 Cfr. n. 114.

27 De singulis libris ritus byzantino-slavici saec. IX lege I. GOŠEV, Светитѣ братя Кирилъ и Методий; AUS 15 (1938), 58-77.

28 Antiquissima vestigia servantur in sic dictis *Foliis glagoliticis Viennensibus,* saec. XII adscribendis, de quibus cfr. C. MOHLBERG, o. c., 318-310.

29 *Vita Methodii,* 15; apud F. GRIVEC; l. c., 122.

30 Cfr. TH. SMIRNOV, Свв. Кириллъ и Меѳодій въ своихъ трудахъ по переводу св. Писанія на славянскій языкъ; VR 1885, I, 510-530; A. VOSKRESENSKII, Курилло-Меѳодіевскій славянскій переводъ Библіи; PTSO 36 (1885), 229-252.

31 Nomocanonem transtulerunt, ut communiter ferunt, Ioannis Scholastici, 50 titulorum; H. F. SCHMID, *Die Nomokanonübersetzung des Methodius,* L 1922.

32 Agitur, ut videtur, de versione slavica *Dialogorum S. Gregorii Magni;* cfr. F. GRIVEC; l. c., 123 not. 7.

33 Ad opus quoddam catecheticum Constantini alludit clare auctor *Vitae Constantini,* 10; apud F. GRIVEC; l. c., 78.

34 Sermo dirigitur contra Latinos contendentes tribus tantum linguis: hebraica, graeca et latina divinas preces fundere oportere. Cfr. *Vita Constantini,* 16; apud F. GRIVEC, l. c., 90.

35 De hoc opere agemus infra ad n. 119.

36 Magna cum probabilitate S. Cyrillo duo carmina concedunt, alterum acrosticum, iuxta litteras alphabeti, alterum de prooemio in Evangelium, E. GEORGIEV, Двѣ произведения на св. Кирилла, S 1938 et F. GRIVEC; l. c., 272-275.

apostolorum principi, vicarioque eius beatissimo papae ... successoribusque eius ... se omnem fidem et puritatem sanctae fidei catholicae exhibere et unitatem eiusdem fidei ... » [37].

Praecipuam vero considerationem merentur documenta slavica. Versio Evangelii, ad locum classicum S. Matthaei 16, 18: *super hanc petram aedificabo ecclesiam meam,* codex Assemani saec. XI aliique recentiores habent: на семь Петрѣ (*super hunc Petrum*), vocem *petram,* mutato genere, cum *Petro* ipso identificando [38].

Eundem refert conceptum titulus *apostolicus* quo Romanus Pontifex in Vita Constantini et Vita Methodii saepius insignitur, qui originem ducit a Petro Apostolorum principe [39].

Quam theologia Cyrillo-Methodiana auctoritatem tribuat Romanis Pontificibus, satis clare patet ex *elencho Conciliorum,* primo capiti Vitae Methodii inserto [40]. Concilia enim recensens oecumenica, sex tantum commemorat, deflectens a Photio qui Synodum Nicaenam II ut septimam oecumenicam recenseri iussit [41]. Praeterea, singulis Conciliis adhibet Romanum Pontificem qui tunc temporis Ecclesiam regebat, indicans eorum momentum; definitiones enim conciliares eis imprimis tribuuntur. Haec autem scribendi ratio adhibita est, ut diximus, vel ab ipso Photio [42] et ante ipsum a Theodoro Abû Qurra, de unoquoque Concilio animadvertens illud coactum fuisse « iubente Romano Pontifice » [43].

117. Scholium ad can. 28 Chalcedonensem: Prae aliis vero documentis Cyrillo-Methodianis hac in re attentionem meretur quoddam *scholium slavicum* ad can. 28 Chalcedonensem, in antiquissima versione slavica Nomocanonis XIV titulorum, ubi, relatis canone 28 [44] et commentario graeco de privilegiis Sedis Constantinopolitanae [45], subditur declaratio.

---

[37] Th. E. ab Sickel, *Liber diurnus Romanorum Pontificum,* Vindobonae 1889, 79. De his vero, sicut in genere de omnibus argumentis circa Primatum Romanum, cfr. Th. Kurent S. O. C., l. c., 179 ss.

[38] Alii codices saec. XI, ut tetraevangelium Marianum et Zographense, sicut et Evangeliarum Ostromiri, scribunt: на семь камене, *super hanc petram*; primitus vero dictum fuisse *super hunc Petrum* ostendunt Th. Kurent S. O. C., l. c., 185; F. Grivec; l. c., 192 s.

[39] Th. Kurent S. O. C.; l. c., 187-193; cfr. F. Grivec; l. c., 195 not. 5 contra explicationes adhibitas a F. Dvornik, *Les légendes de Constantin et Méthode vues de Byzance,* 295-300.

[40] P. A. Lavrov, o. c., 69 ss.; F. Grivec; l. c., 106-107.

[41] Cfr. n. 92.

[42] In *epistula ad Zachariam Armen. Patriarcham;* PG, 102, 707-712; cfr. *epistulam ad regem Bulgariae;* PG, 102, 632. 636. 637. 641. 644. 648. 649.

[43] G. Graf, *Die arabischen Schriften des Theodor Abû Qurra,* Paderborn 1910, 113-118.

[44] Cfr. n. 61.

[45] Cfr. n. 92.

Scholium slavicum inventum et editum est a. 1897 a Pavlov [46] iuxta codices 1165 Academiae Ecclesiasticae Kazanensis et 207 Serghievensis Laurae SS. Trinitatis saec. XVI; quibus tertium adhibuit codicem Leningradensem 250 Beneševič, qui scholium denuo typis vulgavit [47]. Versionem huius scholii, quod nonnulli in duo dividebant, reperies apud Jugie [48], Grivec [49], d'Herbigny [50], Spáčil [51], Kurent [52]. Iuxta hunc ultimum scholium latine redditum sic sonat:

« Scire vero oportet decretum hoc non fuisse receptum a beato papa Leone, tunc temporis antiquae Romae thronum administrante; nec consensisse illum hac in re sancto Chalcedonensi concilio; sed scripsisse ad concilium, nihil tale sibi recipiendum, quia innovatione ambiguitatis (ambitionis) Anatolii, tunc temporis episcopi Constantinopolitani, id factum esset; ex eadem ratione neque aliquos episcopos in concilio praesentes subscripsisse iis, quae eo decreto continebantur ».

« Non enim, sicut id decretum dicit, quia regnaret antiqua Roma ideo privilegia (honorem) illi esse tributa a sanctis patribus; sed desuper ab initio ex divina gratia propter fidei gradum; aliis verbis, quia princeps apostolorum Petrus ab ipso Domino Iesu Christo audisset sermonem: *Petre, amas me? Pasce oves meas,* privilegia praecedentium in sacerdotibus, munus et primum thronum eam obtinuisse! »

« Si igitur, sicut dixerunt qui praecedentem sermonem [53] composuerant, quia regnaret antiqua Roma, etiam privilegia illi competere, nunc vero, Constantinopoli regnante, huic et privilegia succedant; sciendum est etiam Mediolani et Ravennae ex ordine imperatores sedisse, quorum palatia usque ad praesentem diem consistere, neque propterea hisce urbibus privilegia esse collata. Sacerdotalis enim ordinis privilegia ac praerrogativae non ex mundi gratia, sed ex divina electione et apostolica potestate honorata sunt ».

« Si enim sancti patres, urbem Hierosolyman propter regem regnantium Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum gloriosamque eius passionem honorare volentes, metropolis privilegia ipsi

---

46 A. S. Pavlov, Анонимная греческая статья о преимуществахъ Константинопольскаго патріаршаго престола, древне-славянскій переводъ ея съ двумя важными дополненіями; VV 4 (1897), 143-159.

47 V. Beneševič, *Zur slavischen Scholien angeblich aus der Zeit der Slavenapostel;* BZ 36 (1936), 101-105; una cum texto slavo dat versionem graecam, suo marte construens textum originalem scholii.

48 M. Jugie A. A., *Le plus ancien recueil canonique slave et la primauté du Pape;* Bes 34 (1918), 46-55.

49 F. Grivec, *Doctrina byzantina de Primatu et unitate Ecclesiae,* Ljubljana 1921, 96; Id., *Vitae Constantini et Methodii;* AAV 17 (1941), 198-200.

50 M. d'Herbigny S. I., *Theologica de Ecclesia* [3], II, Pa 1928, 164-165.

51 Th. Spáčil S. I., *Conceptus et doctrina de Ecclesia secundum theologiam Orientis separati;* OC 8 (1924), 117.

52 Th. Kurent S. O. C., l. c.; AAV 13 (1937), 282 s.

53 Allusio fit ad commentarium graecum ad can. 28, de quo v. supra n. 92.

firmaverunt, non autem patriarchale privilegium contulerunt, quia non poterant statutum amovere, quod verae fidei praedicatores posuerant; quomodo fieri potest ut propter regem terrenum dona divina atque apostolici honores transferantur fideique immaculata praecepta mutentur? Immobiles itaque usque ad finem sunt antiquae Romae honores ».

« Ideo, cum et primatum teneat (inchoet) omnium ecclesiarum, in sanctis totius orbis conciliis eius episcopus honoris causa non cogitur convenire. At sine eius consensu per aliquos ab ipso missos suo throno subditos totius orbis concilium non fiebat et, quod ipse disponebat, primas partes in concilio obtinebat (inchoabat). Si quis huic sermoni contradicat, rem non ita se habere, velit exquirere ab eodem beatissimo papa Leone scriptum Marciano et Pulcheriae piae recordationis, necnon ad dictum episcopum Constantinopolitanum Anatolium ».

118. SCHOLII DOCTRINA ET AUCTOR: Quae in Scholio propugnatur *doctrina* apprime catholica est, respondetque documentis Romanorum Pontificum; S. LEONIS, inquam, Papae I., S. GELASII I et S. NICOLAI I [54].

Ad S. LEONEM appellat Scholion; neque operosum est documenta congerere ex Epistulis S. Leonis ad Anatolium Patriarcham CPnum et ad Imperatores Marcianum et S. Pulcherium [55]. S. GELASIUS I, ad Dardaniae episcopos scribens, refutat canonem 28 Chalcendonensem vel ex eo quod, praeter Romam et Constantinopolin, aliae quoque exstiterint imperiales urbes, quarum episcopi eandem ac Romanae Sedis auctoritatem sibi vindicare nunquam sunt ausi [56]. Denique, scripta S. NICOLAI ad Imperatorem Michaelem III in causa Photii [57], ubi et divinam originem Primatus Romani et habitudinem Conciliorum vel Oecumenicorum ad Romanum Pontificem declarat, eandem ac Scholion doctrinam praebent.

Id vero non solum consonantiam arguit, verum etiam *dependentiam* Scholii a fontibus romanis; et quidem certo si agatur de S. Leone et de S. Gelasio, magna cum probabilitate si quaestio fiat de S. Nicolao [58].

Scholii autem slavici *auctorem* si quaeras, sane non una sententia viget inter auctores. Satis vero constat apud omnes

---

[54] Cfr. TH. KURENT S. O. C., AAV 13 (1937), 284-297; 14 (1938), 1-13.

[55] Cfr. supra ad n. 60.

[56] « Numquid apud Ravennam, apud Mediolanum, apud Sirmium, apud Treviros multis temporibus non constitit Imperator? Numquid harum urbium sacerdotes ultra mensuram sibi antiquitus deputatam, quidpiam suis dignitatibus usurpant? ». PL, 59, 71.

[57] Cfr. supra ad n. 98.

[58] TH. KURENT S. O. C.; AAV 14 (1938), 13.

textum primigenium fuisse graecum, probabiliter a S. CYRILLO concinnatum, a quo S. METHODIUS, vel eius discipuli, confecerunt versionem slavicam.

Ex argumentis internis certo constat textum slavicum translationem tantum esse antiquioris textus alia lingua redacti. RUTKOVSKII dicere maluit Scholium originale fuisse confectum Romae, altera medietate saec. V, contra can. 28 chalcedonensem [59]; sed vix non omnes, hac sententia praetermissa, contendunt primitivum textum fuisse graecum, quem BENEŠEVIČ non sine ingenio ex integro restituere conatus est [60].

Pariter hypotheses variant circa ortum huiusce Scholii graeci. PAVLOV censet illud inventum esse Byzantii ante annum 732 [61]; DVORNIK autem Romae, in quodam Graecorum monasterio, ineunte saec. VIII [62]. GRIVEĆ primo quidem tempore putavit illud opus esse monachorum graecorum Romae commorantium versus finem saec. VIII [63]; postea vero ratus est auctorem fuisse S. Cyrillum tempore suae romanae commorationis [64], quam sententiam amplexus est KURENT [65].

Ad translatorem autem slavicum quod attinet, WEINGART [66] et BENEŠEVIČ [67] tradunt versionem slavicam non a SS. Fratribus, sed posteriore tempore fuisse perfectam; cui sententiae accedit RUTKOWSKI [68], addens accipiendum esse tempus mortem S. Methodii immediate sequens. Sed alii versionem ascribunt vel ipsi S. Methodio, quae est opinio GRIVEC [69], vel saltem suis immediatis discipulis, quo contentus est KURENT [70].

119. DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI: Ex verbis ipsis quibus *Vita Methodii* narrat eius cum Latinis simultates, denun-

---

59 N. P. RUTKOVSKII, Латинскія схоліи въ кормчихъ книгахъ; SK 3 (Praguae 1929), 149-168.

60 V. N. BENEŠEVIČ, *Zur slavischen Scholien angeblich aus der Zeit der Slavenapostel;* BZ 36 (1936), 101-105.

61 A. S. PAVLOV, a. c.; VV 4 (1897), 143-159.

62 F. DVORNIK, *Les Légendes de Constantin et de Méthode vues de Byzance,* Prague 1933, 301-305.

63 F. GRIVEC, *Cerkveno prvenstvo i edinstvo po bizantinskem pojmovanju,* Ljubljana 1921, 81-98.

64 F. GRIVEC, *Orientalische und römische Einflüsse in den Scholien der Slavenapostel Kyrillos und Methodios;* BZ 30 (1929), 287-294.

65 TH. KURENT S. O. C.; AAV 14 (1938), 14.

66 M. WEINGART, *Ke dnešnimu stavu badáni o jazyce a pisemnictvi cirkevněslovanském;* ByzS 5 (1933-1934), 449 recensens opus F. DVORNIK, *Les Légendes ...*

67 V. N. BENEŠEVÍČ, l. c.

68 N. P. RUTKOWSKI, l. c.

69 F. GRIVEC, l. c., BZ 30 (1929), 294. Eadem fuerat iam sententia M. JUGIE A. A., *Le plus ancien recueil canonique slave et la primauté du pape;* Bes 34 (1918), 53, qui putat S. Methodium Scholium scripsisse versus a. 884.

70 TH. KURENT S. O. C., l. c.; AAV 14 (1938), 13.

tians « hyopatoricam haeresim » adversariorum [71], satis patet quaestionem fuisse potissimum de Processione Spiritus Sancti, cui imperiales formulam adhibebant « ex Patre Filioque », a qua S. Methodius *abstinuisse* videtur. Nihilo tamen minus, iterata testimonia Hadriani II et Ioannis VIII plane evincunt S. Methodium doctrinam omnino catholicam etiam de hoc argumento profiteri [72], neque difficultates, quas nobis creant *Commonitorium* Stephani V, *Vita Methodii* et opus S. Cyrillo falso tributum *Confessio fidei* hanc sententiam labefactant.

Hadrianus II, S. Methodium ad missionem Moravicam mittens, eum laudat, tamquam « virum perfectum intellectu et orthodoxum » [73], et quidem « examine praemisso »; age iam, illo tempore argumentum praecipuum erat illud de Processione Spiritus Sancti a Patre et Filio a photianis repudiatum. Postea vero, a. 879, a presbyteris Ioanne et Wiching accusatus, S. Methodius Romam accersitur, ut se ab omni purgaret suspicione. Id vero ita praestitit ut Ioannes VIII ei litterras commisserit ad principem Sventoplk directas (Iunio 880), quibus legitur: « Nos autem illum in omnibus ecclesiasticis doctrinis et utilitatibus orthodoxum et proficuum esse reperientes ... » [74].

Cum vero Wiching alias supposititias litteras pontificias contra Methodium portenderet, controversia minime cessat. Quin, adversarii rem totam Stephano V deferunt, qui ab eis circumventus a. 886, defuncto iam S. Methodio, suum *Commonitorium* scripsit improbans slavicam Liturgiam et legitimum dicens usum Francorum « Filioque » adhibentium Fidei Symbolo [75].

Sed *Commonitorium* reprehendit Methodii asseclas — iure an iniuria nostra non refert — quod Filioque Symbolo non adhibeant, silens de ipsa Processionis sententia [76]. Hanc autem hisce exprimit *Vita Methodii*: « Ab eodem Patre Spiritus Sanctus quoque procedit, sicuti dixit ipse Filius divina voce: *Spiritus veritatis qui a Patre procedit* » [77], quae verba et a discipulis sunt dicta et sinceram explicationem patiuntur.

---

[71] *Vita Methodii*, 12; F. Grivec, l. c., 120. Voce υἱοπατορία a Patribus contra Sabellianos adhibita utitur Photius, *Mystagogia*, 15; PG, 102, 293, contra Latinos Filium simul ac Patrem dicentes unum principium Spiritus Sancti.

[72] F. Snopek, *Methodium orthodoxum fuisse*; ACV, 1 (1908), 80-107; S. Salaville A. A., *Doctrina SS. Cyrilli et Methodii de Processione Spiritus Sancti*; ACV, 7 (1937), 47-63.

[73] Genuinitatem epistulae contra suspiciones J. Ginzel, K. Goetz, V. Vondrák, Lj. Hauptmann tuetur F. Grivec, *De authentia epistolae « Gloria in excelsis Deo » Hadriani II*; AAV 17 (1941), 258-276. Textum cfr. in Monum. Germ. Hist., Epist. VI, 763 s.

[74] Monum. Germ. Hist., Epist. VII, 243 s; PL, 126, 904-906.

[75] Monum. Germ. Hist., Epist. VII, 352-358.

[76] F. Grivec, *Vitae SS. Cyrilli et Methodii*; AAV 17 (1941), 249 s.

[77] Ibid., 101.

120. Confessio verae Fidei de Processione Spiritus Sancti: Perspicua vero sunt et photianam doctrinam redolentia verba usurpata in opusculo: *Confessio verae Fidei*; agens enim de proprietatibus divinis auctor scribit: « Spiritus vero [proprietas est] processio et quidem a Patre unice » [78], quae verba peremptoria sunt neque mitigari ullo modo queunt. Ast opus S. Cyrillo ascribere nefas est, ut modo iam tenent probati scriptores.

S. Cyrillum auctorem existimabant prisci vix non omnes, donec Voronov [79] ex argumentis internis contendit *Confessionem* fuisse conditam saec. XII contra Constantinum Bulgaricum; quae sententia pluribus orthodoxis et catholicis auctoribus probata est et recentius novis argumentis fulcitur a Grumel [80]. Illam vero vehementer carpunt alii ut Milaš [81], Malyševskii [82] ac praesertim Il'inskii [83] et Trifonov [84], qui auctorem fuisse S. Cyrillum iis rationibus argumentati sunt quae rem totam denuo crisi subiecerunt. Videtur autem retinenda modo sententia Kos [85], qui reiecta opinione Voronov-Grumel et Il'inskii-Trifonov mediam tenuit viam et auctorem dixit Clementem episcopum, S. Methodii discipulum, qui *Confessionem* redegit in Bulgaria, post obitum S. Methodii.

121. Doctrina discipulorum S. Methodii: Disciuli S. Methodii e Moravia pulsi, falsis vero accusationibus et omnis generis vexationibus a Latinis mulctati, in Bulgaria constiterunt, ubi maximo favore excepti sunt et selectis iuvenibus — quos inter aderat et Simeon Michaelis Boris filius — erudiendis operam dederunt. Cum vero in Bulgaria iam ab anno 878 Byzantini primas partes obtinuerint, nihil mirum si discipuli, praesertim ii qui graecae erant originis, photianae sententiae facile adstipulentur [86], id quod multiplici probatur documento.

---

[78] S. Kos S. S., *De auctore expositionis verae fidei S. Constantino-Cyrillo adscriptae* (*Napisanie o pravěj věrě*), Ljubljana 1942, 27.

[79] A. D. Voronov, Кириллъ и Меѳодій. Главнѣйшіе источники для исторіи свв. Кирилла и Меѳодія, K 1877.

[80] V. Grumel A. A., *Le « Napisanie o pravěj věrě » de Constantin le Philosophe*; EO 32 (1929), 283-294.

[81] N. Milaš, *Gli Apostoli Slavi Cirillo e Metodio e la verità dell'ortodossia*, Trieste 1886.

[82] J. Malyševskii, Свв. Кириллъ и Меѳодій первоучители славянскіе, K 1886.

[83] G. Il'inskii, « Написаніе о правѣ вѣрѣ » Константина Философа; Sbornik v čest na Vasil N. Zlatarski, S 1925, 63-89.

[84] J. Trifonov, Съчиненіето на Константина Философа (св. Кирила) « Написаніе о правѣ вѣрѣ »; Spisan. na bulg. Acad. Scient. 52 (1935), 1-85.

[85] S. Kos S. S., o. c.

[86] S. Kos S. S., o. c., 196.

CLEMENS episcopus [87], qui suis sermonibus in Moravia habitis ad Processionem Spiritus Sancti declarandam contentus fuit verbis evangelicis [88], postea, in Bulgaria degens, studuit in luce collocare illud Photii: *ex Patre tantum*: « Spiritus procedens a Patre unico tantum, sicut dixit Spiritus veritatis quia a Patre procedit; non enim a duobus principiis, sed ab uno est » [89]; « Spiritus Sanctus vere Spiritus est, procedens quidem a Patre, sed non a Filio, sicut quidam dixerunt ... non intelligentes, ac si a duplici principio haberet suam existentiam. Sed non existentibus duobus principiis praeter unicum tantum Patrem, qui principium fonsque est omnis divinitatis, et Filius et Spiritus sicut rami a Deo plantati sunt aut flores lucidissimi. Ita siquidem a sanctis Patribus audivimus » [90]. Neque aliud legimus in *Vita Clementis*, quae multis declarat Spiritum quidem *mitti* quoque a Filio, sed a Patre tantum procedere [91].

Hisce autem consonant alia documenta slavica huius aetatis, ut *Officium in honorem S. Methodii* a CONSTANTINO presbytero exaratum [92] ubi legitur: « Paraclitum a Patre, non a Filio, procedentem »; et *Officium SS. Cyrilli et Methodii*, hanc doctrinam S. Methodio conceptis verbis tribuens [93]. Hisce similia exhibent cum *Vita Naum*, tum eius *Officium*, exaggerantia momentum illius « Filioque » in controversiis moravicis [94].

122. PRIMA CONFUTATIO BOGOMILISMI. COSMAS PRESBYTER: Sub hoc tempore novimus etiam prima slavica scripta de controversiis theologicis. Quaestio autem agebatur de reiciendis pravis opinionibus sacerdotis bulgari BOGOMIL [95], de cuius vita vix quidquam scimus, nisi illum vixisse tempore Zari Petri (927-969). Illum refutat alter Bulgariae presbyter COSMAS, qui

---

[87] De Clemente bibliographiam exhibet G. A. IL'INSKII, Опытъ систематической Кирилло-Меѳодьевской Библиографіи, S 1934, nn. 2214-2248; praecipuum vero opus ducitur N. TUNITSKII, Климентъ епископъ Словенскій, SP 1913.

[88] Cfr. S. Kos S. S., o. c., 197.

[89] *Sermo in Nativitate Christi*; F. SNOPEK, *Konstantinus-Cyrillus und Methodius, die Slavenapostel*, Kremsier 1911, 393.

[90] *Lectio in Baptismo Domini*; F. SNOPEK, o. c., 394.

[91] Cfr. cap. 8 et 9 huius biographiae; PG, 126, 1209. Cum vero haec distinctio inter procedere et mitti urgeatur praesertim a THEOPHYLACTO Bulgaro, illum auctorem Vitae suspicatur M. JUGIE A. A., *De Processione Spiritus Sancti*, R 1936, 318.

[92] J. PAVIĆ, *Staroslovenski pjesnički kanon u čast sv. Methodija i niegov autor*; BoS 24 (1934), 59-86.

[93] T. BALAN, o. c., II 76. Cfr. F. GRIVEC, *Vitae Constantini et Methodii*; AAV, 17 (1941), 254.

[94] Cfr. F. GRIVEC, ibid.

[95] Ad Bogomilismi origines cfr. V. N. SHARENKOFF, *A Study of Manicheism in Bulgaria with special reference to the Bogomils*, New York 1927; N. P. KONDAKOV, О Манихействѣ и Богомилахъ; SK 1 (1927), 289-301; D. OBOLENSKY, *The Bogomils*, Cambridge 1948; D. ANGELOV, Богомольство в Болгарии, M 1954.

et ipse saec. X floruit, estque auctor sermonis « contra recentem haeresim Bogomili » [96], in quo obiter tangit universas fere theologicas quaestiones, ita ut bene liceat ex hoc opusculo haurire fidem Cosmae, imo et Ecclesiae Bulgaricae sui temporis [97].

Cosmas animadvertit primo quidem in falsa dogmata Bogomilorum, qui eo usque progressi sunt ut omnem cultum reicientes universam quoque hierarchiam et sacerdotium prorsus respuant, atque adeo ipsam SS. Eucharistiam ducant cibum communem. Cum vero Bogomili falsa pietatis specie decipiantur, Cosmas pluribus agit de statu monachali, deque ieiunii observatione, quibus Bogomil abutebatur.

Silet de Processione Spiritus Sancti [98]; recte vero explicat doctrinam de Sacramentis, praesertim de Poenitentia [99] et de SS. Eucharistia [100], ad quam conficiendam requirit sane dominica institutionis verba, simul vero, ut videtur, Epiclesin, ad quam clara fit allusio. Agit quoque de Matrimonio [101]; sed omittit Cofirmationem, etiam si de illa, sicut et de Filioque, quaestio agitata esset cum Latinis.

Haec ostendunt auctorem ab omni erga Latinos animadversione alienum. Quinimo, et satis patere censeo illum bene de Primatu divi Petri sentire, dum meminit testimonii Matth. 16, 18, quod ita effert: « Beatus est Simon Bar Iona, quia tecum aedificabo Ecclesiam meam et astutia haeretica non destruet eam » [102].

Art. III

De Nestorianorum et Monophysitarum commentariis

§ 1. *Nestoriani*

123. Nestorianorum litterae theologicae hac periodo: Litteraturam theologicam Nestorianarum si respicias hac labente periodo, ex alio capite eam magni facies, cum sub hoc tempore

---

[96] I. Gagov O. F. M. Conv., *Theologia antibogomilistica Cosmae presbyteri bulgari* (*Saec. X*), R 1942; D. Angelov, Пресвитер Козма и беседата му против богомилите, S 1948.

[97] Id praestat I. Gagov O. F. M. Conv., o. c., 127-188.

[98] I. Gagov, o. c., 144 ex eo quod Cosmas distinguat personam Spiritus Sancti a Verbo infert illum recte sentire de Processione Spiritus a Patre Filioque, « omnibus enim patet adagium theologicum: in Deo sunt omnia unum ubi non obviat oppositio relativa »; attamen hoc effatum plerosque Orientales omnino latuit et modo etiam latet.

[99] Ibid., 157-161.

[100] Ibid., 161-165, cfr. 60.

[101] Ibid., 168-176

[102] Ibid., 84; cfr. 136-138.

Nestoriani Ağarenis commodent libros Stagiritae, ab ipsis in linguam syriacam conversos, qui rursus, mediantibus Arabibus, Hispaniam et reliquum Occidentem peragrantur, tanto cum fructu Theologiae Catholicae. Ex altera vero parte deplorabis cum DUVAL [1] « decadentiam » theologicam saec. IX et X, quo tempore magna scriptorum habetur inopia.

Iam saec. IX ineunte Bagdadii inter mahumedanos scientifica studia florent, cum philosophica, tum etiam alia praesertim medicinae; id autem imprimis tribuendum est ḤUNAIN IBN ISḤÂQ aliisque scriptoribus christiano-arabicis, qui vel ex syriaco vel ex graeco Hellenorum opera transtulerunt [2]. Hac vero nostra aetate inter mahumedanos incipiunt *madahrisat* seu scholae sacrae, quarum celeberrima habetur Collegium seu Universitas Nidamì in urbe Bagdad. Antea vero conditae sunt scholae philosophico-theologicae ad Nisapur, necnon in monasteriis sectae Carramí. Age iam, omnia haec instituta imitantur Scholas nestorianas [3].

Hisce sic stantibus non miraberis si eruditi inter Nestorianos sub hoc tempore scientiis etiam profanis magis quam antea incumbunt, et litteras arabicas colunt, non sine iactura sacrae theologiae et litteraturae syriacae, ita ut DUVAL iure loquatur de « decadentia » huius aetatis [4].

124. SCRIPTORES NESTORIANI: Nihilo tamen minus non prorsus desunt auctores qui quaestiones in provincia Theologiae agitent sive dogmaticas, sive liturgicas et morales [5]. Hos inter praecipui habentur:

GIWARGIS sive Georgius Metropolita Arbelensis et Mossulensis († 960) qui nomen sibi acquisivit ut canonista, edito *Compendio iuris successionis* et ut liturgus; ei enim tribuuntur plures textus in Officio Nestorianorum recepti et *Ordo divinorum officiorum,* qui est fons praecipuus ad illustrandum ritum syro-nestorianum.

ELIAS Kaškarensis episcopus († 987) fertur commentarium scripsisse in orationes S. Gregorii Nazianzeni.

ELIAS I († 1049) ann. 1028 sacratus Katholicos, auctor est operis *Fundamenta religionis* 22 capitibus digesti, et operam suam etiam posuit in re canonica et liturgica [6].

---

[1] R. DUVAL, *La Littérature Syriaque* [3], Pa 1907, 394.

[2] Cfr. A. MINGANA O. P., *Book of treasures by Job of Edessa,* Cambridge 1935, Introd. xv-xix.

[3] J. RIBERA Y TARRAGÓ, *Disertaciones y Opúsculos,* Madrid 1928, I, 361-383; Origen del Colegio Nidamí de Bagdad.

[4] R. DUVAL, *La Littérature Syriaque* [3], Pa 1907, 392. 394.

[5] GSL, 239.

[6] GSL, 286.

ELIAS BAR SINAJA († post 1049) reliquos facile antecellit. Monasticam vitam in Mossul ad S. Michaelis egit et Metropolita Nisibenus ann. 1008 renuntiatus est. Plura nobis reliquit syriace et arabice scripta. Inter scripta syriaca nota sunt: *Compendium resolutionum ecclesiasticarum* et operis Katholici Eliae I *de iure hereditario, Chronicum, hymni et homiliae* metricae, necnon *Grammatica* syriaca et *Vocabularium* arabico-syriacum [7]. Lingua vero arabica adsunt: Epistula *in laudem coelibatus* et castitatis; Epistula *de unitate Creatoris* et *de Trinitate* [8]; Epistula *de Creatione mundi, de Unitate et Trinitate* divina [9]; *Liber demonstrationis de veritate fidei* [10]; *Contra tristitiam* [11]; *Liber septem disputationum* [12] seu disputationes cum Wizir Abul Qâsim Husein ben Ali al-Magribi; Tractatus *de paradiso* [13]; Tractatus brevis theologicus, epistulae variae, *Maxima tam corpori quam animae utilia* [14].

125. DOCTRINA ELIAE BAR SINAJA: Ut vides, ad Theologiam quod attinet hac periodo regnat ELIAS BAR SINAJA, et quidem duobus suis operibus polemicis *Libro septem disputationum* et *Libro demonstrationis de veritate fidei,* quorum alterum christianam religionem contra Mahumedanos vindicat, alterum sententiam nestorianam contra Monophysitas et Melchitas propugnat.

Cum Husein agens in christiana fide erudiri cupiente ELIAS disserit 1) de Unitate et Trinitate in Deo, 2) de Incarnatione et unione utriusque naturae more nestoriano, 3) de argumentis in al-Qorano contentis in favorem Monotheismi Christianorum, 4) argumenta in favorem Christianismi petita a ratione et a miraculis, 5) de puritate christianae fidei, 6) de praestantia christianorum in scientiis humanioribus et theologicis, 7) christianorum sententia de Astrologia et de anima, habens simul prae oculis in iis omnibus placita Mahumedanorum.

---

7 Edita sunt *Opus Chronologicum* (ed. E. W. BROOKS et J.-B. CHABOT); CSCO, Scr. Syri, S. III, t. VII, Pa 1910; cfr. etiam L. J. DELAPORTE, *La chronographie d'Elie Bar-Sinapa, ... traduite pour la première fois,* Pa 1910: R. GOTTHEIL, *A treatise on syriac grammary by Mar Elias of Sobha,* Lo 1887; Lexicon vero editum est a P. DE LAGARDE, *Praetermissorum libri duo,* Göttingen 1879.

8 Edita a L. MALOUF S. I., in ephemeride al-Mahriq, (1903), 111 ss.

9 Edita a P. SBATH, *Vingt Traités Philosophiques et Apologétiques d'auteurs arabes chrétiens du XIe au XIVe siècle,* Cairo 1929, 75-103.

10 L. HORST, *Des Metropoliten Elias von Nisibis Buch vom Beweis der Wahrheit des Glaubens,* Colmar 1886, qui opus Eliae bonis argumentis attribuit.

11 Opusculum edidit arabice C. BACHA, *Kitab daf'al-hamm,* Cairo 1902.

12 Editus est liber a L. CHEIKHO S. I., in al-Mahriq, (1922), 33 ss.

13 Editus a L. MALOUF S. I. in al-Mahriq, (1907), 446 ss.

14 P. SBATH, *Massime di Elia Metropolitano di Nisibi* (975-1056), Cairo 1936, arabice, italice et gallice. Cfr. plura de scriptis arabicis apud G. GRAF, *Die christlich-arabische Literatur,* Freiburg i. Br. 1905, 59-67. De eius autem doctrina lege, sis, E. DELLY, *La Théologie d'Élie bar Chenâya,* R 1957.

Nostra autem praesertim refert *Demonstratio de veritate fidei,* sive apologia Nestorianismi, quem, praesertim contra Iacobitas et Melchitas extollit auctor. Usus enim verbis dominicis: *Beatus es Simon Bar Iona* etc. quae accipit de recta fidei confessione, concludit Ecclesiam Nestorianam unam esse supra solidam petram aedificatam, quippe una retinet veram de Christo Domino doctrinam [15]. Porro, ipse Christologiam prorsus nestorianam tuetur, et quidem ita ut semper loquatur de duabus hypostasibus seu personis, nulla facta allusione ad « unum prosopon unionis » [16]. Neque enim ratio loquendi Nestorianorum propria contradicit verbis SS. Evangeliorum, quae singillatim perpendit [17], imo eisdem apte respondet. In iis vero refutare intendit placita Monophysitarum, vindicans humanam Christi naturam, quae continuo fere in Evangeliis sese prodit. De Melchitis autem mitius iudicat, quos Nestorianis propinquiores putat [18]; duo vero sunt quae dissimulare nequit: alterum, videlicet, appellatio *Deigenitrix,* quam pluribus refutare intendit [19], innixus verbis evangelicis Mariam Iesu, non Dei, Matrem dictitantibus; alterum assertio de *unica Christi persona,* cui contradicit — inquit — necessitudo quae interest inter personam et naturam singularem [20].

Ceterum, etsi videatur momentum huius difficultatis minuere, nihilo tamen minus impossibile ducit unionem cum Melchitis et Iacobitis, propter *diversos usus* in cultu eucharistico et in ecclesiastica disciplina, praesertim circa ieiunium [21].

Id autem patefacit quanti Nestoriani habeant sacram *Liturgiam,* quemadmodum magis apparet in opusculo Catholici Išo'yahb IV, cuius electionem Elias Nisibenus validissime impugnavit.

Opusculum recenter editum [22] totum est in rubricis tenendis et in normis servandis quando aliquid praeter ordinem in divinorum mysteriorum celebratione occurrat. Ex iis vero licet haurire rectam Išo'yabh sententiam de praesentia reali Christi Domini in Sacramento Altaris.

---

15 L. Horst, o. c., 87.

16 Ibid., 58.

17 Ibid., 44-56.

18 Ibid., 58.

19 Ibid., 59-72.

20 Ibid., 76-23. In iis vero prae oculis habet opus Patriarchae Eutychii (Ibn-Batrîq), cuius dat excerpta.

21 Ibid., 98-112.

22 W. C. Van Unnik, *Nestorian Questions on the administration of the Eucharist, by Isho'yabh IV,* Haarlem 1937.

§ 2. *Scriptores Monophysitae*

126. Auctores Copti et Iacobitae: Anno 969 res mutatae sunt penes monophysitas coptos et syros. Hoc enim anno in Aegypto obtinet dynastia Fatimitarum, quae, praesertim sub Hakim (996-1021), maiores quam antea difficultates christianis movet; Antioquia vero die 29 octobris ann. 969 expugnata est a Zimiske et in ditionem venit Byzantinorum, quorum influxus, etiam religiosus, validior fit. Praecipui vero scriptores habentur:

Severus Ibn al-Muqaffa († versus 1000), episcopus Ašmunain prope Tell el-Amarna, cuius fama late diffusa est, vita autem fere nobis ignota. Scripsit, iuxta Abu'l-Barakât, 26 opera [23], sive polemica contra Iudaeos, Mahumedanos, Melchitas et Nestorianos, sive dogmatica, exegetica, canonica, liturgica et historica. Ex iis vero edita sunt: *Historia Patriarcharum Alexandrinorum* [24], qua usus est Renaudot [25]; *Historia Conciliorum* [26]; *Refutatio Sa'id Ibn-Batriq* (seu Eutychii) [27] et *Liber expositionis dogmatum christianorum*, cuius exstat recens arabica editio [28].

Moses bar Kepha (813-903) ad Balad prope Mosul natus, sacris autem litteris eruditus in Monasterio Mar Sergii, ubi et monasticam vitam egit donec ann. 863 sacratus fuit episcopus Mosulensis [29]. Ut scriptor posteris reliquit *commentarium in universam S. Scripturam*, e quo pauca admodum novimus [30], *commentarium in S. Liturgiam* [31], varia opera dogmatica, quarum duo typis data sunt: *de Paradiso* [32] scilicet, et *de Anima* [33], ac *homilias* plures, e quibus unam tantum compendio datam novimus [34].

---

[23] G. Graf, *Die christlich-arabische Literatur*, Freiburg im Br. 1905, 45; cfr. BO, II, 141.

[24] B. Evetts; PO, 1, 99-214, 381-518; 5, 1-215; 10, 375-552; et, Chr. F. Seybold; CSCO, Script. arab., S. IIII, 9 (1904, 1911).

[25] E. Renaudotius, *Historia Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum*, Pa 1713.

[26] L. Leroy; PO, 6, 467-600; S. Grébaut, *Histoire des Conciles. Étude sur la version éthiopienne*; Ibid., 603-639.

[27] P. Chebli; PO, 3, 121-242.

[28] Editionem curavit Morcus Guirguis, Cairo 1925.

[29] GSL, 281; cfr. O. Braun, opere mox citando, 4-9.

[30] E magno opere exegetico auctoris ea tantum consulere nobis licet quae de eius exegesi in Psalmos scripsit J.-M. Vosté O. P., *L'Introduction de Môšê bar Kêfâ aux Psaumes de David*; RB 38 (1929), 214 226.

[31] R. H. Connolly et H. W. Codrington, *Two commentaries on the Jacobite liturgy by Georg bishop of the Arab Tribes and Moses bar Kepha*, Lo 1913.

[32] *Commentaria de Paradiso* (interprete Andrea Masio; ed. Antuerpiae 1569); PG, 111, 481-608.

[33] O. Braun, *Moses bar Kepha und sein Buch von der Seele*, Freiburg im Br. 1891.

[34] F. Nau, *L'homélie du Moses bar Kepha sur les Confesseurs du vendredi*; ROC, 19 (1914), 192-195; initio auctor dat elenchum operum a Mose scriptorum.

Yahiâ ben 'Adî (893-974), cuius nomen completum sonat Abû Zakarîja Iahja Africhâ ben'Adî ben Hamîm ben Zakarîja at-Takrîtî al-Mantiqî; nempe Takrîtî dictus a patria Takrit (Martyropolis in Mesopotamia), al-Mantiqî vero seu Dialecticus, ob eius in philosophia eruditionem, quam didicit in schola nestoriana bagdadiensi a magistris Abû Bišr Mattâ et Abû Naṣr al-Farabî, Aristoteli Arabum nominato [35]. Tum ipse per plures annos in urbe Bagdad docuit magno auditorum christianorum et arabum concursu.

Quanta apud mahumedanos et christianos fama gavisus sit Yahyâ ben 'Adî testatur Mas'oûdî [36], qui eius laudat philosophiam. Sed etiam in provincia theologica valde claruit, ut ostendunt vel eius opera scripta. Nam, praeter 40 tractatus philosophicos et praeter versiones operum Platonis, Aristotelis et commentatorum Aristotelis [37], composuit duos libros *de Trinitate* et *de Incarnatione et unione* et 39 opuscula seu quodlibetales quaestiones [38], quorum 9 edita sunt a Perier [39] agentia de Trinitate et de Incarnatione Verbi.

127. Praecipua quaedam doctrinae capita: Haec si attendas deprehendes scriptores monophysitas syros et coptos nonnunquam fidem pacifice explanare; plerumque vero eandem apologetice contra adversarios — christiani illi fuerint vel mahumedani — pro viribus vindicare. Neque miraberis si pro diverso fine diversa quoque ratio sit. Dum enim in explanatione doctrinae ad suos illam ad normam S. Scripturae, Traditionis patristicae et liturgicae, et iuxta philosophica principia tradunt, cum agitur de Melchitis et Nestorianis doctrinam monophysitam de unica in Christo natura post unionem vindicant, a qua fere abstinent in polemica cum mahumedanis.

Primae expositionis exemplum habemus in lucubrationibus Moses bar Kepha, qui S. Scripturam, vel potius Vetus Testamentum, sensu litterali simul et spirituali interpretatus [40], S. Gregorii Nysseni aliorumque Patrum Graecorum doctrinis adhaerens, plura tradit de animarum creatione, natura ac finali sorte [41], de lapsu

---

35 G. Graf, *Die christlich-arabische Literatur*, 46.

36 *Livre de l'Avertissement et de la Révision*, vertente Cabra de Vaux, 171.

37 G. Graf, *Die Philosophie und Gotteslehre des Jahja ibn Adi und späteren Autoren. Skizzen nach meist ungedruckten Quellen* (Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters, 8), Münster 1910; A. Perier, *Yaḥyâ ben 'Adî. Un philosophe arabe chrétien du Xe siècle*, Pa 1920.

38 A. Perier, o. c., 72-80.

39 A. Perier, *Petits traités apologétiques de Yaḥyâ ben 'Adî*, Pa 1920, cfr. eundem auctorem in ROC, 22 (1920-121), 3-21.

40 Cfr. J.-M. Vosté O. P., a. c. Ceterum, haec interpretandi ratio ei praebet divisionem sui tractatus *de Paradiso*.

41 Cfr. O. Braun o. c.; opus autem est imprimis indolis philosophicae, quam vero temperat iis quae ex Revelatione nota sunt.

protoparentum et peccato originis, excludens Nestorianorum obiecta [42]. Attamen una docet doctrinam de dilatione Beatitudinis usque ad ultimum Iudicium [43]. Pariter sua theologia sacramentaria abundat sensu aliorum syrorum monophysitarum, dum extollit momentum *myri* [44], et theoriam « impanationis » adhibet ad praesentiam realem Christi Domini in SS. Eucharistia declarandam [45].

Apologeticam erga alios christianos coetus agitavit SEVERUS AL-MUQAFFA, qui in sua refutatione Patriarchae Melchitae Eutychii, cuius auctoritas Coptos commovere coeperat, enarrat fidei vicissitudines usque ad Concilium Chalcedonense, hoc pacto ut EUTYCHEN quidem damnet [46], pro viribus autem tueatur res gestas DIOSCORI, sive in Conciliabulo Ephesino, sive in Synodo Chalcedonensi [47], cuius dyophysiticam doctrinam verbo tenus a nestoriana discriminari confidenter asserit [48]. Deinde, adductis testimoniis S. Cyrilli aliorumque Patrum in commendationem sententiae iacobiticae — hoc enim nomine uti mavult — satisfacit obiectionibus a Melchitis moveri solitis ex verbis in Novo Testamento relatis [49], quin subtiliores ingrediatur philosophicas declarationes.

Denique, YAHIÂ BEN 'ADÎ, ut veritatem christianae fidei etiam suis contradictoribus mahumedanis persuadeat, aggreditur dificillimas quaestiones de Trinitate Personarum et de Incarnatione, illas evolvens ope philosophiae peripateticae [50]. Vide, ex. gr., quae ipse disputat de Patre, Filio et Spiritu Sancto (quem videtur ex uno Patre procedere dicere), confugiens ad collationem cum intellectu puro, intelligente et obiecto intellecto [51]. Pariter in doctrina de Unione, a tribus sane personis peracta, sed quae sese terminat ad unam personam Verbi [52] et de appellatione « Deiparae » [53] Verumtamen, cum ipsi res sit cum Mahumedanis, YAHYÂ, secus ac alii doctores nestoriani et monophysitae, minime insistit discrepantiis inter tres

---

42 *De Paradiso*; PG, 111, 605 ss.

43 Iuxta illum animae separatae in Paradiso locatae expectant resurrectionis et retributionis diem; sic in tractatu *de Anima* ap. O. BRAUN, o. c., p. 121; *de Paradiso*, l. c., 509.

44 Unionem quandam intimam statuit inter myrum et Deum, perinde ac est illa inter Deum et panem ac vinum in Eucharistiae Sacramento. Cfr. W. DE VRIES S. I., *Sakramententheologie bei den syrischen Monophysiten;* OCA, n. 125, R 1940, 130 s.

45 Sic putat W. DE VRIES S. I., o. c., 148 s, complens ea quae disputat M. JUGIE A. A., TDCO, V, 677. Cfr. sententiam O. BRAUN, o. c., 18. Etiam inter sententias notatu dignas recole quae dixit de resurrectione *unius* Christi in incorruptionem et immortalitatem, quae primo fronte viderentur excludere corporalem Assumptionem Deiparae. Vid. F. NAU, in ROC, 19 (1914), 194.

46 BO III, 167 s.

47 Ibid., 168-181.

48 Ibid., 182.

49 Ibid., 211-220.

50 A. PERIER, *Yahya ben 'Adî,* 122-213.

51 Ibid., 161 s.

52 Ibid., 195-199.

53 Ibid., 199-203.

christianas confessiones, melchitam, inquam, iacobitam et nestorianam, sed ita de iis loquitur ut discrimina ad verbales quaestiones fere reducat [54], quin, ipse ad dyophysismum valde accedit [55].

128. Studia sacra apud Armenos monophysitas: Duo sunt prae aliis attendenda, quae litteris armenis hac periodo incrementum afferunt. Inaguratio, videlicet, principatus Armeni sub Achot e familia Bagratuni [56] et labor in monasteriorum scholis impense adhibitus tum versionibus perficiendis ex lingua graeca et syriaca, tum etiam operibus historicis, liturgicis et theologicis redigendis.

Nam, licet Achot, qui anno 861 a Califa Bagdadensi « princeps principum » renuntiatus est, anno vero 885 tum a Califa, tum etiam ab Imperatore Byzantino regale diadema accepit [57], intestinis discordiis impeditus fuerit quominus plenam totius nationis armenae unionem consequeretur, tamen multum fovit nationalem spiritum, ut aiunt, qui in provincia religiosa quoque obtinet [58].

Ad *scholas* quod attinet, praeter scholam monasterii Narek, ad lacum Van, celebres habentur illae conditae in monasteriis Sanahin, Halbat et in illo dicto Lazari sive Apostolorum, quod et antiquitate et fama omnium illustrissimum habetur [59].

129. Praecipui scriptores de re theologica: His in monasteriis claruerunt hac nostra periodo plures scriptores, quos recensuit Sukial [60]. Ad nostram autem theologicam provinciam pertinent:

Ioannes VI († 925), Catholicos, qui nomen sibi acquisivit edita sua *Historia Armeniaca*, quae fere tota versatur in eventibus recentioribus perconctandis, et magna imbibitur animositate contra Concilium Chalcedonense [51];

---

[54] Usus nempe similitudine cum natura hominis, quae duabus substantiis incompletis constat, una vero completa substantia et natura est, difficultates adversarii mahumedani dissolvere satagit. Cfr. A. Perier, *Yahya ben 'Adî*, 193.

[55] Docet enim unicam naturam Christi esse compositam. Cfr. ibid., 92 not.

[56] P. Tournebize S. I., *Arménie*; DHGE, IV, 307.

[57] J. Laurent, *L'Arménie entre Byance et l'Islam*, Pa 1919, 282 s.

[58] H. Tropdschian, *Die inneren Zustande von Armenien unter Achot I;* Westasiat. Studien, 8 (1905), 98-215.

[59] P. Sukias Somal, *Quadro della storia letteraria di Armenia*, V 1829, 60. 68 s.

[60] O. c., 50-72.

[61] Hoc opus, quod una cum historia Stephani Asoghik († s. XI incunte) est opus classicum in historia armena editum fuit gallice a J. Saint Martin, *Histoire d''Arménie par le patriarche Jean VI*, Pa 1841; opus vero Asoghik a M. Gelzeb et A. Burckhardt, *Scriptores sacri et profani*, fasc. IV, L 1907.

Chosroas Magnus († 972), qui saeculo valedicens vitam monasticam amplexus est et postea sedem episcopalem conscendit Andzevensem. Duo autem opera nobis reliquit; alterum *de precibus Breviarii*[62], alterum *explicatio precum Missae*[63]. Chosroas non solum scriptis, verum etiam suis rebus gestis valde claruit.

Maius vero nomen sibi meruit eius filius Gregorius Narekiensis († 1003), Armenorum Pindarus, inter maximos poetas iure adnumeratus, simul vero polemista et exegeta. Extant eius opera armenice[64], videlicet *Commentarium in Canticum Canticorum*[65], *Sacrae elegiae,* vel potius preces poeticae[66] numero 95, quattuor *orationes panegricae*[67], *Commentarium in cap. 38 libri Iob* et *epistula dogmatica contra Thondrakianos*[68].

Denique, hac periodo occurrunt plures Catholici, qui, licet a libris conscribendis abstinuerint, litteras dederunt vel decreta quae dogmaticas respiciunt quaestiones. Tales sunt Catholicos Ananias († 965), Catholicos Vahan († 972) et Catholicos Xačik I († 992).

130. Doctrina theologica Armenorum: Ex iis quae novimus duo sunt argumenta praecipua ab Armenis agitata, nempe et theologia *liturgica,* cuius specimen nobis dedit Chosroas, et *controversia* cum Melchitis. Cum enim principes Armeni diuturnius ac frequentius quam antea commercium habeant cum Byzantinis, a quibus pluries auxilium flagitant ad bellum adversus Arabes gerendum[69], cumque plures Armenorum sub Imperatorum Byzantinorum potestate siti dyophisismum chalcedonensem tueantur, nihil mirum si armeni auctores, unionis periculum pertimescentes, in doctrina quae illos a Byzantinis separat propugnanda insistant.

Chosroas, sacram commentatus Liturgiam, plura habet pulcherrime dicta de SS. Eucharistia, sed nonnulla profert quae theoriae « impanationis » favere videntur[70]. Attamen, ut vult translator latinus Vetter, « suspectae illae sententiae Chosroae imputandae

---

62 Armenice editum C 1730.

63 Latina editio a P. Vetter, *Chosroae Magni episcopi Monophysitae Explicatio precum Missae,* Friburgi Br. 1880.

64 Eius opera armenice prodierunt V 1827, 1840.

65 Prima editio armenica V 1789.

66 Prima editio V 1801.

67 Ex iis una translata est oratio de B. M. V. *Discorso panegirico alla beatissima Vergine Maria,* V 1904.

68 Germanice edita a M. Ter-Mkrttschian, *Die Paulikianer im byantinischem Kaiserreiche und verwandte ketzerische Erscheinungen in Armenien,* L 1893, 130-135.

69 Cfr. Ioannes VI, *Historia Armeniaca,* l. c., 270-283.

70 L. Vetter, o. c., 18. 29. 35. 36. 46.; cfr. TDCO, V, 670-672.

sunt ut menda, non fidei, sed locutionis »[71], cum ipse continuo conferat Eucharistiam ad Incarnationem, qua Verbum humanitatem assumpsit. Ambigua quoque est eius sententia de *Epiclesi*.

Ad intestinas controversias quod attinet, reiciunt placita sectae *Throndrakianorum* impugnantium hierarchiam et vitam monasticam, veritatem Incarnationis et cultum reliquiarum et imaginum[72]; quos refutant Ananias et Gregorius Narekiensis. Cultum vero imaginum hac periodo introduxisse fertur Catholicos Vahan[73], etiamsi Xačik illum inter alia exprobret Melchitis[74].

Denique, disputationem cum Melchitis si respicias, ad coetum armenorum dyophysitarum pertinet auctor — quem Demetrium quendam fuisse tradunt — opusculi *de rebus Armeniae*, sub ementito nomine Philippi Solitarii editi[75]. Conciliationi autem cum chalcedonensibus studuerunt Zacharias eiusque episcopi ad Synodum Chiragavanensem (c. 867) congregati ut responsum darent litteris Patriarchae Photii[76]. Sed iam sub hoc tempore mentio fit cuiusdam Isaaci episcopi, qui suum quoque responsum misit ad Byzantinos, inimicitiae plenum[77].

Oppositio vero augetur medio saeculo X, ut ostendunt cum iussio Catholici Ananiae ut baptizarentur denuo Melchitae ob eorum haereses[78], tum depositio Catholici Vahan propterea quod amice litteras dederat ad Georgianos, qui tunc temporis in castris erant Chalcedonensium[79]. Abalienatio autem crevit cum Metropolita Sebastae in Armenos saevire caepit; hanc enim nactus occasionem Catholicos Xačik epistulam ad Metropolitam scripsit, in qua adhibitis locis a S. Scriptura et SS. Patribus petitis, dyophysismum impugnat acerrime, etsi minus accurata ratione; ait enim, si admittant adversarii duas in Christo naturas, tertiam quoque admittant necesse est, qua duae priores uniantur et ad quam terminetur fidelium ad Christum deprecatio[80].

---

71 Ibid., xi.

72 TDCO, 480.

73 Sic suspicatur M. Jugie, propterea quod hic Catholicos a suis adversariis reprehensus sit propter cultum imaginibus exhibitum; TDCO, V, 581.

74 A. Ter-Mikelian, *Die armenische Kirche in ihren Beziehungen zur byzantischen (vom IV bis zum XIII Jahrhundert)*, L 1892, 79.

75 *Philippi Solitarii tractatus de rebus Armeniae*; PG, 127, 877-902. In prima parte refutat Coptos eutychianos et Syros iacobitas; nec solum ut Severianismum arceat, verum etiam ut doctrinam Concilii Chalcedonensis eis commendet. Huius operis novam editionem adornavit G. Garritte, *La Narratio de rebus Armeniae. Édition critique et commentaire*; CSCO, Subsidia 4 (1952).

76 Cfr. supra ad n. 86. Cfr. Finck et E. Gjandschezian, *Der Brief des Photios an Achot und dessen Antwort*; Zeitschr. f. arm. Phil., 2 (1904), 1-17.

77 Illius meminit P. Sukias Somal, *Quadro della storia letteraria di Armenia*, V 1829, 52 s.

78 A. Ter-Mikelian, o. c., 76.

79 Ibid., 77.

80 Ibid., 77-79.

CAPUT VI

DE DOCTRINA THEOLOGICA ORIENTALIUM VOLVENTE AEVO CAERULARII (1054-1203)

131. Argumentum huius capitis: Sub nomine « Aevi Caerularii » comprehendimus periodum ab exordiis schismatis Byzantini a. 1054 usque ad expugnationem Constantinopoleos a Latinis a. 1203, quae inimicitias augens inter Byzantinos et Latinos controversiam theologicam vehementiorem quoque reddidit.

Tota hac periodo Byzantii perseverat lucta contra Ecclesiam Romanam a Patriarcha Michaele Caerulario inaugurata. Neque enim contentionem sedare valuerunt studia Summorum Pontificum ad pacem restabiliendam [1]. Iam a. 1072 Alexander II, subsequenti vero a. 1073 S. Gregorius VII de unione egerunt cum Imperatore Michaele VII Duka [2] Ad finem saec. XI Urbanus II ad unionem sollicitat Imperatorem Alexium Comnenum [3]; postea vero, a. 1113 Paschalis II et a. 1155 Adrianus IV rem tentant apud Imperatores Ioannem et Manuelem Comnenum [4]. Frustra tamen; nam etiamsi Imperatores, irruentibus malis perterriti, Romanorum Pontificum votis satis facere studuerint, obstitit clerus Constantinopolita-

---

[1] Cfr. A. Katanskii, Вопросъ о соединенiи Церквей восточной и западной на греческомъ Востокѣ и латинскомъ Западѣ (1053-1453); ChČ, 1867, II, 222-251, 374-416, 471-514, 744-764; 1868, I, 66-99, 367-399, 557-599; M. Popescu, *Incercările de unire între Biserica orientală și occidentală*; BOR, 20 (1896-1897), 361-374, 481-496, 721-741, 878-897; W. Norden, *Das Papstum und Byzanz. Die Trennung der beidem Mächte und das Problem ihrer Wiedervereinigung*; Be 1903, 38-511.

[2] M. Jugie A. A., *Le Schisme Byzantin*, Pa 1941, 240.

[3] W. Holtzmann, *Die Unionsverhändlungen zwischen Kaiser Alexios I und Papst Urban II*; BZ 22 (1928), 38-67.

[4] D. Demetrescu, *Grigorii al IX-lea Papă al Romeĭ și Gherman al II-lea Patriarh al Constantinopolului*; BOR, 23 (1899-1900), 601-619, 769-784; Chr. Loparev, Объ унiатствѣ императора Мануила Комнена; VV, 14 (1907), 334-357; N. Grossu, Отношенiя византiйскихъ императоровъ Iоанна II (1118–1143) и Мануила I (1143–1180) Комниновъ къ ворпосу объ унiи съ Западомъ; TK, 1912, III, 621-649. Res aliter se habere visa est sub Angelis. Cfr. I. I. Sokolov, Церковная политика византiйскаго императора Исаака II Ангела (1185-1195, 1203-1204): ChC, 1905, I, 338-362; II, 707-722.

nus, praeeuntibus Patriarchis Xiphilino et Nicolao III. Ceterum, Constantinopolitani Patriarchae, qui nomen sibi et officium vindicant « Oecumenici », nihil intentatum reliquerunt ut Melchitae, adeoque reliqui disidentes Nestoriani et Monophysitae a Romano Pontificatu longius abirent.

Verumtamen eodem tempore Catholica Ecclesia maius quam antea momentum obtinet in Oriente Christiano. Fideles enim Antiociae, quae a. 1085 denuo venit in potestatem Agarenorum, auxilium rogant Latinos, qui, collecto Crucigerorum exercitu, Orientem petunt et Regnum Latinum Hierosolymitanum condunt a. 1099.

Crucigerorum expeditiones secum ferunt ut Latini penitiorem adipiscantur cognitionem de Orientalibus; quinimo, quosdam Orientalium, ut Armenos Ciliciae, ad unionem cum Ecclesia Romana perduxerunt.

Agemus igitur imprimis de theologis Byzantinis et Slavicis, deinde de polemistis Latinis, et tandem de Nestorianis et Monophysitis.

Art. I

Theologia Byzantina annis 1054-1203

132. Schisma Byzantinum a. 1054: Duo sunt quae litteris theologicis Byzantinorum quam maxime influunt: schisma, inquam, Caerularii, quod eis speciem contulit polemicam, et studiorum diversa ratio in Universitate et in monasteriorum scholis, quae induxit diversitatem, imo et radicalem quandam oppositionem inter suos alumnos. De utroque argumento haec pauca habe.

S. Leo IX [1], acceptis litteris Leonis Achridensis contra Latinorum *azyma* et epistulis Imperatoris Constantini IX Monomachi et Patriarchae Michaelis Caerularii [2], Constantinopolin

---

[1] Ad historiam Schismatis cfr. L. Brehier, *Le Schisme Oriental du XIe siècle*, Pa 1899; A. Guberina O. F. M., *Uzroci bizantinskog raskola*; BS, 17 (1929), 122-141; M. Jugie A. A., *Le Schisme Byzantin*, Pa 1941, 187-246; cfr. Id.; EO, 36 (1937), 440-473; V. Grumel A. A., *Les préliminaires du schisme de Michel Cérulaire, ou la question romaine avant 1054*; REB 10 (1952), 5-23; *Nouă sute de ani de la marea schisma. 1054-1954*; Ort 6 (1954), 163-364; ubi legere est lucubrationes professorum rumenorum T. M. Popescu, D. Stanilaoe, E. Braniște, L. Stan de ortu et de causis Schismatis.

[2] Cfr. M. Jugie A. A., o. c., 194 de epistula Caerularii, in qua Patriarcha, vitatis discordiae causis, conatur animum flectere S. Leonis in favorem Byzan-

misit Cardinalem HUMBERTUM, FRIDERICUM LOTHARINGIAE et PETRUM AMALFITANUM episcopum, eis iniungens ut specialem de quaestionibus religiosis sollicitudinem haberent. Age iam; Byzantii non deerant qui Romanis apocrisiariis adversarentur, ut NICETAS STETHATUS qui tunc temporis vulgavit suum scriptum contra Latinos, *azyma* praesertim impugnans [3] et imprimis Patriarcha ipse. Humbertus Nicetam facile superavit [4], Caerularium vero minime. Quare, Legati romani die 16 iulii 1054 *anathema* in illum tulerunt, ac excommunicationis sententiam deposuerunt super altari Sanctae Sophiae [5]. Hisce autem respondit CAERULARIUS, suo lato *Edicto Synodali* contra Legatos [6], quod coram populo perlectum fuit die 20 iulii 1054 in ecclesia Sanctae Sophiae [7].

Plures de his eventibus quaestiones moveri possunt. Harum prima est circa *validitatem excommunicationis* a Legatis Romanis in Caerularium latae; Summus enim Pontifex S. Leo IX e vivis sublatus erat die 13 aprilis 1054 [8]. Vaccante autem Sede Apostolica [9], qua auctoritate fultus HUMBERTUS egerit dubium manet.

---

tinorum contra Francos, ut ipse fatetur scribens ad Petrum Antiochenum. Cfr. PG, 120, 784.

3 Cfr. infra n. 135.

4 Sic refert HUMBERTUS, *Brevis et succincta commemoratio eorum quae in regia urbe acta sunt*; PL, 143, 1001.

5 Textum excommunicationis cfr. Ibid., 1002-1004.

6 Illud lege apud CH. WILL, *Acta et scripta quae de controversiis ecclesiae graecae et latinae saeculi XI composita exstant,* L 1861, 155-168.

7 Non negamus illam Legati Romani agendi rationem tenuisse, quae animos Constantinopolitanorum, e factione saltem Patriarchae, infensos redderet, Ad haec vero attendunt historici orthodoxi qui his de rebus occupantur. Tales sunt: [B. D.] ZOTU, *Separaţiunea definitivă între Biserica orientală şi occidentală în timpul Patriarchatului Michail Cerulariu;* BOR, 6 (1882), 205-215; N. SKABALLANOVIČ, Раздѣленія церквей при патріархѣ Михаилѣ Керулларіѣ; ChC, 1884, II, 626-656; 1885, I, 95-145; N. N., Папство, какъ причина раздѣленія церквей, или Римъ въ своихъ сношеніяхъ съ Восточною Церковью; VR, 1893, t. I, pars II, 332-362, 560-596; M. POPESCU, *Causele desbinătilor între biserica orientală şi cea occidentală*; BOR, 19 (1895-1896), 769-784; 20 (1896-1897), 34-55, 199-217, 241-251; A. S. VJAZISIN, Очерки съ исторіи папства въ XI вѣкѣ; JMNP, 318 (1898), 96-134, 350-415; 319 (1898), 1-46, 288-359; 320 (1898), 76-128; A. P. LEBEDEV, Критико-библіографическій указатель русской литературы, относящейся къ исторіи раздѣленія Церквей въ IX и XI вѣкахъ; BV, 1899, II, 266-300, 615-646; Id., Исторія раздѣленія Церквей въ IX-мъ и XI-мъ вѣкахъ, M 1900.

8 Cfr. T. M. POPESCU, *Sentinţa de escomunicare dela 16 Julie 1054*; ST, II, 1 (1931), 49-68; II, 2 (1931), 35-46; A. MICHEL, *Die Rechtsgültigkeit des römischen Bannes gegen Michael Kerullarios*; BZ, 42 (1942), 193-205; E. HERMAN S. I., *I legati di Leone IX nel 1054 a Costantinopoli erano autorizzati a scomunicare il patriarca Michele Cerulario?*; OCP, 8 (1942), 209-218.

9 VICTOR II Romanam Cathedram conscendit die 3 aprilis 1055.

Alterum est hasce mutuas excommunicationes respicere non cunctam Ecclesiam sive Constantinopolitanam, sive Latinam, sed singulas personas. Legati enim excommunicarunt Patriarcham et illos qui eum sequuntur [10]; Michael vero Caerularius Legatos, quin mentio fiat Sedis Romanae [11].

Denique, etiamsi *de facto* haec mutua excommunicationis sententia initium faciat separationi Novae Romae a Veteri Roma, Schisma nonnisi *lente* admodum reliquos orientales Patriarchatus invasit; quinimo, neque in ipsa urbe Constantinopoli apud omnes obtinuit. Absque dubio omnes eadem abundant sententia contra Azyma [12], ast illa causam schismatis non ducunt, ut iam tempore Caerularii animadvertit PETRUS ANTIOCHENUS Patriarcha [13]. Byzantii vero unionem etiam post Caerularium non penitus fuisse sublatam demonstrat *Vita S. Georgii Hagioritae* [14] quae perfecta est ante annum 1072 [15]. GEORGIUS, quando ab aula Bagrat IV ad suum redibat monasterium, cum Imperatore Constantinopolitano Constantino Duka, Michaelis Caerularii nepote, collocutus est; ad interrogationem de Azymis Latinorum dissertis verbis pronuntiavit: Numquam ullus invasit error Ecclesiam Romanorum, qui in offerendo Missae Sacrificio ritum tenent Beati Petri, imo et ipsius Christi Domini in Cena Ultima. Ceteroquim, fermentatum impositum fuit Orientalibus ut vitarent haereses Apollinarii aliorumque de Corpore Domini; Graeci enim, longe secus ac Romani, multifariam a veritate fidei defecerunt temporibus anteactis. Quo audito responso, Latini qui in Aula erant Imperatoris, vehementissimo affecti sunt gaudio [16]. Slavorum autem sensus erui potest ex *Itinerario Danielis* higumeni, qui a. 1106-1107 Loca Sancta Palaestinae peragravit [17]. Higumenus Daniel cum Graecis et Latinis amice conversatus est; magna cum pietate interfuit sollemnibus a Latinorum episcopo celebratis; quin vel unum verbum suae narrationis differentiam arguat vel divisionem;

---

10 « Michael abusivus patriarcha neophytus ... atque cum eo Leo Acridianus episcopus dictus et sacellarius ipsius Michaelis Constantinus ... sint anathema Maranatha ... »; PL, 143, 1004 B.

11 PG, 120, 736-748.

12 Cfr. quae de Patriarchatibus graecis, necnon de slavicis metropolitis dicuntur infra ad nn. 148, 152, 153.

13 PG, 120, 812 D.

14 P. PEETERS S. I., *Histoires monastiques Géorgiennes*; AB 36-37 (1917-1919), 69-159; Peters historiam sumit a G. M. SABININ, *Paradisus Georgiae*, P 1882, 437-488 et ab A. KHAKHANIŠVILI-M. G. DŽANAŠVILI, *Codex manuscriptus obituarium continens, scriptus in Monasterio Iberorum Montis Athonensis a. 1074*, Tiflis 1901, 279-351.

15 P. PEETERS S. I., l. c., 72.

16 P. PEETERS S. I., l. c., 137 s; B. LEIB S. I., *Rome, Kiev et Byzance à la fin du XIe siècle*, Pa 1924, 30 s.

17 A. VENEVITINOV, Житіе и хожденье Данила, P 1883; gallice editum apud B. DE KHITROWO, *Itinéraires russes en Orient*, Genève 1889, 3-83. De Daniele cfr. V. N. MALININ, Житіе и хожденье Данила русскыя земли игумена, 1106-1108; TK 1884, I, 95-111.

videlicet, neque Azymis, neque ipso cantu « Filioque » commovebatur Daniel [18].

133. Studiorum sacrorum ratio: Studia autem, quae sub Basilio Bulgaroktono languebant prorsus [19], denuo florescere incipiunt sub Constantino Monomacho, qui anno 1045 suam condidit Universitatem. Una autem cum Universitate regia restituta fuit Schola Patriarchalis, quae media extitit inter Universitatem et privatas monasteriorum scholas, in quibus studia stricte sacra, positiva methodo, colebantur, secus ac in Universitate, cuius doctores cum Theologiae provinciam ingrediebantur, philosophicis speculationibus indulgere solebant [20].

In Universitate Constantini Monomachi deerat Facultas Theologica; aderant vero Facultas Iuridica, cui Ioannes Xiphilinus cum titulo *nomophylax* praefectus fuit, et Facultas Philosophica cui moderandae designatus fuit Michael Psellos, insignitus titulo *hypatos ton philosophon;* Rector autem Scholae Patriarchalis audiebat *oecumenikos didaskalos,* quae nomina saepe veniunt in controversis doctrinalibus huius aetatis.

Ceterum, « hellenismus » Universitatis monachis videbatur periculis plenus; ut sese prodiit quando Psellus ad quoddam monasterium Montis Olympi se recepit; monachi, audito eius nomine « crucis signo sese muniebant et verba susurrabant anathematis et excommunicationis contra Satanam hellenicum » [21]. Neque immerito. Nam etiamsi Psellus ad Patriarcham Xiphilinum scribens recte disserat de usu philosophiae in rebus theologicis, ipse plus aequo libertati indulsit; suus autem discipulus Ioannes Italus scandalum

---

[18] Cfr. B. Leib S. I., o. c., 278-285; I. Nahajewskyj, Київський Князь Дмитро–Изяслав і Петрів Престол в Римі; Log 7 (1956), 99-110, 177-180. Cfr. 8 (1957), 18-25, 96-102, 200-204.

[19] F. Fuchs, *Die höheren Schulen von Konstantinopel im Mitteralter,* L-Be 1926, 22.

[20] De his cfr. N. Skaballanovič Византійская наука и школы въ XI вѣкѣ; ChČ 1884, II, 344-369, 730-770; Th. I. Uspenskii, Богословское и философское движеніе вѣ Византіи XI и XII вѣковъ; JMNP 277 (sept. 1891), 102-159; N. Giakoumakis, Ἡ πνευματικὴ κίνησις ἐν Βυζαντίω κατὰ τὸν ΙΑ′ αἰῶνα; NS 8 (1909), 159-181; Id., Ἡ φυλοσοφκὴ κίνησις ἔν Βυζαντίῳ κατὰ τὸν ΙΑ′ αἰῶνα. Μιχαὴλ Ψέλλος καὶ Ἰωάννης Ἰταλός; NS 9 (1909), 371 ss; 10 (1910), 92 ss, 173 ss; Id., Ἡ ἐν Βυζαντίῳ αὐτοκρατορικὴ Ἀκαδημία ὡς κέντρον τῶν φιλοσοφικῶν σπουδῶν κατὰ τὸν ΙΑ′ αἰῶνα; NS, 10 (1910), 529 ss; 11 (1911), 13 ss, 318 ss; L. Bréhier, *Notes sur l'histoire de l'enseignement supérieur à Constantinople*; Byz 3 (1926), 73-94; 4 (1927-1928), 13-28; F. Fuchs, *Die höheren Schulen von Konstantinopel im Mittelalter*; L-Be 1926; S. Salaville A. A., *Philosophie et théologie ou épisodes scholastiques à Byzance*; EO 29 (1930), 132-156; Arch. N. Giakoumakis, Ἡ φιλοσοφικὴ κίνησις ἐν Βυζαντίῳ κατὰ τὸν ΙΑ′ αἰῶμα; NS 49 (1954), 275-298, 381-394; 50 (1955), 65-72, 175-182; 51 (1956).

[21] Lege, sis, S. Salaville A. A., l. c., 135.

excitavit etiam apud Imperatorum ALEXIUM I COMNENUM, cuius religiosum zelum Anna filia extollit [22].

Decretum vero Imperatoris ALEXII contra Italum palmam detulit Theologiae monasticae, quae, reiecta omni sublimiore speculatione, positiva Sacrae Scripturae Sanctorumque Patrum documenta evolvit.

Operae igitur pretium duxi primo quidem tradere doctrinam MICHAELIS CAERULARII aliorumque qui ei favorem praestant in debellandis Latinis, deinde de Theologia agere speculativa, et tandem de Theologia positiva usque ad annum 1203, quando Imperium Latinum Orientale Byzantii inauguratum fuit.

§ 1. *Cyclus Caerularii*

134. MICHAELIS CAERULARII SCRIPTA: MICHAEL CAERULARIUS qui sedem Patriarchalem Constantinopolitanam obtinuit a. 1042, supremum vero diem obiit a. 1059, sua ab Imperatore ISAACO dignitate privatus [23], non solum auctor fuit separationis Ecclesiae Byzantinae ab Ecclesia Romana, verum etiam ad illam contulit suis vulgatis scriptis contra liturgicas consuetudines et doctrinam Latinorum.

Quaedam Caerularii litterae exstant apud CORNELIUM WILL [24], e quibus praecipua est *epistula ad Petrum* Antiochenum Patriarcham de erroribus Latinorum [25]. Recentius vero ANTON MICHEL [26] in codice Vindobonensi Theologico graeco 306 invenit eius *Panoplia,* quam et

---

[22] *Alexiada,* XIV, 8.

[23] De Michaele Caerulario, eiusque charactere lege praesertim L. BRÉHIER, *Le Schisme oriental du XIe siècle,* Pa 1899, 52-81, 269-304, qui Caerularii vitam et characterem describit. Illum dixit Cardinalis HUMBERTUS « abusivus Patriarcha, neophytus, et solo humano timore habitum monachorum adeptus, nunc etiam criminibus pessimis diffamatus »; *Brevis et succinta commemoratio eorum quae gesserunt apocrisarii ...*; PL, 143, 1004 C, alludens ad iuventutem Michaelis, qui idcirco statum ecclesiasticum amplexus est ut poenas effugeret quas incurrit cum rebellavit contra Imperatorem Michaelem Paphlagoniae, et ad pravos mores quos denuntiavit postea Michael Psellos in sua oratione habenda in Synodo contra Caerularium, post eius depositionem. Cfr. L. BRÉHIER, o. c., 292-300, qui usus est codice Par. gr. 1182.

[24] C. WILL, *Acta et scripta quae de controversia Ecclesiae graecae et latinae saeculo undecimo composita exstant,* L 1861.

[25] PG, 120, 781-796.

[26] A. MICHEL, *Humbert und Kerullarios.* Studien, t. I, II, Paderborn 1925, 1930, quod opus complevit edito articulo *Verstreute Kerullarios und Humbert-Texte*; Römische Quartalschrift, 1931, 355-376.

critice edidit [27] et vindicavit Caerulario contra suspiciones motas de huius operis authentia [28]. In hoc opere, indolis catechistico-liturgicae, Caerularius, adhibitis Sacra Scriptura, Conciliis et Sanctis Patribus, suas opiniones propugnat circa Azyma, observationem Sabbati, suffocatorum esum, abstinentiam, baptismum, imaginum cultum, despectum in Graecos Patres, Filioque et Primatum Romani Pontificis [29]. Eundem MICHEL si audias [30], Caerularius dicendus foret etiam auctor *epistulae Leonis Achridensis* ad Ioannem Trannensem episcopum de Azymis. Id tamen incertum manet.

135. NICETAS STETHATOS: Una cum Caerulario doctrinam Byzantinorum contra Latinos propugnarunt alii, quos inter primum locum tenet NICETAS STETHATUS, dictus etiam *Pectoratus* († post 1054), monachus in Monasterio Studii, in theologia spirituali versatissimus, simul vero de controversiis cum Iudaeis, Armenis et Latinis sollicitus [31].

Ut scriptor multa nobis reliquit, quorum plura adhuc inedita remanent [32]. Typis autem data sunt opera spiritualia: *Capita practica, physica et gnostica* [33], *Paradisus spiritualis* [34], et *Vita Symeonis novi theologi* [35]. Polemicam respiciunt: *De fermentato et azymo contra armenios et latinos* [36], *Libellus contra latinos editus* [37] de azymis, ieiunio Sabbati et nuptiis sacerdotum, *Dialexis* ad francos sive latinos [38] et *Synthesis contra latinos circa ea quae blasphemant in*

---

27 A. MICHEL, o. c., II, 208-281.

28 Contra V. LAURENT A. A., *Notes critiques sur de recentes publications*; EO, 35 (1932), 97-110; cfr. M. JUGIE A. A. in Byz, 8 (1933), 321-326, scripsit A. MICHEL, *Die Echtheit der Panoplia des Michael Kerullarios*; OrC, 36 (1941), 168-204, ostendens teneri non posse opinionem Laurent Panoplia tribuentis a. circiter 1275-1282.

29 Cfr. A. MICHEL, o. c., II, 112-205 analysin instituens argumentorum quae in Panoplia continentur.

30 A. MICHEL, *Der Autor des Briefes Leos von Achrida. Eine Vätersammlung des Michael Kerullarios*; BZ, 3 (1922), 49-66; Id., *Humbert und Kerullarios*, II, 282-289.

31 De auctore cfr. M. TH. DISDIER A. A., *Nicétas Stéthatos*; DTC, XI, col. 479-486.

32 Ibid., 481-483.

33 PG, 120, 852-1009.

34 M. CHALENDARD, *Nicétas Stéthatos. Le Paradis spirituel et autres textes annexes*, Pa (1943).

35 I. HAUSHERR S. I., *Un grand mystique byzantin. Vie de Syméon le Nouveau Théologien (949-1022) par Nicétas Stéthatos;* OC, n. 45 (R 1928).

36 J. HERGENRÖTHER, *Monumenta graeca ad Photium eiusque historiam pertinentia*, Ratisbonae 1869, 139-144.

37 Versio latina, ab HUMBERTO Cardinali tradita, reperitur in PL, 143, 973-984 et PG, 120, 1011-1022; textus vero graecus editus est ab A. DEMETRACOPOULO, Ἐκκλησιαστικὴ Βιβλιοθήκη, L 1866, I, 18-36 et denuo magis critice sub titulo *Antidialogi* ab A. MICHEL, *Humbert und Kerullarios*, II, 322-342.

38 A. MICHEL, o. c., 320-321; nihil est aliud quam brevis praefatio ad opuscu-

Spiritum Sanctum dicentes illum a Filio procedere [39], quibus addi debent quattuor tractatus *confutantes Armeniorum haeresin* [40] in codicibus adhuc servati.

Horum quaedam, ut Lbellus contra latinos igni traditus Byzantii die 24 iunii 1054 [41], fortasse etiam alia, antevertunt opuscula et litteras Caerularii. Imo, haud inepte dices Patriarcham, qui de se ipse fatetur ignorasse sic dictos « errores Latinorum » praeter Azyma [42], a Niceta plura sua argumenta contra Romanos mutuasse.

136. Leo Achridensis et Petrus Antiochenus Patriarcha: Ceterum, controversiae de Azymis Latinorum initium fecit Leo Achridensis Bulgariae archiepiscopus, edita sua epistula ad Ioannem Trannensem episcopum [43], a. 1053 ineunte scripta.

Illam « ad omnes episcopos francos ed ad ipsum reverendissimum Papam », transmisit, mediante Ioanne [44], quem ideo selegit quia in conflictu erat cum Metropolitano Barensi, Romanae Sedi addictissimo [45]. Leo vero suis litteris denuntiat Azyma Veterem Legem redolentia; pari ratione impugnat ieiunium Sabbati, dum e contra suffocatorum esum respuit innixus testimoniis Geneseos et Levitici. Ultimo loco Latinos arguit propterea quod tempore Quadragesimae *Alleluia* canere desinant.

Maiore argumentorum pondere simul et moderatione sermonis agit de Azymis Petrus III Antiochenus Patriarcha in sua *epistula ad Dominicum Gradensem* seu Aquileiensem Metropolitam [46], tota quanta posita in quaestione de Azymis, quae sane impugnat, quin abstineat a verbis caritatis et ecclesiasticae concordiae erga Dominicum eiusque ecclesiam [47].

---

lum praecedens. De iis cfr. A. Michel, *Die vier Schriften des Niketas Stethatos über die Azymen*; BZ, 35 (1935), 308-336.

39 A. Michel, *Humbert und Kerullarios*, II, 371-409. Huius operae excerptum dederat L. Allatius, *Vindiciae Synodi Ephesinae*, c. 73, p. 574; cfr. TDCO, I, 300 s.

40 M. Th. Disdier A. A.; DTC, XI, 482.

41 PL, 143, 1001. Hac occasione Nicetas coram Legatis suam detestatus est sententiam, quam tamen denuo retractavit, aliis additis argumentis, posterioribus suis opusculis contra Latinos.

42 Sic ad Petrum Antiochenum scribens, quem admonet « non existimet circa sola azyma [Latinos] errare, sicut etiam nos hucusque credidimus »; PG, 120, 793 C.

43 PG, 120, 836-844. Cfr. de auctore sententiam Michel, supra ad n. 134.

44 PG, 120, 836 A.

45 M. Jugie A. A., *Le Schisme Byzantin*, 190, not. 1.

46 PG, 120, 756-781.

47 « Quae apud nos est [ecclesia] sanctitatem tuam salutat in osculo sancto, et nobiscum preces tuas implorat. Vale laetus in Domino semper, ac tenuitatis nostrae in sanctis sacrificiis tuis memor »; PG, 120, 781 B.

Praeter hanc epistulam, nobis servatae sunt et typis datae aliae quinque, videlicet *epistula ad antiochenos* de sui nominatione [48], tres *epistulae inthronisticae* ad Papam Romanum et ad Patriarchas Hierosolymitanum et Alexandrinum [49] et *responsum ad Michaelem Caerularium*, post res gestas mense julio 1054 [50]. In his Antiochenus Patriarcha, etiamsi in sua sede, cum Constantinopolitana hoc tempore arctissime iuncta, iam ab anno 1024-1028 nomen Romani Pontificis e diptycis expunctum fuerit [51], se non discordiae sed pacis sectatorem ostendit.

137. « Latinorum errores » iuxta Caerularium; Quid vero Michael Caerularius in Latinis *reprehendat* ipse nobis dicit in *epistula ad Petrum Antiochenum*, ubi 22 accusationis capita refert [52], omnia fere disciplinam liturgicam et canonicam respicientia; doctrinam vero carpunt quae dicit de Azymis, de Filioque, de Baptismate, de auctoritate Romanae Sedis, id quod omnium « gravissimum » ducit.

« Verum recte cognoscas quod non uno tantum iaculo, nempe circa Azyma, transfiguntur Latini, illo cunctis novissimo, sed multis variisque, ob quae necesse est ut illos aversemur. Et quidem quae Iudaeos imitati peragunt ista sunt: 1) ipsum circa Azyma impendens eis crimen; 2) suffocata manducare; 3) radi; 4) Sabbata servare; 5) polluta comedere; 6) monachos carne vesci ...; 7) in prima ieiuniorum hebdomada, in carnisprivii et lacticinii hebdomadis eodem modo circa cibum agere; 8) feria quarta carnem edere, Parasceve autem caseum et ova; 9) totum Sabbati diem ieiunare; 10) in sancto Symbolo tale additamentum recitant, ex mala periculosaque sententia, ad hunc modum: *Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit;* item in sacra Missa proclamant: *Unus sanctus, unus Dominus Iesus Christus, in gloria Dei Patris per Spiritum Sanctum* ».

« Ad haec 12) sacerdotum nuptias prohibent ...; 13) duo fratres duas sorores ducunt; 14) in Missa, tempore Communionis, unus ministrantium comedit azyma et reliquos salutat; 15) annulos in manibus ferentes episcopi, quasi ecclesias uxorum loco duxerint, gestari a se arrhabonem aiunt; 16) et ad bellum progressi sanguine manus inquinant ...17) utque nonnulli nobis affirmarunt, divinum

---

48 A. Michel, *Die Botschaft Petros' III von Antiocheia an seine Stadt über seine Ernennung*; BZ, 38 (1938), 111-118.

49 A. Michel, *Humbert und Kerullarios*, II, 432-457.

50 PG, 120, 796-816.

51 In hoc usu se perseverare, ob reverentiam erga Ecclesiam Constantinopolitanam. asserit; minime vero assentitur Caerulario scribenti a tempore Vigilii « abscissum esse papam a nostra sanctissima Ecclesia »; PG, 120, 796 D-800 B.

52 Cfr. TDC, II, 27 s.

baptisma celebrando, eos qui baptizantur una immersione baptizant nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti proferentes; 18) quin etiam sale eorum quos baptizant ora implent; 19 male praeterea accipiunt illud Apostoli dictum: *Modicum fermentum totam massam fermentat* (ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ), quod ita habent: *Modicum fermentum totam massam corrumpit* (φθείρει), conanturque ex hac parva vocabuli occasione evertere fermentum quod panem sublevat et attollit. 20) sed nec sanctorum reliquias volunt adorare; quidam vero illorum neque sacras imagines; 21) sanctos magnosque Patres nostros ... cum aliis sanctis non recensent, vel prorsus admittunt eorum doctrinam ... 22) Quod porro omnium est gravissimum ac minus tolerabile, eorumque amentiam maxime declarat, istud est: dicunt nempe se ad haec loca non accessisse ut docerentur aut disceptarent, sed potius ut docerent ac persuaderent nos tenere sua dogmata; idque aiunt cum imperio in impudentia exuperanti » [53].

138. DIVERSARUM ECCLESIASTICARUM CONSUETUDINUM PONDUS. OPUSCULUM CONTRA FRANCOS: Ex iis patet quantum CAERULARIUS ponderis tribuat usibus romanis a byzantinis discrepantibus. Hac in re ei contradicit PETRUS ANTIOCHENUS, iuxta quem, « si [Latini] in adiectione Symboli corrigantur nihil praeterea postulaverim; necnon indifferentem relinquam cum aliis etiam de Azymis quaestionem » [54].

Videlicet, ipse iudicat ex iis quae adducta sunt a Caerulario alia spernenda esse, ut radi etc [55], alia false dicta, ut illud de cultu imanibus negato [56]; alia, licet minus consona, ferri posse; cum praesertim adeo sit difficile consuetudinem vincere, quemadmodum expertus est Caerularius in monasterio Studii [57]; quodsi non valuit suos Byzantinos corrigere, quanto minus latinos homines, litterarum expertes et superbos? Quare consilium dat ut suis intentus proprios permittat usus Latinis, « cum veritatis doctrina nequaquam ex iis laedatur »[58].

Atqui haec sententia fuit Patriarchae Antiocheni, minime vero vulgi, quod vehementissime conmovebatur iis quae de Latinorum consuetudinibus ferebantur, ut apparet in anonymo *Opusculo contra Francos* [59] altera medietate saeculi XI Byzantii

---

53 PG, 120, 789 C-793 C, 796 A.
54 PG, 120, 812 D.
55 PG, 120, 800 B-804 A.
56 PG, 120, 812 A-B.
57 PG, 120, 808 D-809 A.
58 PG, 120, 809 B.
59 *Opusculum contra Francos aliosque Latinos*, ed. Card. J. HERGENRÖTHER,

concinnatum, postea vero per universum Orientem byzantinum et slavum late diffusum [60].

Opusculum contra Francos Latinorum errores enumerat 28, quorum maxima pars a Caerulario desumitur, paucis omissis quos antiqua versio latina ad finem subdit [61]. Praeterea, nova quaedam leguntur, scilicet: n. 9) modum ingrediendi templa sacra; n. 10) SS. Virginem appellant Sanctam Mariam, non Deiparam; n. 11) laici et mulieres ad altare accedunt; n. 15) sacerdotes ad mala avertenda superstitiosas adhibent aspersiones; n. 16) quinque digitis signare se solent; n. 19) « dicunt non esse aliis linguis Deum laudandum nisi his tribus: hebraica, graeca et latina »; n. 20) rationem sepulturae episcoporum; n. 21) ter vel quatter in uno eodemque templo sacerdotes Missam celebrant; n. 25) crucem velant Latini tempore Quadragesimae — una et Alleluia deserunt — usque ad dominicam Resurrectionis; n. 25) Liturgiae tempore laici pro libitu sedent et confabulantur; n. 28) sacrae ordinationes peraguntur quatter tantum in anno, diebus iam statutis.

139. De « Filioque » et de Romano Pontifice: Caerularius respicit additionem « Filioque » ad Symbolum et doctrinam Latinorum de Processione Spiritus Sancti a Patre e Filio, tamquam haeresin, omnem cum Latinis communionem prohibentem [62]; blasphema enim est haec vox « Filioque », si audias Nicetam Stethatum [63]. Quin, et ipse Petrus Antiochenus illud excussare non valet [64].

Caerularius tradit in sua *Panoplia* doctrinam Latinorum contradicere verbis Domini (Io. 15, 26), additionem vero « Filioque » vetitam esse a Conciliis Constantinopolitano I, Ephesino, Trullano, Nicaeno II, a Synodo Photiana a. 879 et a Synodo Unionis a. 920. Hisce autem Patres consonant, nempe SS. Basilius, Gregorius Nyssenus, Dionysius, Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus, Gregorius Thaumaturgus, Athanasius, Ioannes Damascenus, Dama-

---

Monumenta graeca ad Photium eiusque historiam pertinentia, Ratisbonae 1869, 6271.

[60] Opusculum contra Francos iam saeculo XIII relatum fuit in Corpus Iuris Slavorum seu *Kormtchaia Kniga*; cfr. infra ad n. 233 et TDCO, I, 368.

[61] L. c., 71.

[62] In *Panoplia,* cum agere incipiat de hac quaestione, ait: « quomodo igitur aptum et dignum nobis veram fidem profitentibus quod cum eis communicemus? »; A. Michel, *Humbert und Kerullarios,* II, 213 s.

[63] Sic habet titulus tractationis Nicetae; Ibid., II, 371.

[64] Una excussatio, quam invenit, illa est: « amiserunt Latini exemplaria Nicenae primae Synodi, propterea quod Vandalorum gens Romae diu dominium tenuit »; PG, 120, 805 A.

sus, Cyrillus Alexandrinus et Maximus Confessor [65]. Sic initio operis, capitibus 6-14; eadem argumenta iterum compendio dat « ad suos auditores » cc. 44-47, adhibens Patribus S. Caelestinum Papam [66]. Denique ad finem, cc. 61-62, paucis recolit argumenta dialectica; scilicet, praesupposito axiomate de proprio et communi in SS. Trinitate ad mentem Photii, infert: « si e Filio quoque procedit Spiritus, sicut Latini affirmant, potest dici e Spiritu quoque Sancto gigni Filium, sed et ingenitum esse [proprietatem] Patris et Filii et Spiritus Sancti, quia propriis tamquam communibus utuntur » [67].

Fusiore calamo disserit Nicetas, evolvens argumenta Sacrae Scripturae, eo fine ut satis faciat Latinis « Spiritum Filii sui » clamitantibus necnon confugientibus ad illud « de meo accipiet », plurima sive ad exegesin quod attinet, sive ad argumenta dialectica a Photio repetens [68], simul vero Patres allegans, praesertim S. Athanasium et utrumque S. Gregorium.

De *Romano Pontifice* disputationem ita instituit Caerularius, ut directe non tangat eius privilegia, sed tantummodo inculcet non esse cum eo communicandum, posteaquam in haeresin prolapsus est [69]. Contendit enim secundum praecepta SS. Patrum et Synodorum non licere cum haeretico communionem retineri etiamsi caput sit Ecclesiae [70]. A Caerulario differt Petrus Antiochenus, qui theoriam Pentarchiae suis litteris excolit [71].

Quam ob causam Romanus Pontifex haereseos reus existat Caerularius indicat scribens ad Petrum Antiochenum; quia videlicet Vigilius Papa restitit condemnationi Trium Capitum [72]; saepius vero innuit in causa esse « Filioque », tempore quidem Photii nondum Romae receptum, ante Caerularium vero Symbolo adhibitum [73]. Age iam, cum Romanus Pontifex suis privilegiis non am-

---

65 A. Michel, *Humbert und Kerullarios*, II, 212-228.

66 Ibid., 260-264.

67 Ibid., 274.

68 *Synthesis de Filioque*; A. Michel, o. c., II, 371 ss.; cfr. Ibid., 343-355 analysin totius huius opusculi Nicetae Stethati.

69 *Panoplia*; l. c., 248-256.

70 « Si caput, scilicet Papa, haereticus est, quomodo subiecti ei orthodoxi? si caput piscis putre est, quo pacto reliquum corpus sanum servabitur? »; Ibid., 254.

71 Apud Petrum conceptum Primatus Romani obscuratum fuisse ob falsum Pentarchiae systema ostendit M. Jugie A. A., *Le Schisme Byzantin*, 220-224.

72 PG, 120, 788 D-789 A.

73 Ceterum, ut scitur, quo tempore « Filioque » a Romanis in Symbolo uti coeptum sit dicere operosum est; cfr. TDCO, I, 245 et (V. Buri S. I.), *La questione storica nella controversia del « Filioque »*; La Civiltà Cattolica, 21 sept. 1929, 495-508.

plius gaudeat, una Constantinopolitana Sedes ea sibi servat, iisque utitur saltem relate ad Patriarchatus Orientales, quae fuit Caerularii de auctoritate ecclesiastica opinio [74].

Petrus quidem dolet de scissione iam dudum vigente inter Antiochenam et Romanam Ecclesiam et inter has unionem redintegrare studet [75]. Et quidem ait de « summo inter apostolos » Petro: « super quem magna Dei ecclesia aedificata est » [76], sed ad Gradensem scribens conceptis verbis docet theoriam Pentarchiae; Ecclesia enim constituitur sub uno capite Christo, gubernatur autem a quinque Patriarchis, in corpore Ecclesiae ad instar quinque sensuum positis [77].

140. Controversia de Azymis: Primas vero hac nostra periodo obtinet quaestio de Azymis; quam iure dicit Caerularius omnium novissimam [78], non quidem eo sensu quod Latini Azymis modo uti incipiant, sed quia hic Latinorum usus nullam excitavit admirationem inter Byzantinos, vel tempore quo magis fervebat photiana contentio [79]. Reliquum, iam ab initio inter impugnatores Azymorum diversitas apparet; dum enim non desunt qui moderatione utantur, alii, iique plures, ut Caerularius, Leo Achridensis et Nicetas Stethatos in Azyma vehementissime invehuntur, id quod vel ad publicam Sacramenti Latinorum profanationem inconsulto quosdam adduxit [80].

Patriarcha Michael Caerularius in *Panoplia* paucis utitur [81], videlicet, Azymorum usus pertinet ad Veterem Legem et ad mores iudaicos, a quibus nos in sacrificio nostro perficiendo prorsus abstinere debemus.

Uberius rem tractat *Epistola* Leonis Achridensis; ubi non solum argumentatur auctor ex eo quod Azyma ad Veterem pertineant Legem, sed etiam ex nomine ἄρτος in relatione Ultimae Cenae adhibito, quod fermentatum significare asseritur; azymus vero non est veri nominis panis (ἄρτος), sed est « veluti lapis sine ani-

---

[74] L. Bréhier, *Le Schisme Oriental du XIe siècle*, 193-207.

[75] Hac ratione sumo quae habet initio epistulae inthronisticae ad Leonem Papam; A. Michel, *Humbert und Kerularios*, II, 446-448; aliter accipit M. Jugie A. A., *Le Schisme Byzantin*, 220 s.

[76] PG, 120, 800 C.

[77] PG, 120, 857 C-760 B.

[78] « Non uno tantum iaculo, nempe circa azyma, transfiguntur Latini, illo cunctis novissimo »; PG, 120, 790 C.

[79] Cfr. Photius, *Quaest. Amphil.*, 205; PG, 101, 949-950; *Biblioth.* cod. 116; PG, 103, 393 A; vide, sis, A. Michel, *Humbert und Kerullarios*, II, 118.

[80] In sententia excommunicationis ab Humberto lata legitur: « Et sacellarius ipsius Michaelis, Constantinus, qui Latinorum sacrificium profanis conculcavit pedibus »; PL, 143, 1004 B.

[81] A. Michel, o. c., II, 230-234.

ma »[82]. Sic absque negotio in hac epistula deprehendes triplex illud totiens iteratum Byzantinorum contra Azyma argumentum: a) Azymus non est panis verus; b) Azymus est res mortua, ac proinde inepta ad significationem sacramentalem, praesertim propriam huic vitae sacramento; c) Azymus est res iudaica, quae cum Veteri Lege transiit[83].

Hisce similia habet suis opusculis NICETAS STETHATOS, quam maxime insistens in eo quod Azyma, cum vita careant, nequeunt nos reddere divinae vitae participes[84]; simul vero perpendit quaestionem de tempore quo Christus Dominus Sacramentum instituit, nimirum, cum nondum Hebraei utebantur Azymis[85].

Hoc ultimum, de pane a Christo Domino adhibito in Cena Ultima, praesertim explanat PETRUS ANTIOCHENUS, contendens id erui ex Evangelio S. Ioannis, cui Synoptici quoque suffragantur[86].

Non omittit tamen alia argumenta, videlicet Azyma referri ad Pascha hebraicum, non vero aptari Paschati christiano, cum sint mortua, inanima, omnino imperfecta[87]; quare pertimescit periculum haereseos apollinaristae ex Azymorum usu[88]. Tantum autem Azymis fermentatum praestare credit, ut etiamsi hunc usum Latini a sanctis Apostolis Petro et Paulo acceperint, illum deserere debeant[89]. Continuo vero agit de « convenientia » non de necessitate panis fermentati ad Eucharistiae Sacramentum conficiendum.

§ 2. *Theologi speculativi*

141. MICHAEL PSELLOS: Inter scriptores byzantinos qui aulas Universitatis illustrarunt saeculo XI primas sane obtinet MICHAEL PSELLOS († 1078), Michaelis Caerularii institutor, qui post diuturnam vitam honoribus cumulatam, tandem sub Michaele VII, aerumnis confectus, vitam morte commutavit[90]. Ma-

---

82 PG, 120, 837 B.
83 Cfr. TDCO, I, 320.
84 *Contra Latinos;* PG, 120, 1011-1015; cfr. textum graecum apud A. MICHEL, *Humbert und Kerullarios*, II, 322-3330.
85 PG, 120, 1015-1017; A. MICHEL, o. c., II, 330-333.
86 *Epistula ad Dominicum Gradensem*; PG, 120, 768 C-777 A.
87 PG, 120, 765 B-D.
88 PG, 120, 777 A.
89 PG, 120, 777 C-D.
90 De Psello plurimi scripsere. Adi, sis, D. V. BEZOBRAZOV, Византійскій писатель и государственній дѣятель Михаилъ Пселлосъ; Pars I, M 1890; CHR. ZERVOS, *Un philosophe néo-platonicien du XIe siècle. Sa vie, son oeuvre, ses*

gis vero quam theologus habendus est ut historiographus, litteratus et praesertim philosophus [90].

Lucubrationes PSELLI innumerae sunt [91]. Attentis vero unice quae ad nostram theologicam provinciam pertinent, recole 9 opuscula in Patrologia MIGNE edita [92] et pauca quaedam ex orationibus et epistulis a Constantino SATHAS collecta [93], quibus accessere nonnulla alia ex homiliis praesertim excerpta [94].

Ut iam diximus [95], PSELLUS ut *philosophus* syncretismum quendam colit a maximis Graecorum philosophis dependentem; videlicet, qui Caerularium impietatis redarguerat propterea quod Philosophos, Aristotelem inquam et Platonem, divinae anteponeret scientiae [96], et ipse neo-paganismi reus habebatur iam a suis civibus, imprimis autem a monachis, quemadmodum ipse nobis refert ad Patriarcham XIPHILIUM scribens [97], ab hoc crimine sese purgare studens.

Ut *theologus* vero, PSELLUS, qui una cum Patriarcha IOANNE XIPHILINO inane reddidit pacis religiosae studium sub Michaele VII, sententiam byzantinam de *Processione Spiritus Sancti* a solo Patre strenue tuetur [98], et Caerularium laudat quia « haeresim » hanc Latinorum, impietati Arii et Eunomii prorsus aequandam, denuo telis confoderit [99]; licet noster Psellos qui sese iactat de latinae linguae cognitione Latinorum argumenta vel leviter perpendisse non videatur [100]. Veri nominis spiritualitatem *angelis* non concedit, quos subtili quadam et aetherea materia constare tradit [101]. E contra

luttes philosophiques, son influence, Pa 1920; E. RENAULD, *Étude de la langue et du style de Michel Psellos,* Pa 1920; M. JUGIE A. A., *Psellos, Michel;* DTC, XIII, col. 1149-1158; V. VALDENBERG, Философские взгляди Михаила Пселла; Византийский Сборник (Академия Наук СССР – Иститут истории), M 1945, 248-255; A. MICHEL, *Schisma und Kaiserhof im Jahre 1054. Michel Psellos;* in opere *L'Église et les Églises,* I, Chèvetogne 1954, 351-440.

91 219 diversa scripta novit CH. E. RUELLE in eius *Bibliographie des écrits inédits de Michel Psellos,* a. 1886 edita. Cit. iuxta M. JUGIE A. A., l. c., col. 1151.

92 PG, 114, 183-200; 122, 537-1076.

93 K. SATHAS, Μεσαιωνικὴ Βιβλιοθήκη IV, V, Pa 1874. 1876. Primum opusculum collectionis huius denuo fuit accurate editum ab E. RENAULD, *Psellos, Chronographie,* Pa 1926, 1928.

94 Illa cfr. apud M. JUGIE A. A., in DTC, XIII, col. 1153 s., nempe: L. BRÉHIER, *Un discours inédite de Psellos. Accusation du Patriarche Michel Cérulaire devant le synode*; Revue des études grecques, 16 (1908), 375-416; 17 (1904), 35-76; P. BEZOBRAZOV, Не изданный протоколъ суда 1075 года ; JMNP, 262 (1889), 72-91; *Homilia in Annuntiationem;* PO, 16, 517-525; *Chronologia,* ed. G. REDL; Byz 4 (1927-1928), 197-236; 5 (1930), 229-286.

95 Cfr. ad n. 10.

96 L. BRÉHIER, *Un discours inédit de Psellos;* l. c., 375-419.

97 K. SATHAS, o. c., V, 447.

98 PG, 122, 688; cfr. DTC, XIII, 1156 s.

99 Sic in *Panegyrico Michaelis Caerularii;* apud K. SATHAS, o. c., IV, 348-350.

100 E. RENAULD, *Étude de la langue et du style de Michel Psellos,* 417-419.

101 PG, 122, 836-840; cfr. K. SVOBODA, *La démonologie de Michel Psellos,* Brno 1927.

apud illum reperimus iam doctrinam *mariologicam,* quae a posterioribus Byzantinis impense colitur; videlicet SS. Virgo Deipara pura et sancta exstitit iam a momento sui conceptionis, omni gratiae privilegio ornata, estque media inter Christum et homines, vel potius inter Christum et universas creaturas [102].

142. Ioannes Italus. Eius doctrinae reiectio: Quaedam false dicta apud Psellum occurrunt, praesertim de natura angelorum; verumtamen nihil contra illum tentatum fuit. Aliud vero accidit cum Ioannes Italus († post 1084) in Calabria natus, Byzantii vero litteris eruditus, Psello suffectus est in munere « hypatou ton philosophon » seu Rectoris Facultatis philosophicae Universitatis Constantinopolitanae [103]. Cito enim rigidiores Orthothodoxiae custodes, monachi praesertim, contra illum insurgunt; neque a coeptis desistunt donec ad suas partes traxerunt Imperatorem Alexium Comnenum; quo iubente 11 contra Ioannem Italum anathematismi relati sunt in Synodico I Dominicae Quadragesimae, quae audit « Dominicam Orthodoxiae » [104].

Ut erat Italus philosophiae, praesertim aristotelicae, deditus, conatus est mysteriorum christianorum declarationem ope philosophiae hellenicae tradere, id quod plurium admirationem excitavit. Eius opiniones a. 1077 examini subiectae sunt; sed ob communem omnium erga Italum existimationem reprehensae non sunt. Anno vero 1082, sub Alexio Commeno, coacta Synodo [105], reprobatae sunt 10 propositiones Ioannis Itali, quae etiam nunc quotannis anathematizantur die Dominica Orthodoxiae.

---

[102] PO, 16, 521; M. Jugie A. A., *L'homélie de M. Psellos sur l'Annonciation;* EO, 18 (1916), 138-140; De eius opinionibus in genere egit L. Gatt, *Saggio dell'opera teologica di Michele Psello,* Istambul 1947.

[103] De Ioanne Italo cfr. Th. Uspenskii, Дѣлопроизводство И. Итала; ZRAO, 2, Odessae 1897, 1-66; D. Briantsev, Іоаннъ Италъ и его философско-богословскія воззрѣнія осужденныя Церковью, VR, 1904, I (pars phil.), 243-272, 305-336,402-422, 435-452; II, 231-246, 255-276, 293-304, 306-324, 337-357, 371-381; P. Stephnanou S. J, *Jean Italos, philosophe et humaniste*; OCA 134 (R 1949); P. Joannou, *Die Illuminationslehre des Michel Psellos und Joannes Italos,* Ettal 1956; Id., *Joannes Italos. Quaestiones Quodlibetales* (Ἀπορίαι καὶ λύσεις), Ettal 1956. Cfr. citata opera p. 205, not. 20.

[104] N. Grossu, Церковно-религіозная дѣятельность византійскаго императора Алексія I Комнена (1081-1118); TK, 1912, II, 501-543; Th. Uspenskii, Синодикъ въ недѣлю Православія; JMNP, 274 (1891), 267-323.

[105] Occasione huius Synodi primum apparet versio graeca sic dicti *Symboli Athanasiani* seu « Quicumque », quam novit Italus, ignorant autem eius iudices. Cfr. V. Grumel A. A., *Le Symbole Quicumque et Jean Italos;* EO, 37 (1938), 136-140.

Crimina porro in Synodico Italo tributa haec sunt: 1) Incarnationis et Unionis hypostaticae rationalis demonstratio; 2) Errores antiquorum philosophorum ethnicorum de anima humana, de caelo, de terra, de creaturis; 3) Metempsychosis, et quidem talis quae secum fert negationem vitae futurae et immortalitatis animae; 4) Mundi et idearum aeternitas; 5) Patribus et scriptoribus sacris praefert Italus philosophos graecos et haeresiarchas a septem Conciliis reprobatos; 6) Miracula Christi Domini, Virginis Deiparae et Sanctorum vel ut impossibilia reicit, vel singulari quadam et improbanda ratione explicat; 7) Profanas (philosophicas) litteras ducit ditissimum omnium veritatis thesauros; 8) suo neoplatonico systemate idearum creationem ex nihilo Italus pesumdat; 9) negat homines propriis eorum corporibus resurrecturos; 10) instaurat quoque errores Origenis de Apocatastasi et de Inferno finem habituro.

Quid in his veritati respondeat, quid sycophantarum malis artibus tribuendum sit difficile est statuere, cum hactenus desideretur editio operum Ioannis Itali [106]. Noster Italus videtur eo usque tueri Hellenorum philosophiam ut vel altissima Trinitatis et Incarnationis mysteria iuxta philosophiae placita, perinde ac quamvis aliam veritatem naturalem, interpretetur [107].

143. Scriptores minores: Alii plures feruntur scriptores ad *cyclum Pselli* pertinentes, quorum nonnulla scripta edidit Constantinus Sathas [108]; ut Theodorus Prodromos, vel potius *Prodomoi,* nescitur enim utrum unus fuerit an plures exstiterint auctores eiusdem nominis [109], Ioannes Mauropos, Pselli magister et socius in Universitate Constantinopolitana [110], et Michael Italicus [111].

Prodromus eruditissimus quidem fuit; sed humanioribus litteris magis quam scientia theologica floruit. E contra Iohannes Mauropos habetur a Dräseke tamquam princeps Theologiae Byzantinae saec. XII; attamen eius doctrina impervia nobis est, cum

---

106 Quasdam de illis notitias dat L. Petit A. A. e manuscriptis haustas in DTC, VIII, col. 807; postea edidit G. Cereteli, *Ioannis Itali Opuscula selecta,* 2 fasc., Tiflis 1924, 1926.

107 Cfr. I. Dujčev, *L'Umanesimo di Giovanni Italo;* Atti del V Congr. intern. di Studi Bizantini R 1939, 432-436.

108 K. Sathas, Μεσαιωνικὴ Βιβλιοθήκη, IV, V, Pa 1974. 1876.

109 L. Petit A. A., *Monodie de Nicétas Eugenianos sur Théodore Prodrome;* VV, 9 (1902), 448, recenset opiniones Katzidakis, Papadimitriou et Papadoulou-Kerameos de hoc argumento.

110 J. Draeseke, *Johannes Mauropos;* BZ, 2 (1893), 461-493.

111 M. Treu, *Michael Italicos;* BZ, 4 (1895), 1-22.

hactenus nonnisi carmina [112] quaedam luci data sint [113], quibus accessere alia poetica, homiletica et epistulae, auctoribus SATHAS et LAGARDE [114].

144. THEOPHYLACTUS BULGARIAE EIUSQUE OPUSCULUM « DE IIS QUORUM LATINI INCUSANTUR »: THEOPHYLACTUS, Bulgariae Metropolitae († v. 1108), olim Constantinopoli Pselli discipulus, a quo et philosophiam edoctus est [115], primus fuit « magister rhetorum » in Schola Patriarchali [116]. Plurimis in Aula Imperatoris muneribus auctus fuit; tum Achridensis Metropolita renuntiatus est versus a. 1078, id quod noster auctor quoddam exilii genus duxit [117]. Interea, animum libris conscribendis applicuit, adeo ut inter magnos scriptores sacros byzantinos iure recenseatur [118].

THEOPHYLACTUS, qui ingenio pollet, simul vero eruditione biblica et patristica valde eminet, nobis reliquit [119]: *Enarrationes* in quattuor Evangelia, *Commentaria* in Prophetas minores, in Acta Apostolorum, in omnes Divi Pauli epistulas, et in epistulas canonicas; quibus addi debet Compendium Commentariorum S. Ioannis Chrysostomi in Evangelium secundum Lucam. Ex pluribus suis orationibus editae sunt tres; ex operibus hagiographicis *Historia martyrii XV martyrum* et *Vita S. Clementis* archiepiscopi Bulgariae. Denique, eius epistulae nonnullae etiam ad theologicas quaestiones illustrandas conferre possunt.

Nostra autem maxime refert opusculum: *Allocutio ad quendam ex suis familiaribus de iis quorum Latini incusantur* [120], scriptum versus anum 1090. cum Urbanus II cogitabat

---

112 J. DRÄSEKE, l. c., 461.

113 *Ioannis metrop. Euchaitensis versus iambici...*, ed. MATTH. BUSTO, Etonae 1610, denuo excusi typis in PG, 120, 1119-1200, qui antea dat eius Vitam S. Dorothei et Sermonem in Dormitionem Deiparae; Ibid., 1052-1113.

114 K. SATHAS, Μεσαιωνικὴ Βιβλιοθήκη, IV, V, Pa 1874. 1876; P. DE LAGARDE, in Königl. Gesellsch. der Wissensch. zu Göttingen 1881.

115 Cfr. PG, 126, 384.

116 F. FUCHS, *Die höheren Schulen von Konstantinopel*, L 1926, 40 s.

117 Sic haud semel ad amicos scribens; cfr. PG, 126, 334. 507.

118 De Theophylacto cfr. K. PRÄCHTER, *Antike Quellen des Theophylaktos von Bulgarien*; BZ, 1 (1892), 399-416; J. DRÄSEKE, *Theophylaktos' Schrift gegen die Lateiner*; BZ, 10 (1901), 515-530; B. LEIB S. I., *Rome, Kiev, Byzance à la fin du XIe siècle*, Pa 1924, 41-50; TDCO, 303-311; N. ADONTZ, *L'archevêque Théophylacte et le Taronite*; Byz, 11 (1936), 577-588; A. LEROY-MOLLINGEN, *Prolegomènes à une edition critique des « lettres » de Théophylacte de Boulgarie*; Byz, 13 (1938), 253-262. De eius doctrina recole N. N., Догматическое ученіе въ влаговѣстникѣ блаженнаго Θеофилакта; PS, 1908, II, 160-180, 383-410, 600-618, 653-668.

119 Illa collecta habes in PG, 123-126.

120 PG, 126, 221-249.

iam de Concilio cogendo, quod controversiam sedaret inter Latinos et Graecos. Cum eadem abundaret sententia Imperator, mitiore quidem et irenico stilo disserit Theophylactus, a quo fortasse alienum non fuit mentem sibi Imperatoris conciliare.

Theophylactus aperte dissentit ab iis qui putant Latinos multis gravibusque erroribus laborare; « neque enim multos eorum errores esse scimus, neque tales qui ad discindendas ecclesias sint idonei » [121]. Scit sane quae circumferuntur contra Latinos, eaque commemorat [122], nullum tamen eis pondus tribuit, cum sint *merae consuetudines,* quae nullam in dogmate diversitatem pariunt [123]. Inter has vero consuetudines recenset: a) *coelibatum,* circa quem anceps haeret, nesciens utrum usum praeferendum dicat [124]; b) *ieiunium Sabbati,* quod fert, licet morem Graecorum magis commendet [125]; c) ipsa *Azyma,* de quibus sententiam propugnat e regione oppositam tritae apud Byzantinos opinioni, nimirum, Eucharistiae mysterium in Azymis a Christo Domino fuisse institutum, nulla tamen inducta necessitate, sed relicta posteris facultate ut quemlibet panem sive azymum, sive fermentatum, adhiberent [126].

De *Primatu Romano* quaenam fuerit mens Theophylacti non liquet. Videtur enim in hoc suo opusculo reicere Catholicorum doctrinam de *Romani Pontificis Primatu,* nec privilegiis antiquae Romae facile commoveri [127]. Sin autem quaestio fiat de *Primatu S. Petri,* loci adsunt qui sensum catholicum prae se ferunt, quosque, ex Commentariis praesertim in Ioannem, studiose colligit de Rubeis [128].

145. Theophylactus de Processione Spiritus Sancti: Unum restat quod Theophylactus penitus dissimulare non valet, nimirum, « Filioque » Symbolo additum [129]. Sententiam quippe de Processione Spiritus Sancti a Patre Filioque falsam ducit, ex confusione ortam inter conceptus « processionis » et « mis-

121 PG, 126, 221 D - 224 A.
122 PG, 126, 224 C - 225 A.
123 PG, 126, 245 B.
124 PG, 126, 240 A.
125 PG, 126, 237 B-C.
126 PG, 126, 233 C - 240 A.
127 PG, 126, 241 B.
128 PG, 123, 117-122.
129 « Summus igitur eorum error est, quodque in Salomonicum *Inferni profundum incurrere* facit (Prov. 9, 19), innovatio in Symbolo fidei, quam ii fecerunt enuntiantes *Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere* »; PG, 126, 225 D.

sionis », id quod facile obtinuit penes Latinos ob vocabulorum, ut ipse scribit, inopiam.

Bene enim fieri potuisse credit ut Latini, proprii idiomatis paupertate coacti, cum inter Processionem aeternam (a Patre) et Missionem temporalem (a Patre simul et a Filio) distinguere non valerent, verbum « procedere » indiscriminatim ad utrumque adhiberent. Quod si ita sese habet, Theophylactus indulget Latinis ut vel ipsam vocem « Filioque » in privato eorum usu retineant, modo sciant quaenam huius formulae germana declaratio sit [130].

Ipse enimvero contendit nullam inter Missionem temporalem et Processionem aeternam necessitudinem intercedere [131]. Quare, etiamsi a Filio quoque Spiritus Sanctus mittatur, donetur etc., minime a Filio procedit, sed a Patre tantum; quemadmodum ipse, Sacrae Scripturae « simplicitate » contentus tradit, adhibens argumenta quae, si bene inspiciantur id unum postulant, ne Filius dicatur αἰτία, seu principium imprincipiatum Spiritus Sancti [132].

Hisce sic se habentibus nullo sane negotio, ope obviae distinctionis, Theophylacto satis fit, qui ceteroquin hos conceptus communes habet cum Psello. Ceterum, iure innuit hoc discrimen circa Processionem Spiritus Sancti magna ex parte explicari posse inopia vocabulorum; ast non solum linguae latinae, sed etiam graecae; quae, cum utatur una tantum voce ad designandum principium in divinis — αἰτία, inquam — laborat sane in exprimenda Processione ab utroque. Denique, si haec mitior ratio considerandi discriminis apud suos cives non obtinet, id Theophylactus tribuit vel nimio zelo « sed non secundum scientiam » [133], vel spiritui superbiae [134].

§ 3. *Theologi positivi*

146. Collectanea dogmatica: Excommunicatio Ioannis Itali gravissimum intulit Theologiae speculativae vulnus, a quo nunquam plene convaluit. E contra, Theologia positiva, quae hucusque in monasteriis excolebatur, favore aucta imperiali, plures et magni nominis sectatores sortita est. Hos inter primum tenet locum Euthymius Zigabenus [135], cuius vita nos latet, sed quem

---

[130] PG, 126, 229 A-B.
[131] PG, 126, 228.
[132] PG, 126, 229 C - 232 B.
[133] PG, 126, 240 A.
[134] PG, 126, 245 D. 248 C.
[135] F. Cumont, *La date et le lieu de naissance d'Euthymios Zigabenos;* BZ, 12 (1903), 582-584; M. Jugie A. A., *La vie et les oeuvres d'Euthymie Zigabenos;* EO, 15 (1912), 215-225.

in rebus dogmaticis peritissimum dici ANNA COMNENA[136]. Euthymius, rogatu Imperatoris ALEXII COMNENI, opus conscripsit cui titulus *Panoplia Dogmatica*[137], in quo sententias SS. Patrum congerit ad omnes haereses confutandas; titulus autem XIII dirigitur contra Latinos ob eorum sententiam de Spiritus Sancti a Patre Filioque Processione, sed nihil est aliud quam *Libelli Photii* nova editio[138].

In hoc opere redigendo Euthymius usus est socio IOANNE PHURNENSI, qui etiam tractatum scripsit de Spiritu Sancto contra Petrum Grossolanum a DEMETRAKOPOULO editum[139]. Summas etiam sacrae doctrinae ad mentem Patrum hoc tempore elucubrati sunt ANDRONICUS CAMETERUS († post a. 1175) auctor operis *Sacrum Armamentarium* quod refutavit Ioannes Beccos[140], et ad finem huius periodi NICETAS AKOMINATUS seu CHONIATA, cuius est opus *Thesaurus Orthodoxiae*[141].

147. CONTROVERSIAE DE SPIRITU SANCTO: Ad controversias quod attinet cum Latinis, praedicti auctores Byzantinorum sententias omni conatu retinere student. Praeterea, tractatus polemici hac periodo multiplicantur, imprimisque de *Processione Spiritus Sancti.*

Supra diximus[142] IOANNEM PHURNENSEM hac de re scripsisse. EUSTRATIUS NICAEAE Metropolita († post 1117) septem scripsit tractatus contra Spiritus Sancti a Filio Processionem, necnon de Azymis, quorum quattuor habes apud DEMETRAKOPOULUM[143]. Utrumque argumentum agitavit NICETAS SEIDES († post 1117), qui iam anno 1112 opusculum redegerat, congerens accusationes contra Ecclesiam Romanam ab « Opusculo contra Francos » mutuatas[144],

---

136 Cfr. EO, 15 (1912), 217.

137 PG, 130. Cfr. de opere J. WICKERT, *Die Panoplia Dogmatica des Euthymius Zigabenos. Untersuchungen ihrer Anlage und ihrer Quellen, ihres Inhaltes und ihrer Bedeutung;* OrC, 8 (1908), 278-288.

138 PG, 130, 875 D; cfr. PG, 102, 392-396.

139 A. DEMETRAKOPOULOS, Ἐκκλησιαστικὴ Βιβλιοθήκη, L 1886, 36-47. IOANNES PHURNENSIS contra adversarios tuetur sententiam de resurrectione et Assumptione corporali Deiparae; cfr. M. JUGIE A. A., *La Mort et l'Assomption de la Sainte Vierge*; Città del Vaticano 1945 (StT n. 114), 271-276.

140 PG, 141, 395-614.

141 PG, 139, 1091-1444; 140, 9-284.

142 Vide supra ad n. 146.

143 A. DEMETRAKOPOULOS, Ἐκκλησιαστικὴ Βιβλιοθήκη, L 1886, 47-127. Anno autem 1117 Synodaliter damnata sunt 24 asserta ex duobus suis tractatibus ad Armenos; cfr. P. JOANNOU, *Eustrate de Nicée. Trois prières inédites de son procès* (1117); REB 10 (1952), 24-34.

144 Edidit A. PAVLOV, Критическіе опыты по исторіи древнѣйщей греко-русской полемики противъ латинянъ, P. 1878, 186-188.

contra Petrum Grossolanum plura dedit circa Processionem et Azyma [145]. NICOLAUS METHONENSIS episcopus († circa a. 1165) plura polemice scripsit, quorum editi sunt tres tractatus de Spiritu Sancto contra Latinos [146]. Tandem, NICETAS MARONENSIS, archiepiscopus Thessalonicensis (medio saeculo XII) auctor est operis *Dialogi de Processione Spiritus Sancti* [147].

In his propugnatur quidem doctrina photiana de Processione ad uno Patre. Nihilo tamen minus, cum documenta SS. Patrum sedulo adhibeant, fieri non potuit ut hi scriptores a Photii opinione aliquantulum non recederent.

Id apparet praesertim in *Dialogis* NICETAE MARONENSIS [148]. Videlicet, auctoritate fultus illorum Patrum qui adhibent et commendant formulam « ex Patre per Filium », contendit Spiritum Sanctum esse immediate ex Filio, mediante vero Filio ex Patre; qui hac ratione prima seu originalis causa est Spiritus Sancti. Unum excludit: « Filioque » Symbolo additum. Quare, et conciliationem sic fieri posse existimat: Latini expungant verbum illud « Filioque » e Symbolo fidei; Graeci vero confiteantur et credant « Spiritum a Patre per Filium, vel a Patre et Filio, vel ab utroque; illud *ex Filio* sic intelligentes ut Patres acceperunt, nempe, tamquam ex principio immediato, seu ex Patre per Filium, non vero tamquam ex primo principio carente principio » [149].

148. CONTROVERSIA DE AZYMIS: Volvente tota hac nostra periodo acriter agitatur quaestio *de Azymis*, praxim Latinorum

---

[145] Haec scripta nondum edita recenset A. DEMETRAKOPOULOS, Ὀρθόδοξος, Ἕλλας, L 1872, 14.

[146] Illos ediderunt K. SIMONIDES, Ὀρθοδόξων Ἑλλήνων γράφαι τέσσαρες², Lo 1865, 1-39; A. DEMETRAKOPOULUS, Ἐκκλησιαστικὴ Βιβλιοθήκη, 359-380 et A. J. ARSENII, Novgorod 1897. In PG, 135, 509-514 habetur eius opusculum *de corpore et sanguine Domini*; alios duos tractatus de sacrificio Missae publici iuris fecit A. DEMETRAKOPOULOS, L 1865. Cfr. de hoc auctore A. A., Николай епископъ Меѳонскій какъ богословъ; PS 1871, I, 42-49; ARCH. ARSENII, Николай, Меѳонскій епископъ XII в. и его сочиненія; ChC, 1882, II, 161-175, 495-515; 1883, I, 11-26, J. DRÄSEKE, *Nikolaus von Methone*; BZ, 1 (1892), 438-478; P. LAMBROS, *Die Handschriften des Nikolaus von Methone in Dionysioskloster;* BZ, 4 (1895), 363-365.

[147] Horum primus exstat in PO, 141, 395-614; reliqui autem prodiere curante N. FESTA, *Niceta di Maronea e i suoi dialoghi sulla processione dello Spirito Santo;* Bess, 28 (1912), 80-107, 126-132, 266-286; 29 (1913), 104-113, 295-315; 30 (1914), 55-75, 243-259; 31 (1915), 239-246. Cfr. EM. CANDAL S. I., StT 116, 138-141.

[148] M. JUGIE A. A., *De theologia Nicetae Maronensis* (*sub Manuele Comneno* 1143-1180) *circa processionem Spiritus Sancti;* AAV, 12 (1932), 105-118. Haec autem ratio agendi scribendique respondet studio Imperatoris Manuelis Comneni ad pacem restabiliendam; cfr. A. A. VASILIEV, *Histoire de l'Empire Byzantin,* trad. du russe, II, Pa 1932, 131.

[149] M. JUGIE A. A., l. c., 116.

impugnando, iterando vero quaecumque ab auctoribus cycli Caerularii iam proposita fuerant argumenta.

De Azymis enim agunt EUTHYMIUS ZIGABENUS [150], IOANNES PHURNENSIS [151], NICETAS NICOMEDIENSIS [152], NICETAS SEIDES [153], IOANNES ZONARAS [154], EUSTRATIUS NICAEAE [155], NICOLAUS METHONENSIS [156], SIMEON HIEROSOLYMITANUS [157], IOANNES HIEROSOLYMITANUS [158], IOANNES ANTIOCHENUS [159]. His accedunt anonymi auctores opusculi *pseudo-Damasceni* [160] et *pseudo-Athanasii* [161] de nostro argumento.

149. DOCTRINA DE PENTARCHIA: Quae iam olim a Byzantinis accipiebatur sententia de *Pentarchia* ut supremo Ecclesiae regimine [162], in systema, contra Primatum Romanum, prorsus excrevit ad finem saec. XII, ope praesertim THEODORI BALSAMONIS († post a. 1195), inter canonistas byzantinos facile principis, qui saepius agit de Patriarcharum dignitate in suis ad canones commentariis, praesertim vero et data opera in primo suo Meditato seu *Responso de Patriarcharum privilegiis* [163].

In hac sua disquisitione tria sibi solvenda proponit: originem, inquam, privilegia et parem quinque Patriarcharum dignitatem. Circa *originem*, repetit Patriarchatum Antiochenum, Alexandrinum et Hierosolymitanum ab Apostolis SS. Petro et Iacobo, Romanum ab Imperatore Constantino, Constantinopolitanum a secunda Generali Synodo [164]; id quod non vetat quominus ipse Patriarchatum sacram ducat institutionem, sive propter specialem unctionem divinae gratiae, [165], sive propterea quod Patriarchae caput sint visibile Ecclesiae, invisibilis capitis Christi personam gerentes [166]. De

---

150 *Comm. in Matth.;* PG, 129, 651-660; *Panoplia;* PG, 130, 1179-1184.

151 Apud A. DEMETRAKOPOULOS, Ἐκκλησιαστικὴ Βιβλιοθήκη, 36-47.

152 PL, 188, 1209.

153 *Tractatus de Paschate;* PG, 127, 1485-1488, *Opusculum contra Latinos;* apud A. PAVLOV, o. c., 186-188.

154 PG, 137, 552 C - 553 C.

155 A. DEMETRAKOPOULOS, o. c., 47-127.

156 *Dissertatio de Azymis* edita ab I. ARSENII, Novgorod 1897.

157 B. LEIB S. I., *Deux inédits byzantins sur les azymes au début du XIIe siècle;* OC, 9 (R 1924), 85 ss.; cfr. EO, 30 (1931), 421 ss.

158 Apud DOSITHEUM, Τόμος ἀγάπης, Iassii 1698, 527 ss.

159 B. LEIB S. I., o. c., 112 ss.

160 *De Paschate disputatio;* PG, 94, 413-416.

161 *Libellus de Azymis;* PG, 26, 1327-1332; de illo vide V. GHEORGHIU, *Un tractat sf. Atanasie « despre azima »;* Ca, 35 (1924), 297-304.

162 Cfr. ad n. 78.

163 PG, 138 1013-1033.

164 PG, 138, 1013 B-C.

165 PG, 138, 1021 A-B.

166 PG, 138, 1020 D - 1028 B.

privilegiis autem, ut minora omittam [167], illud est praecipuum, quod videlicet Patriarchae, vi muneris, universalem in cunctas ecclesias iurisdictionem singuli obtinent [168], quam non e textu evangelico circa Primatum recta petit, sed comparationibus illustrat; sicut quinque sensus ad corporis gubernationem, sic et quinque Patriarchae ad gubernandum Ecclesias constituti sunt [169]. Aequalis denique est omnium Patriarcharum *potestas* [170], licet diversis gaudeant titulis [171], diversis utantur subscriptionis formulis [172] et certo ac determinato ordine recenseri soleant [173].

Age iam; haec *Pentarchiae doctrina,* quam moderni vix non omnes reiciunt, utpote contrariam litterae et spiritui Novi Testamenti, ut vult *Synodus graeca* sub Othone rege [174], Conciliorum decretis repugnantem, quae est sententia Nectarii [175], et priscae ecclesiasticae historiae e regione oppositam, ut scribit Lapin [176], invaluit apud Byzantino-slavicos ad saeculum usque XVII.

150. Quaestiones theologicae Byzantii agitatae: Praeter controversiam cum Latinis, Byzantini sub Comnenorum Imperio plures alias suscitarunt, quas Synodi, latis definitionibus, compescere debuerunt. Hoc pacto regnante Alexio reprobata est sententia Leonis Chalcedonensis Metropolitae de cultu imaginum [177]; anno 1157 [178] damnati sunt Soterichos eiusque asseclae male sentientes de Missae sacrificio; anno autem 1166 imponitur declaratio retinenda de verbis *Pater maior me est* (Io. 14, 28) [179].

---

167 Ex. gr. de specialibus indumentis; PG, 138, 1016 ss.

168 PG, 138, 1024 s.

169 PG, 138, 1024 B - 1025 A.

170 PG, 138, 1016 B-C.

171 PG, 138, 1028 D.

172 PG, 138, 1029 C-D.

173 PG, 138, 1016 C-D.

174 CC, 40, 191.

175 N. Kephalas, Μελέτη ἱστορικὴ περὶ τῶν αἰτιῶν τοῦ σχίσματος, A 1911, 269.

176 P. Lapin, Соборъ какъ высшій органъ Церковной власти, Kazan 1909, 172-176.

177 P. Stephanou S. I., *Le Procès de Léon de Chalcédoine*; OCP, 9 (1943), 5-64.

178 Hoc anno, non praecedenti, Synodus coacta fuit, ut vult E. Kurtz, *Die gegen Soterichos gerichte Synode in Konstantinopel im Jahre 1157*; BZ, 15 (1906), 599-602; cfr. H. Paschali, *Noch einmal die Jahreszahl der II Synode gegen Soterichos Penteugenos;* BZ 19 (1910), 46-58.

179 Cfr. TDCO, I, 397 s.

Alexius Comnenus, cum ad comparandas opes quibus indigebat sacra expoliasset templa, animadversionem in se excitavit Leonis Chalcedonensis, hominis sanctitate quidem celebris, sed non pari eruditione illustris. Quo enim sacras imagines tueretur, earum sacrum characterem ita tradidisse fertur ut absolutum cultum imaginibus tribueret [180]. Hac de causa sede privatus est et in exilium actus; anno autem 1091 (vel 1092), suis opinionibus abiuratis, in Synodo ad Palatium Blachernarum pacem denuo cum Imperatore inivit [181].

Sub Manuele Comneno Synodus Constantinopolitana a. 1157 congregata damnavit sententiam Soterichou Panteugeni, electi in Patriarcham Antiochenum, Eustatii Dyrrachiensis et Michaelis Thessalonicensis contendentium sacrificium Missae non offerri Verbo; Christus enim est et offerens et oblatus tantum [182].

Maiore animorum contentione peracta est Synodus a. 1166, cuius historiam nobis servat Nicetas Akominatus [183], complevit vero novis documentis Petit [184]. Agebatur de verbis Domini: *Pater maior me est,* quonam sensu illa accipi oporteret. Synodus autem contra varias quae in medium prolatae sunt sententias, decrevit semel atque iterum Filium esse Patre inferiorem, prout ipse Filius est Filius hominis, sive prout est Verbum homo factum. Hisce vero non omnes extra Constantinopolin acquiescunt; quare, a. 1170 lata est sententia contra Constantinum Corcyrensem Metropolitam et monachum Ioannem Irenikon, qui verba Christi interpretati sunt de natura humana Christi Domini, abstracte sumpta; humanitas in se ipsa inspecta, aiebant, divinitate est inferior [185].

Art. II

Slavorum commentaria theologica

151. Litteratura ecclesiastica apud Bulgaros: A quo tempore discipulis S. Methodii perfugium praebuit, Bulgaria devenit primum ac praecipuum litterarum slavicarum domicilium [1]. Principes enim bulgari omni favore prosequuntur bona-

---

[181] Cfr. de hac controversia ut fontem praecipuum *Dialogum* Eustratii Nicaeae Metropolitae apud Demetrakopoulum, Ἐκκλησιαστικὴ Βιβλιοθήκη, 127-151. Lege Ibid., 151-152 aliam dissertatiunculam eiusdem auctoris de cultu imaginum.

[182] Acta Synodi apud A. Mai, *Specilegium Romanum,* X, col. 16-93.

[183] *Thesaurus Orthodoxiae;* PG, 140, 9-281.

[184] L. Petit A. A., *Documents inédits sur le concile de 1166 et ses derniers adversaires;* VV, 11 (1904), 465-493.

[185] L. Petit A. A., l. c., 474-476; cfr. decreta synodalia 30 ian., 20 febr. et 18 febr. 1170, ibid., 479-493.

[1] De litteratura antiqua bulgarica cfr. B. Tsonev, История на българский езикъ,

rum artium studium; quinimo, et ipsi litterariis laboribus assiduam opera navare coeperunt.

Etiam in Bulgaria litterae excolebantur in monasteriis, quorum nota sunt illa ad flumen Tič et in civitate Devol, ubi sese receperant NAUM et CLEMENS episcopus, qui postea condidere monasteria ad lacus Prespae et Achridae.

Ex regia familia plures novimus scriptores; quos inter eminet SIMEON, regis Boris filius, a Photio Constantinopoli litteris imbutus, qui nemine fuit secundus in fovendo litterarum cultu. Ipse slavicas fecit homilias S. Ioannis Chrysostomi et primus exegit opus encyclopaedicum, cui titulus *Sbornik Simeonov,* vulgo tamen dictum *Sbornik Sviatoslav,* propterea quod a. 1073 Kioviae transcriptum fuerit in gratiam principis IZIASLAV, cui nomini suffectum est postea nomen SVIATOSLAV, eius fratris et competitoris [2].

Ceterum, praecipuus collocabatur labor in vertendis operibus graecis, qua in re laudes sibi promeruit IOANNES EXARCHA, translator operis *De fide orthodoxa* S. Ioannis Damasceni [3].

Politici autem eventus Bulgaros prohibuere quominus hac uterentur theologica litteratura, et partes in controversia tam acriter inter Latinos et Byzantinos agitata sibi sumpserint.

Fuerunt quidem nonnulli praesules Bulgari, natione byzantini, qui graece, ut supra vidimus, tempore Caerularii scripserunt, ut LEO et THEOPHYLACTUS archiepiscopi Achridenses [4]. Sed si de Bulgarorum litteris sermo fit, fatendum sane est illos magis contra Paulicianos quam contra Latinos decertare, ut videre est in operibus ATHANASII monachi [5] et HILARII MOGLENAE episcopi († 1164) auctoris *Disputationum cum haereticis* [6].

152. PRIMORDIA LITTERATURAE IN RUS': Uberiores autem multo et diuturniores haec litteratura slavica fructus tulit in principatibus Rusjae, quo e Bulgaria cito migrare coeperat [7].

I, S 1919; A. CRONIA, *Saggi di letteratura bulgara antica. Inquadramento storico e versioni.* R 1936.

[2] Cfr. J. LEDIT S. I., *Russie (pensée religieuse)*; DTC, XIV, 227-228.

[3] SS. Patrum Basilii, utriusque Gregorii, Severiani Gabalae et Theodoreti usus operibus suam dedit quoque *Šestodnev* seu Hexaemeron.

[4] Cfr. ad n. 136, 144.

[5] Quattuor contra Bogomilos tractatus exaravit editos a A. N. PYPIN, P 1862; cfr. TDCO, 633.

[6] Harum disputationum meminit EUTHYMIUS Patriarcha in *Vita Hilarii* saec. XIV exarata.

[7] De antiqua russica litteratura adi, sis, Hierom. AVGUSTIN, Политическія сочиненія противъ латинямъ, писанная въ русской Церкви въ XI и XII в.; TK

Primi vero scriptores ignorasse videntur polemicam antilatinam.

Sic videre est in sermone HILARIONIS Metropolitae Kioviensis (1051-1054) [8] *de lege et gratia*; quam enim formulam adhibet de Processione Spiritus Sancti: « a Patre procedere et in Filio sese manifestare » facile probabis; respondet enim de verbo ad verbum Professioni fidei S. Gregorii Thaumaturgi.

Non defuerunt qui putaverint iam tempore S. Vladimiri quosdam Latinis exprobrasse usum Azymorum, contra quem ipsi primi decertarunt. Sed falso; epistula enim cuiusdam LEONIS METROPOLITAE, quem dicunt a Photio missum, circa Azyma, est sequioris aetatis; neque auctor in Rus' meridionali sed in Bulgaria episcopatum gesit, ut vel ipsi russici historici modo iam fatentur.

Idem dices de opuscolo *Disputatio cum Latino,* GEORGIO KIOVIENSI (1065-1079) falso tributo; dependet enim non solum a Caerulario verum etiam ab Opusculo contra Francos aliisque fontibus; id quod, iuxta PAVLOV, authentiam huius documenti dubiam reddit. Neque aliter iudicabis de duobus scriptis antilatinis, per universam Russiam longe lateque diffusis, quae nomen prae se ferunt S. THEODOSII PEČERSKAGO et « Latinorum errores » recensent; utrumque enim saeculo XII concedi debet.

153. PRIMI SCRIPTORES ANTILATINI: Age iam, rebus sic se habentibus fateri cogimur iam ad finem nostrae huiusce periodi polemicam antilatinam in principatibus Rusjae frequentari coeptam esse; polemicam vero agunt episcopi byzantini, quos sequuntur nonnulli alii slavicae originis, qui Byzantinorum amicitiam magis fovebant.

In hac acie primipyli habentur IOANNES II KIOVIENSIS Metropolita (1080-1089) et NICEPHORUS METROPOLITA (1104-1124). Antipa-

---

1867, II, 352-420; III, 461-521; A. PAVLOV, Критическіе опыты по исторіи древѣйшей греко-русской полемики противъ латинянъ, P 1878; M. ČELTSOV, Полемика между греками и латинянами по вопросу объ Опрѣснокахъ въ XI–XII вв. P 1879; N. NIKOL'SKII, Матеріалы для повременнаго списка русскихъ писателей и ихъ сочиненія X-XI вв., P 1906; A. N. RURII, Исторія русской литературы Домосковскаго периода (11-13 вв.), I, P 1911; B. M. ISTRIN, Очерк истории древнорусской литературы, P. 1922; J. LEDIT S. I., *Russie (pensée religieuse)*; DTC, XIV (1939), 217-229; A. S. ORLOV, Древняя русская литература XI–XУI вв. M 1939; E. LO GATTO, *Storia della Letteratura Russa,* I; dalle origini a tutto il secolo XVI, R 1928; id., Storia della Letteratura Russa, Firenze 1942. De historia autem huius periodi cfr. M. D. PRISELKOV, Очерки по церковно-политической исторій Кіевской Руси X–XII вв. P 1913 et V. VERNADSKII, *Relations byzantino-russes au XIIe siècle*; Byz, 4 (1927-1928), 269-276.

[8] Lege, sis, quae de illo scripsit V. A. BIL'BASOV, Церковь русская во дни Владимира и Ярослава до избранія митрополита Иларіона; ChC, 1850, I, 54-136; 1853, I, 15-78.

pa CLEMENS III litteras dedit ad IOANNEM [9]; quibus Kioviensis ita respondet [10] ut Latinos ab Ecclesia penitus defecisse pronuntiare non audeat [11], licet in certis quibusdam quaestionibus discrimina adsint. Haec porro discrimina ipse recenset, non iuxta Caerularium a quo data opera praescindit [12], sed Photium secutus, cuius quinque criminationibus sextam addit de pane azymo [13]. In iis autem discutiendis Ioannes non obliviscitur penitus venerationis erga episcopum senioris Romae [14].

Maiore in Latinos acredine animadvertit NICEPHORUS, qui auctor est duarum *epistularum ad principes Vladimirum Monomachum* et *Iaroslavum Sviatopolkovič* [15], quibus praemittit narrationem a vero longe aberrantem de initio schismatis. Nicephorus iam utitur argumentatione in Opusculo contra Francos contenta, et Rusjae principes docuit sententiam Constantinopolitanorum de Ecclesia eiusque supremo regimine [16].

Etiam posteaquam haec scripta confecta erant plures inter Slavos tam Novgorodienses quam Kiovienses ne suspicantur quidem disputationem cum Latinis, ut CLEMENS SMOLENSKJI de facto illam suis litteris prorsus ignorat. E contra NIFONT NOVGORODENSIS episcopus (1130-1156), ut praesidium quaereret penes Byzantinos contra Clementem Smolenskji, suum metropolitam, byzantinas sententias quoque amplexus est, uti constat ex eius *responsis canonicis*, in quibus agit de Latinorum receptione in Ecclesiam [17].

154. SIC DICTI « LATINORUM ERRORES » IUXTA SLAVICOS SCRIPTORES: Iam, si quaeras elenchos discriminum quos hi primi Slavici polemistae nobis exhibent, dicendum sane est illos mitiores esse Byzantinis, uno excepto auctore epistulae vulgatae sub ementito nomine Theodosii.

---

9 Illas recole apud J. B. PITRA, *Analecta novissima Specilegii Solesmensis*, I, R 1885, 479 et W. HOTZMANN in BZ, 28 (1928), 59 s.

10 Textum graecum dedit K. OIKONOMOS, Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου μετροπ. Ρωσίας ἐπ. π. Κλήμεντα, A 1868; textum graecum et veterem slavicam versionem A. PAVLOV, o. c., 169-186.

11 A. Pavlov, o. c., 171.

12 Ibid., 185.

13 Ibid., 173 ss.

14 B. LEIB S. I., *Rome, Kiev et Byzance à la fin du Xe siècle*, Pa 1924, 39 s.

15 Cfr. E. GOLUBINSKII, Исторія русской Церкви, Pars 2, II, M 1904, 820-828.

16 B. LEIB S. I., o. c., 316.

17 Cfr. DTC, XIV, col. 220.

Neque id mirum; nam, ut PAVLOV animadvertit, « eos non latuit dissidium inter Graecos et Latinos ex dogmaticis vel ritualibus discrepantiis haud manasse; sed ex plane diversa apud utrosque constitutionis ecclesiasticae indole, ex diversaque qua potiebantur auctoritate in utraque ecclesia membra hierachiae. Apprime sciebant russi in paucis et quidem minoris momenti Latinos a Graecis dissentire; sed cum ex graecis spuriisque fontibus hauserint tribus tantum idiomatibus Latinos tolerare ut sacra peragerentur officia, slavicumque idioma proinde in Liturgia obliterandum, coeperunt fidem adhibere Graecorum calumniis ac Latinos toto pectore aversarii » [18].

Ceterum numerus rerum quibus Latini a Graecis et Slavis discrepant varius est in diversis scriptis: PSEUDO THEODOSIUS duodeviginti numerat; episcopus NICEPHORUS scribens a Iaroslavum undeviginti; viginti vero idem auctor in epistula ad Vladimirum; denique disputatio PSEUDO-GEORGII novit viginti et septem [19].

Quae vero haec sint discrimina non est cur singillatim dicamus; eadem enim sunt ac in litteratura byzantina contra Latinos. Id unum notasse iuvat: videlicet, non tanti fieri ab omnibus haec discrimina ut Latinos reos ducant; quin et nonnulli quosdam Latinorum usus aperte sustinent, ut LEONTIUS ROSTOVIENSIS episcopus, qui saeculo XII propugnavit coelibatum clericorum; quapropter, necnon propter eius rigidissimam sententiam de ieiunio in Feria VI plura passus est [20].

ART. III

Polemistae Latini

Hoc eodem tempore plures Latinorum de Byzantinorum sententiis scripto agunt. Illos nempe ad id muneris sollicitabant sive expeditiones militares Crucigerorum in antiquo Oriente byzantino, sive ipsa adiuncta separationis ecclesiae Constantinopolitanae. Ex illis vero alii in Oriente disputant; alii in Occidente, Latinorum gratia, res discutiunt. De utrisque breviter agemus.

---

18 Sic A. PALMIERI, TDO, II, 54, vertens A. PAVLOV, o. c., 5.
19 TDO, II, 55.
20 DTC, XIV, col. 220.
1 H. HALFMANN, *Cardinal Humbert: sein Leben und seine Werke*, Göttingen 1883; A. MICHEL, *Humbert und Kerullarios*, I, Paderborn 1924, 43 ss.

§ 1. *Controversiae Constantinopolitanae*

155. CARD. HUMBERTUS A SILVA CANDIDA: Contra accusationes in Latinos circa Azyma, et contra reliqua Byzantinorum obiecta tempore Michaelis Caerularii fere unus dimicavit CARDINALIS HUMBERTUS, episcopus Silvae Candidae seu S. Rufinae [1]. Humbertus ad disputandum cum Byzantinis non solum ditissima in re theologica eruditione ornabatur, verum etiam graecae linguae usu familiari.

HUMBERTUS natus est in quodam Burgundiae oppido versus a. 1000; anno autem 1015 ingressus est monasterium Moyenmountierense, ubi litteris graecis et latinis adeo impense vacavit ut anno 1028 eruditionis fama iam claresceret. Anno 1049 S. LEO IX, qui olim praefectus Ecclesiae Tullensis eo usus fuerat, sibi comitem iunxit, eundemque Romam secum duxit et sacra purpura exornavit [2]. Denique anno 1053 illum praefecit Legationi Constantinopolin mittendae; quo in munere partes habuit praecipuas in causa Caerularii.

156. CARD. HUMBERTI OPERA SCRIPTA: Cum esset in Aula Pontificia, HUMBERTUS primus legit *epistulam Leonis Achridensis*, quam iussus est vertere et confutare. Postea vero, Constantinopolitana legatione fungens, quae a CAERULARIO et NICETA STETHATO contra dogma et disciplinam Latinorum scripta sunt diluere satagit. Sic orta sunt quae novimus Humberti scripta.

Hoc brevi temporis spatio tria saltem opuscula lucubravit, nempe: *Aversus Graecorum calumnias* [3], sub forma dialogi, Constantinopolitano referente argumenta Leonis Achridensis de Azymis, de Sabbato, de Suffocatis et de Alleluia, Latino vero ad haec respondente; *Responsio sive contradictio in eundem libellum* [4] scilicet in libellum Nicetae Stethati contra Latinos, ubi pariter sermo est de Azymis, de ieiunio Sabbati, de coelibatu. Haec duo opuscula, una cum *Brevi ac succinta commemoratione eorum quae acciderunt Constantinopoli mense Iulio 1054* [5] eodem fere tempore ediderunt Card. BARONIUS et S. PETRUS CANISIUS [6]. Tertium de controversia cum Graecis

---

[2] A. MICHEL, o. c., I, 43 illum dicit « Secretarium Status Leonis IX »; quidquid sit de hoc munere, constat Humbertum magno gavisum esse pondere apud S. Leonem Papam, cuius litterae, in quaestione Byzantina saltem, Humberti manu iure scriptae censentur.

[3] PL, 143, 931-974.

[4] PL, 143, 983-1000.

[5] PL, 143, 1001-1004.

[6] Card. BARONIUS, *Annales*, XI (ed. 1604), app., 995-1014; S. PETRUS CANISIUS, *Lectiones antiquae*, VI (ed. 1604), 111-197.

opusculum, cui titulus *Rationes de sancti Spiritus processione a Patre et a Filio* reperit ac typis vulgavit Anton MICHEL [7].

157. CARD. HUMBERTI DOCTRINA DE SPIRITUS SANCTI PROCESSIONE ET DE ROMANO PONTIFICE: Hisce opusculis Card. HUMBERTUS exagitat quaestiones omnes quae tunc temporis in controversia erant. Ad Spiritus Sancti *Processionem* quod attinet, refutat opinionem photianam de Processione *a solo Patre*, a Caerulario et Niceta Stethato restauratam.

Exaggerat sane dum ait hanc doctrinam de Processione Spiritus Sancti a Patre et Filio idcirco silentio praetermitti a Conciliis, quia omnibus censebatur nota [8]; sed doctrinam tutissimam exponit innixus testimoniis Sacrae Scripturae et Graecorum Patrum, praesertim S. Cyrilli Alexandrini [9], quibus Latini Patres consonant [10].
Ceterum, in declarando Processionis modo HUMBERTUS magis accedit ad Graecos quam ad Latinos Patres; id quod MICHEL [11] tribuit influxui SCOTI ERIUGENAE, a quo suum philosophicum systema, si morem ei geras, Humbertus hauserat.

Hoc opusculum evolventi quaedam occurrunt dicta in quibus Romana Ecclesia « omnium ecclesiarum Mater » praedicatur [12]. Attamen specialem quaestionem *de Primatu* ipse nusquam instituit, quem satis tueri visus est, sive rebus a se Constantinopoli gestis, sive vindicata sententia de Filioque, quae in causa erat cur Byzantini Romanam Ecclesiam impugnarent. Eius autem mens quaerenda est in epistulis S. LEONIS IX, quarum verus auctor censetur HUMBERTUS [13].

Romana Ecclesia, ait S. LEO IX, minime sola remanere potest, cum ipsa sit caput et mater, cui reliquae omnes adhaerere ita tenentur, ut si ab ea discedant extra ecclesiasticam unitatem eo ipso constituantur [14]. Sic in altera ad Caerularium epistula. Rationem autem huius effati iam in alia praecedenti epistula dederat; nempe, propter indefectibilitatem fidei Ecclesiae Romanae, quae nititur cum in pro-

---

7 A. MICHEL, *Humbert und Kerullarios*, I, 98-111.
8 A. MICHEL, o. c., 100 s.
9 De illo ait: « fidelis iste pater et patriarcha graecus infideles graeculos omnes convincat ».
10 Ibid., 98-100.
11 Ibid., 103-116.
12 Ibid., 100.
13 Id multis demonstrat A. MICHEL, o. c.,, 66-76.
14 PL, 143, 776 A-B.

missione Christi Domini (Matth., 16), tum in eius oratione (Luc. 22) ne unquam deficiat fides Petri [15].

Hoc pacto via praecluditur argumentationi tempore Caerularii frequentatae et quae iam in *Panoplia* apparet; scilicet, de haeresi Romanorum, propter quam nulla cum eis communio retinenda est. Quare, et hac eadem ratione usus est Humbertus tam in causa Nicetae, cui revocat in mentem Ecclesiam Romanam et primam esse et indefectibilem esse [16], quam in ipsa excommunicationis formula latae contra eos qui « fidei sanctae Romanae et Apostolicae Sedis contradixerint » [17].

158. Card. Humberti doctrina de Azymis: Praecipuam vero operam collocavit Humbertus in refutandis adversariorum argumentis circa *Azyma* Latinorum, id quod duobus praestat opusculis: *Dialogo adversus Graecorum calumnias* contra litteras Leonis Achridensis et *Confutatione Libelli Nicetae Stethati.*

In primo opusculo singulis affirmationibus Leonis responsum subdit. Nam, a) minime licet Iudaismum conclamare, cum Latini Legis Mosaicae praecepta nequaquam observent; b) Pascha quidem nostrum novum esse debet; sed non praecisse ex panis qualitate; c) neque « panis » seu ἄρτος unice denotat et significat fermentatum, cum de azymo saepius usurpetur; d) denique, Azyma apta sunt ad significandam Christi Domini passionem [18].

In altero vero opusculo Nicetam remittit ad argumenta quae antea contra Leonem et Michaelem Caerularium explanavit; illis vero adiungit crisin argumentationis a Niceta adhibitae, perpendens an Salvator in Ultima Cena fermentato usus fuerit vel azymo pane; id quod — ait — nonnisi a peritis solvi potest. Quare, intactam reliquens quaestionem chronologicam, ad argumentationem indirectam confugit. Nimirum, Christus Dominus, cum ad finem usque suae vitae praecepta omnia Veteris Legis ad apicem tenuerit, agnum paschalem comedit tempore quo eius esus praescribebatur, id est, XIV die lunae [19].

Argumenta Cardinalis Humberti si consideres, illud sane animadvertes: vincit quidem et adversarios facile superat dum eorum solvit rationes contra Azyma. Sed ei satius fuisset si contentus esset aequalitate utriusque panis commendanda; in-

---

15 PL, 143, 748 C-D.
16 PL, 143, 1001 B.
17 PL, 143, 1004.
18 PL, 143, 971-974.
19 PL, 143, 983-1000.

consulto enim supra fermentatum azymum extollit, licet semper « salva, ut dignum est, reverentia corporis Domini Iesu Christi » [20]. Praeterea, efficaciora longe eius argumenta evadere potuissent, si ab omni abstinuisset acrimonia, neque adversarios conviciis profligasset [21].

159. Laycus Amalfitanus, Bruno Segniensis, Petrus Cassinensis: Haec Humberti circa Azyma dicta plures moverunt ut de eodem argumento agerent. Aliis omissis [22], trium auctorum meminisse oportet, quorum scripta de Azymis ad Byzantinos directa sunt, quique plura mutuant ab Humberto, Layci Amalfitani, Brunonis Segniensis [23], et Petri Cassinensis [24].

Laycus suam *epistulam ad Sergium* Abbatem Constantinopolitanum [25] scripsit ante ann. 1070 ut Latinis Byzantii commorantibus opem ferret Azymaque pro viribus sustentaret. Argumenta porro adhibita illa sunt: Azyma, ab Abraham iam pridem usurpata (Gen. 18, 2) minime una cum Veteri Lege transiere; siquidem Azymis usus est in Ultima Cena Christus Dominus, qui venit Legem adimplere; quare et Paulus (I Cor. 5, 7) « azyma sinceritatis et veritatis » omnibus commendat. Ceterum, impossibile est Ecclesiam Romanam, cui factae sunt in Petro promissiones et indefectibilis est, in errore versari [26].

Hanc Layci epistulam prae oculis habuit Bruno Astiensis († 1123) Segniensis episcopus ab anno 1079, ab anno autem 1102 monachus et postea abbas Montis Cassinensis [27], dum ad Leonem et suos monachos Constantinopolitanos scriberet [28]. Bruno monachos instruit doctrina catholica de Azymis, eosque adhortatur ne umquam ab ea discedant. Argumenta autem affert: Azyma a Christo fuisse instituta; auctoritas suprema Romanae Sedis quae Azymis

---

20 PL, 143, 945-952.

21 Lege, sis, quae habet contra Nicetam Stethatum; PL, 143, 983-984.

22 Confer, sis Algerum Leodiensem, († circa a. 1132), *De sacramentis*, 2, 10; PL, 180, 743-854; *Epistula pseudo-Isidori in Redemptum;* PL, 83, 905-907, quae ad finem saec. XII fuit scripta iuxta J. R. Geiselmann, *Abendmahlslehre an der Wende des christl. Spätantike zum Frühmittelalter*, München 1933, 162 s.

23 De Amalfitano monasterio Athonensi v. A. Michel, *Amalfi im grechischen Kirchenstreit* (1050-1090); Atti del V Congresso Internazionale di Studi Bizantini (1936). R 1939, 32-40; O. Rousseau, *L'ancien Monastère bénédictin du Mont-Athos*; Revue Liturgique et Monastique 14 (1928-1929), 530-547.

21 De iis scriptis lege praesertim A. Michel, *Amalfi und Jerusalem im griechischen Kirchenstreit* (*1054-1090*); OCA n. 121, R 1939.

25 Agi videtur de Abbate S. Mariae Amalfitanorum, ad quem litteras dedit quoque S. Petrus Damianus; PL, 144, 396; cfr. A. Michel, o. c., 18.

26 Epistulam Layci primus edidit A. Michel, o. c., 35-47.

27 A. Michel, o. c., 24, not. 3.

28 PL, 165, 1085-1090.

utitur. Ad finem epistulae satis facit obiectionibus de Iudaismi crimine.

Petrus a Monte Cassino, qui sub Lothario rege cum Graecis quibusdam Magnae Graeciae disputavit [29], nobis scripto reliquit suam *Altercationem* [30], quam si legas deprehendes Petrum, Humberti prementem vestigia [31], non solum Latinam vindicare ecclesiam, verum etiam usus Constantinopolitanos prorsus contemnere.

140. Disputationes Petri Grossolani et S. Anselmi Havelbergensis: Anno 1113, ex Hierosolymis redux, in Aula Alexii Comneni cum Byzantinis disputavit Petrus Grossolanus [32], Mediolanensis archiepiscopus, qui a sede sua pulsus, sive propter invidiam sive propter simoniam [33], orientales plagas peragravit. Eius extat oratio prolata de Processione Spiritus Sancti [34].

In ea ostendit gloriam Patris a Latinis nequaquam minui, sed intactam servari [35]; e Sacra vero Scriptura minime probari posse opinionem Graecorum « e solo Patre » Spiritum procedere; legitime vero inferri posse « Filioque » Latinorum [83]; licet statum quaestionis hac in re inepte proponat, perinde ac si doctrina catholica in Sacris litteris formaliter nullatenus contineatur [37]. Ceterum, stilus orationis editae paccatus est [38]; ast coniecturari licet Petrum in loquendo non eadem moderatione fuisse usum; suos enim contradictores Euthymium Zigabenum, Ioannem Phurnensem et Eustratium Nicaeae ad acriores excitavit controversias [39].

Feliciore exitu doctrinam Latinorum Byzantii sustinuit S. Anselmus Havelbergensis episcopus (1158), qui a. 1136, tamquam Legatus Lotharii II sese contulit ad Imperatorem Ioan-

[29] A. Michel, o. c., 7.

[30] Edita est in *Miscellanea Cassinensia*, 1897, 1-32.

[31] Cfr. A. Michel, o. c., 50-52.

[32] A. Amelli O. S. B., *Due sermoni inediti di Pietro Grosolano*, Firenze 1933; V. Grumel A. A., *Autor du voyage de Pierre Grossolanus, archevèque de Milan, à Constantinople en 1112*; EO, 32 (1933), 22-33. Dictus quoque Grisolaus, Grisolanus, Chrysolanus, Glosolanus; iuxta Landulfum Iuniorem nomen Grosolanus derivat a pauperrima qua induebatur tunica.

[33] Quidquid sit de hac quaestione, Tritemius illum laudat propter eruditionem et peritiam linguae graecae et latinae; A. Amelli O. S. B., o. c. 7.

[34] Exstat in PG, 127, 911-920 et in PL, 162, 1005-1016, sed manca; integra habetur apud A. Amelli O. S. B., o. c. 14-35.

[35] PG, 127, 913-915.

[36] PG, 127, 915-917.

[37] « A verbis quae habentur in Evangelio neque Graecus dissentit neque Latinus ... »; Ibid., 915 D.

[38] Id vero non impedit ut exclamet: « Pater, dimitte Graeco, quia nescit quid faciat »; A. Amelli O. S. B., o. c., 34.

[39] B. Leib S. I., *Rome, Kiev et Byzance à la fin du XIe siècle*, Pa 1924, 313.

nem II Commenum et controversias agitavit cum Niceta Nicomediensi. Anno vero 1155, sub Manuele Comneno, Constantinopolin denuo petivit, ubi et religiosa colloquia habuit cum Basilio Achridensi [40].

Quid in his controversiis actum fuerit scimus cum ex opusculis S. Anselmi [41], tum ex dialogo ipsius Basilii [42], Videlicet, plenus axiomate: « Non habet Dei caritatem qui Ecclesiae non diligit unitatem » [43], magna cum modestia et humanitate disseruit de Spiritus Sancti Processione, de auctoritate Romanae Sedis et de Azymis; ita ut Nicetas cum illo plene consentire se velle dixerit, si id absque scandalo posset fieri ante convocationem Generalis Concilii [44].

161. Hugo Etherianus: In controversiis autem huius periodi primas facile obtinet Constantinopoli Hugo Etherianus († 1177) ex Pisana civitate oriundus, qui una cum fratre Leone Byzantii vitam egit et in Aula Imperatoris Manuelis Comneni publicis functus est muneribus. Post diuturnos exanthlatos labores, in patriam reversus sacra Cardinalium purpura donatus est [45]. Hugo auctor est operis *De haeresibus quas Graeci in Latinos devolvunt libri tres, sive quod Spiritus Sanctus ex utroque, Patre scilicet et Filio procedat, contra Graecos* [46].

Opus redactum fuit sub pontificatu Alexandri III (1159-1181), et quidem simul tempore lingua graeca et latina, ut monet auctor scribens ad Aimericum Patriarcham Latinum Antiochiae [47].

Huius operis duplex est momentum: a) quod attinet ad doctrinam, Hugo Etherianus in documentis Graecorum Patrum versatus valde [48], doctrinam S. Anselmi [49] adhibet singulis Graecorum contra Processionem ab utroque dictis confutandis; b) relate ad historiam hi tres libri nobis ponunt ante oculos ut se habeat controversia graeco-latina hac periodo; Hugo enim Etherianus adver-

---

[40] G. Schreiber, *Anselm von Havelberg und die Ostkirche*; ZKG, 60 (1942), 354-411.

[41] PL, 188, 1159-1247.

[42] J. Schmidt, *Des Basilius aus Achrida Erzbischops von Thessalonich bisher unedierte Dialoge;* München 1901.

[43] PL, 188, 1209 A.

[44] PL, 188, 1209 B - 1210 A; 1247 B - 1258 A.

[45] L. Petit A. A., *Hugues Ethérien;* DTC, VII, col. 308 ss; de Etheriano plura collegit A. Vero in sua thesi doctorali, quae hactenus typis data non est.

[46] PL, 202, 231-396.

[47] PL, 202, 230 B.

[48] R. Lechat, *La patristique grecque chez Hughes Ethérien;* Mélanges d'Histoire offerts à Charles Moeller, I, Louvain 1914, 485-507.

[49] Ab Anselmo enim aperte dependet; cfr. PL, 202, 345 B-C.

sarios citat et transcribit. PHOTIUS vix nominatur [50]; e contra saepius recurrunt NICETAS BYZANTIUS seu Philosophus [51], GEORGIUS NICOMEDIAE [52], NICOLAUS METHONENSIS [53], THEOPHYLACTUS BULGARIAE Metropolita [54] et praesertim NICETAS MARONENSIS, qui licet mitior sit in tuenda sententia Byzantinorum [55], a nostro Hugone pluribus impetitur in iis quibus a Latinis deviat [56].

§ 2. *Scriptores occidentales*

162. S. PETRUS DAMIANUS DE CONTROVERSIIS CUM BYZANTINIS: Praedicti scriptores rem habent cum Byzantinis; eodem vero tempore alii de controversiis cum Byzantinis in gratiam Latinorum egerunt. Horum duo sunt maxime attendendi: S. PETRUS DAMIANUS et S. ANSELMUS CANTUARIENSIS.

S. PETRUS DAMIANUS († 1072), potius quam scriptor fuit morum reformator strenuus in Occidente [57]. Eius autem opuscula theologica attentionem merentur; fuit enim Petrus traditionis testis et, ad controversias byzantinas quod attinet, valde influit *Summae Petri Lombardi*. Pluribus in locis respondet Graecorum accussationibus, sive indirecte, ut in Opusculo 39: *Contra sedentes tempore divini officii* [58], sive data opera et mentione facta controversiae in Oriente Byzantino agitatae.

Circa *ieiunium Sabbati* scribit in Opusculo 55 hoc ieiunium auctoritate S. Silvestri et caelesti visione fuisse inductum [59]. De *coelibatu* sacerdotum habet Opuscula 17 et 18, quae tamen diriguntur in clericos latinos dissolutos, disciplinam Orientalium sibi vindicantes [60]. De *azymis* novimus eius responsum ad Henricum Ravennatensem Archiepiscopum, ubi aequum sane de utriusque panis legitimitate iudicium fert [61]. Denique, de auctoritate *Sedis Romanae* loquitur capite 1 Opusculi contra Graecos de Spiritu

---

50 Cfr. PL, 202, 328.
51 PL, 202, 244. 259. 277. 284.
52 PL, 202, 236. 265. 295. 328.
53 PL, 202, 256. 268. 279. 302. 360.
54 PL, 202, 309.
55 Cfr. supra ad n. 147.
56 PL, 202, 388.
57 G. BAREILLE, *Damien* (*St. Pierre*); DTC, IV, col. 40-54.
58 PL, 145, 641-648.
59 PL, 145, 803 s.
60 PL, 145, 402 C. Ad Trullanos canones alludunt clerici tumultuantes cum dicunt: « Habemus auctoritatem *Triburiensis*... Concilii ».
61 PL, 145, 909 B.

Sancto[62]; quod Damiani testimonium eo vel magis faciendum est quod Petrus vixit difficillimis Ecclesiae Romanae temporibus[63].

Praecipuam vero suam operam S. PETRUS DAMIANUS collocavit in tuenda *Processione Spiritus Sancti* a Patre Filioque. Hoc enim dogma adeo ipsi cordi est ut eius explicitam mentionem faciat pulcherrima sua ad Spiritum Sanctum oratione[64]. Argumentum vero explanat in Opusculo 38: *Contra errores Graecorum de Processione Spiritus Sancti*[65].

In hoc opusculo recte demonstrat originem erroris in eo esse quod Graeci a sensu assertivo ad sensum exclusivum transierint in interpretatione Evangelicorum textuum[66]. Ad commendandam sententiam catholicam usurpat testimonia Sacrae Scripturae, vel ea quae nonnisi indirectam admodum significationem exhibent[67]. De SS. Patribus Latinis et Graecis pauca dat, quae sane non plane sufficiunt[68]. Tum difficultates solvit; cur, videlicet, Christus non se dixit aperte principium Spiritus Sancti?; ad quod respondet allato textu: *mea doctrina non est mea,* quae, sicut et ea quae profert de Spiritus Processione a Patre, eo tantum consilio dixit ut innotesceret omnibus se id habere non a semetipso sed a Patre[69]. Ultimo tandem loco Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum, quod ipse legit: *qui de Patre procedit proprie*[70], declarat adhibito S. Augustino: « ex Patre principaliter »[71].

De Processione Spiritus Sancti iam antea brevius egerat ad finem Opusculi 1: *De fide catholica ad Ambrosium*[72], innixus testimoniis SS. Ambrosii, Augustini, Athanasii, Cyrilli Alexandrini, ac praesertim auctoritate Sacrae Scripturae.

Ex iis apparet S. PETRUM DAMIANUM, qui « simplicitate » delectatur in doctrina fidei[73], ab omni scholastica arte et theologica speculatione praescindere maluisse, id quod eius indoli

---

62 PL, 633 D - 634 B.

63 G. BAREILLE; l. c., col. 41-42.

64 PL, 145, 922 C.

65 PL, 145, 633-642.

66 PL, 145, 635 B - 636 D.

67 PL, 145, 637; videlicet, S. PETRUS DAMIANUS secum reputavit Processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio « per omnes fere sacri eloquii paginas » inveniri, ut alibi scripserat; PL, 145, 39 A.

68 PL, 145, 638 C. - 640 A.

69 PL, 145, 640 C-D.

70 Haec lectio exulat in opere A. HAHN, *Bibliothek der Symbole und Glaubensregeln*, Breslau 1897, 162-166.

71 PL, 145, 641 A-B.

72 PL, 145, 37-39.

73 *De sancta simplicitate;* PL, 145, 695.

erat consentaneum [74]. Praeterea, notandum est non satis verbis distinguere inter « processionem » et « missionem »; quare, probabile est THEOPHYLACTUM BULGARUM ad hoc opusculum, ante annum 1073 iam perfectum, respicere in tractatu contra Latinos, quibus hanc exprobrat confussionem [75].

163. S. ANSELMUS CANTUARIENSIS, EIUSQUE SCRIPTA DE CONTROVERSIIS CUM BYZANTINIS: Longe aliter se habet in suis tractatibus S. ANSELMUS CANTUARIENSIS († 1109), qui nomen sibi amplissimum comparavit ut parens occidentalis Scholasticae Theologiae. Anselmus, sua sede depulsus, cum per Galliae et Italiae regiones iter ageret, ab URBANO II vocatus adiit Concilium Barense a. 1098 celebratum, in quo ventilata fuit quaestio de unione cum Graecis qui Magnam Graeciam incolebant, et agitatae dogmaticae quaestiones hinc inde controversae. In iis autem primas partes obtinuit noster Anselmus [76].

Ceterum, plures exstant dissertationes Anselmianae circa quaestiones theologicas cum Orientalibus discussas. Quid de *rituum diversitate* sentiendum sit explicat in *epistula ad Valerannum,* qui sua dubia per litteras Anselmo significaverat [77]; scandalizabatur enim rituum ecclesiasticorum varietate. Anselmus vero ostendit has diversitates, dummodo substantiam sacramentorum non laedant nec fidem immutent, legitimas esse ducendas; « habemus enim a Sanctis Patribus, quia si unitas servatur caritatis nihil officit consuetudo diversa » [78]. *De azymo et fermentato* ad eundem scribens episcopum, imprimis notat nullum moveri posse dubium de validitate consecrationis, cum in utroque casu verus panis adhibeatur [79]; sed addit azymum anteponendum esse fermentato [80]. Hac vero in re amplius non insistit; sed reliquum opusculum impendit in diluenda accusatione de Iudaismo, quam Graeci Latinis obicere solebant.

Eius autem opus princeps in quaestione byzantina iure ducitur *Liber de Processione Spiritus Sancti contra Graecos* [81], quem

---

[74] F. CAYRÉ A. A., *Précis de Patrologie*, II, Pa 1930, 388.

[75] TDCO, I, 356, not. 1.

[76] Acta Synodi periere; quae vero exstant notitiae confirmant relationem EADMERI in *Vita S. Anselmi;* PL, 158, 102 D, de triumpho ab Anselmo supra Graecos reportato; cfr. B. LEIB S. I., *Rome, Kiev et Byzance à la fin du XIe siècle,* 287-296.

[77] PL, 158, 549 A-B.

[78] PL, 158, 552 C.

[79] PL, 158, 541 C.

[80] PL, 158, 542 C.

[81] PL, 158, 285-326.

redegit rogatu HILDEBERTI Cenomanensis episcopi a. 1101-1103 [82]. Opus sane est sine controversia « omnium quae a Latinis de Processione Spiritus Sancti ante saeculum XII conscripta fuere gravissimum » [83].

164. DOCTRINA S. ANSELMI DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI: S. ANSELMUS exorditur ab iis quae Graecis et Latinis sunt communia quando sermo est de SS. Trinitate [84]. Hanc autem communem fidem ad communem etiam de relatione doctrinam conatur reducere; relatio enim « indivisibilem unitatem et insociabilem pluralitatem » in divinis tuetur [85]. Quo iacto fundamento, per « irrefragabiles rationes » demonstrat Spiritum Sanctum a Filio quoque procedere.

Scilicet, in sua argumentatione, quam cap. 23 [86] ipse auctor compendiat, fretus illo axiomate: « in divinis nullam dari distinctionem ubi non obstat relationum oppositio » [87], cum fide constet Spiritum a Patre et Filio distingui, necesse est ut ad Patrem et Filium relationem habeat, et quidem relationem originis. Iam vero; circa relationem ad Patrem res est clara, Evangelio testante Spiritum esse a Patre, non Patrem a Filio; ad Filium igitur quod attinet dicendum est necessario vel Filium esse de Spiritu, vel Spiritum de Filio; hoc alterum obtinet; quia de fide est Spiritum esse Filii, quemadmodum Sacrae litterae repetito tradunt. Praeterea, cum Spiritus procedat non ex relatione — quod est absurdum — sed ut Deus de Deo, i. e. de hoc in quo unum sunt Pater et Filius, aeque ab utroque procedit Spiritus [88].

Hoc semel admisso, facilis sane ei gressus fit ad dissolvendas obiectiones Graecorum de distinctionibus in unico Spiritus Sancti principio constituendis [89] et de duplici, quod ex Latinorum doctrina ipsi inferunt, principio [90]. Quinimo, adeo S. ANSELMUS adhaeret perfectae Patris et Filii aequalitati in spirando Spiritu Sancto ut unam formulam aptam reputet « ex Patre Filioque ». Nam Spiritus Sanctus, cum sit ex deitate Patris et Filii, quonam pacto « de deitate Patris per deitatem Filii » — sic interpretatur formulam graecam « ex Patre per Filium » — procedat capere non valet, prae-

---

[82] Cfr. GERBERON in sua censura operum S. Anselmi in PL, 158, 24 s.
[83] TDCO, I, 367. M. JUGIE A. A. hoc loco addit: « et ad controversiam accommodatissimum »; quid de hoc sentiendum sit cfr. infra ad n. 165.
[84] PL, 158, 285 B - 288 A.
[85] PL, 158, 285-291.
[86] PL, 158, 318 B-D.
[87] PL, 158, 288 C.
[88] PL, 158, 297-298.
[89] PL, 158, 306 B-D.
[90] PL, 158, 311 C. - 312 C.

sertim cum talis dictio nullo Sacrae Scripturae innitatur testimonio [91]. Simili de causa minime eum delectat locutio « ex Patre principaliter »; quam verbo tenus reprehendit tamen, suam enim facit declarationem a S. AUGUSTINO adhibitam [92].

Licet praecipua sane laus S. ANSELMI reponenda sit in hac eius speculativa disceptandi ratione, *argumenta positiva* non neglexit. Ommittit sane SS. Patres; hoc tamen consulto fecit, quia videlicet auctoritatem Latinorum Patrum non ferebant Graeci, ut in praefatione operis nos admonet [93]. Sacram vero Scripturam optime explanat.

Adducit imprimis testimonia de missione temporali Spiritus Sancti a Filio [94], deinde insufflationem Christi dicentis: *accipite Spiritum Sanctum* [95], tertio verba *de meo accipiet* [96], quarto denique textum *Spiritus Filii sui* [97]. Vim autem argumentationis e Sacra Scriptura ad processionem Spiritus Sancti ex Filio statuendam in eo collocat quod « illa asserit unde probatur et nullo modo aliquid significat unde negetur [98]. Hisce fretus occurrit Graecis obicientibus silentium Evangelii, eos non solum tritis argumentis refutans, verum etiam addens satis clare sententiam catholicam vel ipso hoc loco Evangelii S. Ioannis commendari; aiens enim *Spiritum esse ex Patre* eo ipse dicit esse ex Patris essentia, in qua Pater unum est cum Filio [99].

Tandem venit ad *additionem* « Filioque » ad Symbolum Fidei, cupiens satis facere Graecis quaerentibus: « cur hoc factum sit et quare hoc prius eorum ecclesiae monstratum non est ut communiter consideraretur et communi consensu adderetur quod addendum erat? » [100].

Si quaeras cur factum sit? respondet: « Quoniam igitur et necessitas cogebat, et nulla ratio prohibebat et vera fides hoc admittebat fiducialiter asseruit Latinitas quod credendum et confitendum esse cognoscebat » [101]. Si addas non licuisse Symbolo quid-

---

[91] PL, 158, 307 D. - 311 C.
[92] PL, 158, 319 A-C.
[93] PL, 158, 285 A.
[94] PL, 158, 299 C. - 301 B.
[95] PL, 158, 301 C. - 303 C.
[96] PL, 158, 304 AC.
[97] PL, 158, 315 B. - 317 A.
[98] PL, 158, 321 C.
[99] PL, 158, 312 D. - 315 B.
[100] PL, 158, 317 B.
[101] Ibid.

quam addere, respondet: id plane obtinet si agitur de corruptione vel alteratione Symboli, hic vero nihil additur contrarium iis quae in Symbolo iam continentur. Et bene notat additionem factam esse non originali graeco textui sed versioni latinae; quare si percuncteris cur non interrogati prius fuerint Graeci? respondet: Ecclesiam Romanam ad hoc non teneri; praesertim cum de additione agatur in commodum nationum, quae latino utuntur eloquio [102].

165. Pondus doctrinae S. Anselmi: Opusculum S. Anselmi, quod una cum eius tractatu de Azymis in graecum transtulit Demetrius Cydonius [103], magnum obtinuit pondus in Occidente, cum noster S. Anselmus, qui parens dicitur methodi scholasticae [104], adeo valeat apud maximos nostros theologos, qui ab Anselmo repetunt doctrinam obiectionesque Graecorum, necnon argumenta quibus eorum sententia evertitur, ut infra patebit cum agamus de S. Alberto Magno aliisque nostris magnis scriptoribus de quaestionibus cum Byzantinis controversis [105]. Pariter quae S. Anselmus tanta cum perspicuitate de *additione* « Filioque » proposuit [106], transeunt fere ad verbum in definitionem Concilii Florentini de additione ad Symbolum [107] et continuo a posterioribus iterantur.

Sin vero amplius interroges de ipsa praestantia doctrinae anselmianae *ad controversias*, imprimis de Spiritu Sancto, diluendas, fatendum sane est: a) S. Anselmum primum omnium argumenta contulisse Latinis ad respondendum rationibus dialecticis Graecorum contra Processionem ab utroque; hactenus enim dogma catholicum validissime quidem vindicatum fuerat argumentis positivis, e Sacra Scriptura, inquam, et Traditione; sed cum nullum esset definitum systema de relationibus divinis, nostri auctores difficultate laborabant omnes ut photianis philosophis satis facerent. b) Simul vero attendi debet S. Anselmum, qui sese vocat « vindi-

---

102 PL, 158, 317 B. - 318 A.

103 TDCO, I, 479; et G. Mercati, StT, 56.

104 M. Grabmann, *Die Geschichte der scholastischen Methode*, I, Freiburg i. Br. 1909, 263. Brevem synopsim doctrinae Anselmianae tibi dabit Dom B. Marechaux O. S. B., *La procession du Saint Esprit d'après Saint Anselme;* Revista storica benedettina, 1909, 379-384. Cfr. quoque B. Leib S. I., *Rome, Kiev et Byzance à la fin du XIe siècle*, 331-344.

105 Cfr. infra ad n. 188 ss.

106 (V. Buri S. I.), *La questione storica nella controversia del Filioque;* La Civiltà Cattolica, 1930, I, 309.

107 Docet enim vocem « Filioque » veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam »; ES, n. 691.

cem Latinitatis »[108], viam ingredi Byzantinis omnino imperviam, ita ut dissidium altius fiat inter systema graecum et systema latinum de SS. Trinitate; ab Anselmo enim tandem aliquando incipit sic dictus « conceptus latinus » a Scholasticis postea impense excultus[109].

166. CONTROVERSIAE CUM BYZANTINIS IN SUMMA PETRI LOMBARDI: Sed ad finem usque nostrae periodi S. ANSELMUS adhibitus quidem fuit ab HUGONE ETHERIANO suis collationibus constantinopolitanis[110]; in Occidente vero exulat, saltem in *Libris Sententiarum* quos Magister PETRUS LOMBARDUS absolvit versus a. 1150, quique adeo late sunt diffusi[111]. Ignorat quidem Magister quaestionem de Azymis et de rituum differentia; data vero opera agit de Spiritus Sancti Processione in Libro I, Distinctione XI et XII[112].

Distinctione XI, n. 2: « Quod Graeci non concedunt Spiritum Sanctum procedere a Filio », recenset Graecorum argumenta, nimirum: silentium Evangelii, incolumitatem et perfectionem Symboli ab Orientalibus Conciliis et a Leone III firmatam. Tum n. 4: « Quod Graeci sensu nobiscum conveniunt, etsi verbis differant » contendit, eo quod et ipsi admittant illud dictum S. Pauli ad Galatas: *Spiritum Filii;* et in sequenti n. 5 « auctoritatibus Graecorum probat Spiritum Sanctum procedere etiam ex Filio », nempe verbis usus pseudo-Athanasii in Symbolo, S. Cyrilli contra Nestorium et Didymi Alexandrini.

Distinctione XII: « Utrum Spiritus Sanctus prius vel plenius procedat a Patre quam a Filio », perpendit formulam S. Augustini: « a Patre principaliter » et formulam « a Patre proprie », quam desumit a S. Hieronymo in Expositione Symboli Nicaeni Concilii; formulam vero « ex Patre per Filium » satis exploratam non habet[113].

Ceterum, frustra quaeres alia de hoc argumento quibus investigandis incumbit posterior Scholastica. Unitatem principii declarat aliquantulum Lib. I, Dist. XXIX, n. 4; attamen fatetur: « Si vero quaeritur quae sit illa notio quam ibi notat principium [spi-

---

[108] « Si autem aliquid protuli quod aliquatenus corrigendum sit, mihi imputetur, non sensui Latinitatis »; PL, 158, 326 B.

[109] Cfr. prae aliis TH. DE REGNON S. I., *Études de Théologie positive sur la Sainte Trinité,* I, Pa 1892, 249-435.

[110] Cfr. supra n. 161.

[111] Nostrum non est hic plura discutere de auctore, de ratione compositionis horum Librorum, de eorum habitudine ad alias Summas Sententiarum eodem fere tempore exaratas. Lege, sis, J. DE GHELLINCK S. I., *Le mouvement théologique au XIIe siècle,* Pa 1914, 126-169.

[112] PL, 192, 551-555.

[113] « Forte etiam iuxta hanc intelligentiam dicitur Spiritus Sanctus mitti per Filium et a Patre esse per Filium; unde Hilarius ... »; Dist. XII, n. 5.

ratio activa], *nomen eius non habemus;* sed non est ipsa paternitas vel filiatio; imo, notio quaedam quae Patris est et Filii, iuxta quam ab aeterno Pater et Filius unum principium est Spiritus Sancti » [114].

Denique, scire si cupias undenam ipse hanc traxerit doctrinam, satis patere censeo plura Magistrum desumere ab ALCUINO, a RATRAMNO et praesertim a S. PETRO DAMIANO.

ART. IV

Theologi Nestoriani et Monophysitae

De Scriptoribus Nestorianis huius periodi pauca sunt ad nos usque transmissa; plura vero extant de scriptis Monophysitarum, e quibus Armeni specialem merentur attentionem. Agemus igitur totidem paragraphis de Nestorianis, de Iacobitis et Coptis, de Armenis.

§ 1. *Nestoriani*

167. SCRIPTORES NESTORIANI: Perpauci sunt qui hacce nostra periodo inter Nestorianos scripserint. EBEDIESU in suo *Catalogo Librorum* unum tantum dat, videlicet, Catholicum ELIAM III († 1190) [1], cui ASSEMANI addidit monachum ABDALLA ABULPHARAG († 1043) [2], MACHICHAM Catholicum († 1103) [3] et MICHAELEM AMIDENSEM et Maipharkatensem episcopum († ad finem s. XII) [4]; BAUMSTARK vero Rabban JAQQÎRA ABU-L-'IZZ et SABRIŠÔ B PAULOS, utrumque versus a. 1188-1189 professorem in Mosulensi Monasterio S. Michaelis [5].

Hi ultimi, sicut etiam Catholicos Elias III syriace scribunt; reliqui arabica lingua libentius utuntur. Ceterum opera syriaca quae in manuscriptis asservantur sunt potius Officia et preces liturgicae.

De scriptis autem theologicis horum auctorum nihil fere novimus praeter inscriptionem operum et fragmenta ab ASSEMANI suae inserta Bibliothecae. Nimirum ABULPHARAG edidit *Commentaria in Vetus et Novum Testamentum* a Iacobita quodam correcta, *Paradisum christianorum,* Collectionem *Canonum,* tractatum *de*

---

114 PL, 192, 602.
1 BO, III, Pars 1, 287-294.
2 Ibid., 544-548.
3 Ibid., 549-554.
4 Ibid., 557-561.
5 GSL, 288-290.

Poenitentia, tractatum *adversus eos qui dicunt Mariam Deigenitricem,* tractatum *de Trinitate et unitate,* aliaque minora opuscula theologica, necnon *Commentaria in varios libros Aristotelis* [6]. MACHICHA auctor est *Orationis de Incarnatione* contra Monophysitas Nestorianismum propugnantis et *Epistulae ad Principem Persidis,* veritatem christianam ex miraculis demonstrantis [7]. Denique, extat *Fidei expositio* a MICHAELE AMIDENSI exarata, quam magna ex parte refert ASSEMANI [8], et mentio eius prolixioris operis *Disputatio inter haereticum et christianum* [9].

Ad doctrinas christologicas quod attinet, omnes Nestorianismo adhaerent, praeter Michaelem, qui data opera eum refellit et sententiam Melchitarum seu Chalcedonensium propugnat [10].

168. IBN BUTLAN DE AZYMIS: Maiorem attentionem meretur, praesertim ob eius connexionem cum schimate Caerularii, *Abu-l-Hasan al Muhtar Iuwanis ibn al-Hasan ibn 'Abdûn ibn Sa'd,* communius appellatus IBN BUTLAN († 1067/1068), quem RENAUDOT Melchitam dixit [11], ASSEMANI autem Iacobitam [12]; fuit autem religione Nestorianus, ut clare demonstrat eius opusculum de Eucharistia a GRAF recenter editum [13].

De IBN BUTLAN sermo saepius fit ut de medico et philosopho [14], sed bene eruditus litteris theologicis quoque fuit, ut apparet in laudata opella *de Azymis,* quam scripsit Constantinopoli a. 1054, rogatu Patriarchae Michaelis Caerularii.

Auctor perpendit argumenta in favorem Azymorum, prout habentur in Commentariis Cardinalis HUMBERTI et argumenta Byzantinorum in favorem Fermentati; quae ultima partim solummodo probat. Ipse enim ducit utrumque panem valide posse adhiberi; quin, et putat Christum Dominum in Ultima Cena azymis fuisse usum. Sed paulo post Apostoli, qua erant instructi auctoritate, iusserunt fermentatum adhiberi, indoli intimae Sacramenti Eucha-

---

6 BO, III, Pars 1, 546-547.

7 Ibid., 552.

8 Ibid., 558-561.

9 Huius mentionem facit idem MICHAEL ad finem suae fidei professionis; Ibid., 561.

10 « Quibus demonstratum fuisse reor doctis et sapientibus, Christum unum esse unitate unicae subsistentiae, quae est subsistentia sempiterni Verbi; duas vero habere naturas divinam nempe indefectibilem et humanam ab ipso sibi conditam »; Ibid.

11 E. RENAUDOT, *Liturgiarum Orientalium Collectio,* II, Pa 1716, 65 s., 353.

12 BO, III, Pars 1, 546, not. 1.

13 G. GRAF, *Die Eucharistielehre des Nestorianers Al-Muhtar ibn Butlan;* OrC, III Ser., 13 (1938), 44-70, 175-195.

14 Cfr. quae de fontibus et litteratura circa ibn Buṭlan colligit G. GRAF, l. c., 44 not. 2.

ristiae aptius respondenti. Ceterum, ipse fermentatum commendat iuxta legendam nestorianam de fermento hausto ex pane consecrato a Domino in ultima Cena, paratum more Syrorum, i. e., sali, oleoque admixtum [15].

Agens vero de materia Eucharistiae Ibn Butlam palam facit suam sententiam de natura Eucharistiae, quam saepe vocat « Corpus Domini », simul vero asserit illam non esse nisi « similitudinem » seu « nudum signum » Corporis Christi. Praeterea, auctor diligenter refert duplicem sententiam circa praesentiam Christi in Sacramento Eucharistitae, quam alii realem ducunt innixi verbis: *Caro mea vere est cibus* etc.; alii vero id negant contenti morali quadam unione inter panem vinumque ad altare oblata et corpus verum Christi Domini. Huius sententiae argumenta quinque profert [16], ita ut videatur hac sententia abundare, inter Nestorianos iam diu recepta [17]. Verius autem dices de mente ibn Buṭlan Christum realiter una cum pane et vino, quorum natura perseverat, adesse, sed tantum tempore Communionis [18].

§ 2. *Iacobitae et Copti*

169. Scriptores Ecclesiae Iacobiticae: Ecclesia Iacobitica, quae hac periodo novit dominationem Byzantinorum et Latinorum in ditione Antiochena, in Hierosolymitana autem Latinorum, *fit propugnaculum doctrinae Monophysiticae*, quam non solum contra Nestorianos et Melchitas, ut antea, tuetur, verum etiam contra opiniones aliorum monophysitarum, Armenorum praesertim, qui dyophysitis Byzantinis et Latinis morem gerere coeperunt. Praeterea apud scriptores iacobitas sese prodit studium *sacros Ecclesiae ritus* commentario illustrandi, qua in re eminet Bar Salibi, omnium scriptorum iacobitarum huius temporis celeberrimus. Porro, praecipui habentur scriptores:

Patriarcha Ioannes X († 1073), scientiis tam sacris quam pro-

---

[15] G. Graf, l. c., 186.

[16] Videlicet, Evangelium loquitur de pane et vino; si Christus in Ultima Cena dedisset discipulis suam carnem et suum sanguinem, eius humanitas imperfecta remaneret, neque potest amplius in Cruce suum profundere sanguinem...; G. Graf, l. c., 183.

[17] Hanc docuere sententiam Theodorus Mopsuestenus, *Liber ad baptizandos*, ed. A. Mingana, Woodbroke Studies 6, Cambridge 1933, 74-78. Babai Magnus, *Liber de Unione;* CSCO, 61, 229; Georgius Arbelae, vel quisquis fuerit auctor *Expositionis Officiorum Ecclesiae*, ed. R. H. Connolly, CSCO, Ser. II, 92, 61-63; aliique. Cfr. TDCO, V, 303 s.

[18] W. de Vries S. I., *Sakramententheologie bei den Nestorianer*, OCA n. 133, R 1947, 212.

fanis illustris [19], scripsit contra Armenos plura; edita vero est tantum epistula ad Catholicum Armenum Gregorium II [20].

Ioannes Mardinensis episcopus († 1165) auctor fuit plurium opusculorum de Sacramentis, quae nondum edita sunt [21].

Michael I Patriarcha († 1199) plura egit, plura quoque scripsit, cum circa usus Coptorum [22], tum de aliis argumentis [23]. Eius vero praecipua laus reponenda est in Historia Ecclesiastica [24].

Dionysius bar Salibi († 1171), Iacobus — sive Didacus — baptismatis nomine dictus, primum fuit diaconus in civitate patria Melitene, deinde ab a. 1154 Marashensis episcopus. Ex eius operibus [25] in lucem typis data sunt *Commentaria in Novum Testamentum* [26], *Liturgiae espositio* [27], plura *apologetica* scripta contra Melchitas Nestorianos, Armenos et Iudaeos [28] et una tantum ex *homiliis* [29].

Theodorus bar Wahbûn († 1193), ob eius peritiam in lingua graeca, armena et arabica celebratus, partes habuit in controversiis hoc tempore in Armenia agitatis; quae vero novimus ab illo scripta res liturgicas respiciunt [30].

170. Iacobitarum doctrina de Christo Domino et de SS. Eucharistia: Vel in controversia cum aliis christianorum coetibus Iacobitae nostri magis attendunt ad usus liturgicos quam ad ipsam doctrinam de Unione; illam tamen non penitus praetermittunt, iterantes placita *monophysismi Severiani*.

---

19 GSL, 292.

20 F. Nau, *Lettre du Patriarche Jean X (1064-1075) au Catholique arménien Grégoire II;* ROC 17 (1912), 145-198.

21 GSL, 293 s. Illis vero usus est iuxta Codicem Charfet 4/1 W. de Vries S. I., *Sakramententheologie bei den Syrischen Monophysiten;* OCA n. 125, R 1940, Cfr. p. 8.

22 G. Graf, *Ein Reformversuch innerhalb der koptischen Kirche im zwölften Jahrhundert,* Paderborn 1923, 18-25; 147-180 opusculum vertit.

23 GSL, 299 s.

24 J. B. Chabot, *Chronique de Michel le Syrien, Patriarche jacobite d'Antioche,* 3 vol., Pa 1900-1910.

25 GSL, 296-298.

26 I. Sedlacek, *Dionysii Bar Salibi in Apocalypsin Actus et epistolas catholicas;* CSCO, Ser. II, 101 (1910); I. Sedlacek - I. B. Chabot - A. Vaschalde, *Dionysii Sar Salibi Commentarii in Evangelia*; CSCO, Ser. II, 98 (1906); 99 (1940).

27 H. Labourt, *Dionysii Bar Salibi Expositio Liturgiae;* CSCO, Ser. II, 93 (1903).

28 J. de Zwaan, *Dionysii Bar Salibi Tractatus contra Iudaeos,* Leyden 1906; F. Nau, *Analyse du traité écrit par Denys Bar Salibi contre les Nestoriens;* ROC 14 (1909), 298-320; A. Mingana, *Barṣalibi's treatise against the Melchites;* Woodbroke Studies 1, Cambridge 1927; Id., *The work of D. Barṣalibi against the Armenians;* Woodbroke Studies 4, Cambridge 1931.

29 J.-B. Chabot, *Discours de Jacques (Denys) Bar Salibi à l'intronisation du Patriarche Michel le Syrien;* JA, Ser. X, 11 (1908), 87-115.

30 GSL, 300 s.

Patriarcha IOANNES X excludit impietatem Nestorii et Theodori admittentium dumtaxat inter naturas unionem quandam accidentalem; reicit unicam hypostasin in duabus naturis, ut adstruunt Chalcedonenses, et confusionem inductam a Phantasiastis; ut unam naturam unamque hypostasin compositam propugnet, ad mentem, ut putat, S. Cyrilli Alexandrini [31]. Ceterum, haec ad Catholicum Armenum scribit quem eiusdem sententiae esse credit [32]. BAR SALIBI autem ut ab unione cum Melchitis arceret monachum syrum RABBAN 'Išo, tradit: « sicut lux opponitur tenebris ... ita et qui duas naturas in Christo post Unionem confitetur opponitur asserenti unam tantum naturam in Verbo incarnato » [33]. Suam vero sententiam magis quam rationibus theologicis, argumentis indolis psychologicae firmare maluit [34].

Quinimo, ut Monophysismum tueantur contra Nestorianos et Dyophysitas Chalcedonenses, nihil habent antiquius quam horum fidem suspectam reddere, recensitis discriminibus liturgicis quae adsunt. BAR SALIBI reprehendit Melchitas quod duobus digitis signare se consuescant, aliaque peragant in Missa celebranda et decantanda quae ab Antiochenorum usu plane discedant [35]. Hisce similia deprehendes in tractatibus contra Armenos, quorum usus minime ferunt Iacobitae. IOANNES X non solum Armenorum Azyma reprehendit, verum etiam alia circa festa — praesertim circa festum Nativitatis Deiparae quod agunt Armeni, omittunt vero Syri Iacobitae — Confessionem, et varias quaestiones disciplinares, vindicans mores a Iacobitis receptos [36]. Hunc vero catalogum valde auget BAR SALIBI recensens 35 discrimina inter Armenos et Iacobitas [37].

Vel ipsum pondus quod Iacobitae attribuunt vel minimis cerimoniis liturgicis, illos ducit ut data occasione libenter agitent quaestiones theologicas de Sacramentis [38], imprimis vero de *SS. Eucharistia*; qua in re plura notatu digna sunt.

De *materia* hujus Sacramenti controvertitur, ut est notum, quinam fuerit pristinus usus ecclesiae Antiochenae [39]; iacobitae vero

---

[31] F. NAU, *Lettres du Patriarche Jean X...;* l. c., 179 s.

[32] Ibid., 180.

[33] A. MINGANA, *Barṣalibi's treatise against the Melchites;* l. c., 27.

[34] Ut illum a Melchitarum commercio deterreat loquitur de ratione qua se gerunt Byzantini in sua civitate Melitenensi, vel ipsos Mahumedanos anteponentes Iacobitis et Armenis; Ibid., 28. Etiam denuntiat Graecos se omnium christianorum caput dicere; Ibid., 46-54.

[35] A. MINGANA, *Barṣalibi's treatise against the Melchites;* l. c., 19-22, 36-40.

[36] F. NAU, *Lettre du Patriarche Jean X;* l. c., 182-196.

[37] Illa ex ordine in introductione ad editionem operis exscribit A. MINGANA, *The work of D. Barṣalibi against the Armenians;* l. c., 2-4.

[38] Cfr. W. DE VRIES S. I., *Sakramententheologie bei den Syrischen Monophysiten;* OCA n. 125, R 1940.

[39] I. M. HANSSENS S. I., *Institutiones liturgicae de ritibus orientalibus,* II, R 1930, 128-137.

auctores propugnant usum *fermentati*, quem usum DIONYSIUS BAR SALIBI, Byzantinorum more, argumentis corroborat [40].

Magis attendenda est quaestio de *forma* SS. Eucharistiae, ceu de verbis consecrationis [41] et *Epiclesi*. Auctores si conferas, invenies ASSEMANUM scribentem doctrinam de Epiclesi ut forma Eucharistiae reperiri in antiquis syris auctoribus, praesertim in DIONYSIO BAR SALIBI [42]; alios vero cum LAMY [43] tradentes Iacobitas admittere vim consecratoriam verborum Domini. De mente autem BAR SALIBI disserit JUGIE [44] perinde ac si Dionysius, qui rectam sententiam tenet de efficacia verborum dominicorum, deinde, orationem epicleseos declarans [45], ostendat quonam pacto cum illa uniatur actio Spiritus Sancti. Rectius vero DE VRIES [46] contendit, textu originali syriaco innixus, Dionysium solummodo insistere in eo quod vera donorum transmutatio datur, et quidem propter verba dominica, mediante actione Spiritus Sancti. Ceterum, haec sententia recta de efficacia verborum dominicorum iam dudum a SEVERO ANTIOCHENO et IACOBO SARUGENSI aperte commendata fuit [47].

171. COPTORUM DOCTRINA DE CONFESSIONE: Praeter quosdam Patriarchas [48], qui de doctrina theologica nihil nobis scripto mandarunt, nominandi sunt copti scriptores saeculo XII:

MICHAEL DAMIETTENSIS Metropolita († post 1208) redegit *Nomocanonem* [49] necnon opus theologicum ab ABÛ L-BARAKAT commemoratum [50]; editum vero tantum novimus eius opusculum *de usibus Coptorum* [51].

PETRUS MALINGENSIS episcopus (saec. XII) auctor est *Synaxarii* quo Iacobitae utuntur et *Libri Sectarum* [52].

---

[40] *Expositio Liturgiae*, ed. LABOURT, l. c., 51; *Contra Armenos*, ed. MINGANA, l. c., 57 s.; cfr. W. DE VRIES S. I., o. c., 155-163.

[41] In quibusdam anaphoris syriacis desunt verba Institutionis; quonam pacto hoc explicari debeat silentium cfr. apud A. RAES S. I., *Les paroles de la consécration dans les Anaphores Syriennes;* OCP 3 (1937), 486-504.

[42] BO, III, Pars 2, 1730, 17.

[43] J. LAMY, *Dissertatio de Syrorum fide et disciplina in re Eucharistica*, Lovanii 1859, 36.

[44] TDCO, V, 704-708.

[45] Iuxta *Expositionem Liturgiae*, ed. LABOURT, 73, 80.

[46] W. DE VRIES S. I., o. c., 165 s.

[47] W. DE VRIES S. I., o. c., 164.

[48] Cfr. TDCO, V, 461 notitias hauriens ab E. RENAUDOT, *Historia Patriarcharum Alexandrinorum Iacobitarum*, Pa 1713.

[49] W. R. RIEDEL, *Die Kirchenrechtsquellen des Patriarchats Alexandrien*, L 1900, 91-115.

[50] W. R. RIEDEL, *Der Katalog der christlichen Schriften in arabischer sprache von Abu 'l-Barakat;* Gesellsch. d. Wiss. zu Göttingen, Phil-hist. Kl., 1902, 635-706.

[51] Germanice editum est una cum *Epistula ad Marcum ibn al-Kanbar* a G. GRAF, o. mox citando, 147-192.

[52] Illo utitur M. JUGIE A. A., *Monophysite (Église Copte)*; DTC X, (1929), col. 2268 s.

Sacerdos Marcus ibn al-Kanbar († 1208), qui tradidit rectam sententiam circa Confessionem auricularem [53].

His accensendus est Abu Salih († initio saec. XII), natione quidem armenus, sed incola Aegyptii, et auctor Historiae praecipuorum monasteriorum Aegyptii [54].

Paulus Ragaensis (saec. XII), cui tribuiur opus sub titulo *Liber confessionis Patrum*, testimoniis patristicis Monophysismum vindicans [55].

Quae ad nos usque pervenerunt et typis vulgata sunt respiciunt imprimis controversiam hoc tempore agitatam de *necessitate confessionis auricularis,* quam pro aris et focis tuitus est ibn al-Kanbar, contra usum tunc receptum in ecclesia Coptica [56].

Saeculo enim XI, probabiliter ob temporum calamitates et sacerdotum deffectum, mos invaluerat apud Coptos peccata soli Deo confitendi, quemadmodum non sine admiratione detegit Jacques de Vitry apud Coptos ad S. Ioannem ab Arce [57]. De facto vel ipsa Liturgia coptica speciales preces adhibet huic praxi confitendi, quae audit « confessio ad thuribulum » [58].

Contra hunc abusum cum insurgeret Marcus ibn al-Kanbar, consuetudinis copticae patrocinium suscepit Michael Damiettensis, edito opusculo *Usus coptorum orthodoxorum, quibus ab omnibus fidelibus, necnon ab haereticis heterodoxis secernuntur* [59], in quo innixus auctoritate Patriarcharum Ioannis V (1146-1167) et Marci III (1167-1180) et congestis testimoniis Christi Domini et Apostolorum, contendit Confessionem privatam inutilem esse contrariamque verbis et dictis Salvatoris; et talem usum numquam penes Coptos viguisse.

Metropolita facilem de simplici presbytero triumphum reportavit. Contra illum vero scripto decertarunt Abu Şalih [60] et Patriar-

---

[53] Lege de auctore G. Graf, *Ein Reformversuch innerhalb der koptischen Kirche im zwölften Jahrhundert*, Paderborn 1923, 26-34.

[54] TDCO, V, 461.

[55] De auctore nihil fere scitur; eius vero opus edidit B. T. A. Evetts, *The Churches and Monasteries of Egypt*, Oxford 1895 (arabice autem ab eodem auctore, Oxford 1894).

[56] Cfr. G. Graf, o. c., 38-71; TDCO, V, 723-728; DTC, X, col. 2286-2288.

[57] C. Renhold, *Epistolae Iacobi Vitriacensis;* ZKG 14 (1894), 97-118.

[58] Ante Communionem incensus offertur et sacerdos super incensum orationem recitat: « Deus qui suscepisti confessionem latronis super crucem gloriosam, suscipe ad te confessionem populi tui et parce illis omnia peccata eorum propter nomen tuum sanctum, quod invocatum est super eos »; H. Denzinger, *Ritus Orientalium*, I, Wirceburgi 1863, 196.

[59] G. Graf, o. c., 147-180; cfr. analysin argumentorum Michaelis ibid., 38-61.

[60] Quae nostra referunt vertit G. Graf, o. c., 135-145.

cha Iacobita MICHAEL SYRUS, qui a fautoribus Ibn al-Kanbar rogatus scripsit suam opellam *de praeparatione ad Communionem,* usum copticum omnino excludens [61].

Ceterum, quanto tempore hic abusus, quem non solum hodierni copti scriptores [62], verum etiam plures antiqui damnarunt [63], in Coptorum ecclesia obtinuerit incertum est.

§ 3. *Armenorum doctrina*

172. ARMENORUM CUM BYZANTINIS ET LATINIS COMMERCIUM: Ad rectum iudicium efformandum de litteratura theologica Armenorum hac periodo labente, oportet prae oculis habere studia Catholicorum GREGORII III Bahlavuni († 1166), NERSETIS IV Shnorhali († 1173), GREGORII IV Degha († 1193) et GREGORII VI Abirad († 1203), ad unionem cum dyophysitis Byzantinis et Catholicis ineundam, non obstantibus episcopis Armeniae Orientalis et Septentrionalis et Patriarchis Iacobitis unionem totis viribus impedientibus [64].

Anno 1146 GREGORIUS III, qui Latinorum Synodo Hierosolymitano a. 1142 interfuerat, Catholicatus sedem posuit ad Rom-Gla, in Cilicia, id quod fovit commercium cum Latinis et Byzantinis. A. autem 1165, NERSES, Gregorii frater et successor, scripto dedit fidem Armenorum ALEXIO comiti e familia Imperatoris MANUELIS COMNENI, qui ad Nersetem misit suum fideicommissum SEMPAD (1167), deinde, acceptis litteris Catholici, philosophum THEORIANUM (1170), cuius nota est sententia mitior, etiam in causa Latinorum [65].

---

[61] TDCO, V, 726.

[62] PHILOTHEUS AWAD, *Liber confessionis secretae sive sacramentalis,* Cairii 1934; cfr. testimonia IOANNIS SALAMI collecta a C. KOPP, *Glaube und Sakramente der koptischen Kirche;* OC n. 75, R 1932, 152-154; quare ab hac controversia fere praescindit M. KHOUZAM, *L'illumination des intelligences...,* R 1941; cfr. 181-186.

[63] Cfr. apud G. GRAF, o. c., 62-71 testimonia ABÛ ISHÂK IBN AL-'ASSAL, INB SABBA aliorumque commendantium praxim peccata confitendi sacerdotibus; quaenam vero mens fuerit ABÛ L-BARAKÂT dubium manet; cfr. sis, *Lampas tenebrarum;* PO, 20, 418 s.

[64] De iis cfr. J. ASGIAN, *I Patriarchi Gregorio Bahlavuni e S. Nersete IV:* Bess, Ser. II, 1 (1902), 381-386; *Il patriarcha Gregorio IV Gegha;* Ibid., 3 (1902), 188-193; Id., *Il Patriarcato di Gregorio VI detto Abirad;* Ibid., 4 (1903), 384-391; F. TOURNEBIZE S. I., *Histoire politique et religieuse de l'Arménie,* Pa (1900), 235-285; A. TER-MIKELIAN, *Die Armenische Kirche in ihren Beziehungen zur Byzantinischen vom IV bis zum XIII Jahrh.,* L 1892; E. TER-MINASSIANTZ, *Die armenische Kirche in ihren Beziehungen zu den syrischen Kirche,* L 1904; P. TEKEYAN, *Controverses christologiques en Arméno-Cilicie* (1165-1198); OCA n. 124, R 1939, 11-71.

[65] *La lettera del filosofo bizantino Teoriano sui punti controversi tra greci e latini;* Bess, Ser. III, 8 (1910-1911), 273-280; Cfr. ibid., 9 (1912), 8-14.

THEORIANOS bis egit apud Nersetem, videlicet a. 1170 et 1172. Postulabant autem Imperiales: 1. ut Armeni anathema dicerent contra Eutychen, Dioscorum, Severum et Timotheum Aelurum; 2. ut profiterentur duas naturas, duas voluntates, duas operationes in Christo; 3. ut omitterent in hymno Trisagio « qui crucifixus est pro nobis »; 4. ut adhiberent kalendarium byzantinum ad praecipua festa Christi Domini, Deiparae et Apostolorum; 5. ut relictis Azymis, fermentato uterentur; 6. ut chrisma ex olio perficerent olivarum; 7. ut fideles tempore Liturgiae a templi non discederent; 8. ut admitterent septem Concilia Generalia; 9. ut Catholicos ab Imperatore nominaretur [66]. Denique, a. 1177 Manuel ad Armenos misit una cum suis litteris epistulam synodalem a Patriarchis Constantinopolitano et Antiocheno et a 18 metropolitis obsignatam, de quibus Armeni egerunt in Concilio coadunati ad Rom-Gla a. 1179.

Res vero prorsus mutatae sunt post obitum Manuelis († 1180). Cum enim Imperator ISAACUS ANGELUS in Armenos crudeliter saeviret, GREGORIUS IV ad LUCIUM III Papam sese convertit, auctore praesertim NERSETE LAMPRONENSI, qui etiam sub Catholico GREGORIO VI strenue adlaboravit ut pax restabileretur Armenos inter et Catholicos. Quare, frustra tentata unione cum Byzantinis in Synodo Tarsensi a. 1196-1197, recedentibus vero a Rom-Glad Armenis Orientalibus, qui sibi Catholicum nominarunt BASILIUM ANI, foedus initur cum Latinis. Unio Armenorum Ciliciae perfecta est post mortem Lampronensis, in Synodo episcoporum Ciliciae ad Tarsum a. 1198, praesente Legato Romano Cardinali Conrado Wittelbachensi, a CAELESTINO III misso ut regale diadema deferret LEONI II Armeniorum regi [67].

173. SCRIPTORES ARMENI: Seculum XII initium dat aetati aureae litteraturae armenicae. Hac enim periodo duo floruerunt celeberrimi scriptores, Nerses inquam IV et Nerses Lampronensis, uterque e factione unionistica, quorum fama, reliquorum scriptorum huiusce periodi nomen obscuravit.

Catholicos NERSES IV (1166-1173) a sua sede Rom-Gla *Claiensis* (seu Glaïetsi) dictus, *Gratiosus* (shnorhali) ob eius elegantiam in scribendo tam ligato quam soluto sermone, plura nobis scripto reliquit. Omissis operibus poeticis [68], Venetiis, curante IOSEPHO CAPPELLETTI, prodiere haud pauca de re theologica, videlicet: *Epistola pastoralis*, tres *fidei confessiones* per Alexium, Sempad et Theo-

---

[66] PG, 133, 250-270.

[67] F. TOURNEBIZE S. I., o. c., 267 s.

[68] Opera poetica Nersetis typis data sunt armenice V 1830. Versa sunt quaedam ab E. DULAURIER, *Historiens arméniens des croissades*, I. Pa 1869, 226-268; F. NÈVE, *L'Arménie chrétienne et sa littérature*, Lovanii 1886, 58 s.; P. VETTER in ephem. TQ 80 (1898), 239-276.

rianum ad Imperatorem Manuelem missae, aliaeque epistulae de eodem argumento, fragmenta *Commentarii in Matthaeum, praeces liturgicae* et *homiliae* tres [69].

Magis adhuc insignis ducitur eius nepos NERSES LAMPRONENSIS († 1198) archiepiscopus Tarsensis, regali progenie clarus, cui in disputationibus cum Byzantinis et Latinis primae partes deferendae sunt. Fertur quinquaginta diversa opera conscripsisse [70]; ex his vero adiri possunt *Oratio synodalis* habita in concilio a. 1179 [71] et excerpta *Explicationis Liturgiae Armenae* [72]; armenice autem edita sunt Collectio *documentorum circa controversias cum syris et graecis* [73], *commentaria exegetica* in Psalmos, libros Salomonis et Prophetas minores [74] et nonnullae homiliae et epistulae [75].

His vero addendi sunt alii inferioris subsellii scriptores [76], ut monachi Garmir-Vankenses IGNATIUS et SERGIUS qui Sacras Litteras commentati sunt [77], MECHITAR GOSH cui plures tractatus theologici tribuuntur una cum interpretatione Ieremiae, et DAVID COBARIENSIS interpres libri Iob et homiliarum S. Gregorii Nazianzeni [78].

174. DOCTRINA CHRISTOLOGICA: Iam si quaeras quamnam hi doctores doctrinam profiteantur de duabus naturis, satis patet illos *dogmati chalcedonensi* favorem praestitisse; quinimo, etiamsi initio quidem propter reverentiam erga S. Cyrillum et ad sedandos animos formulam retineant « unam naturam », tandem, illa omissa, formulam de duabus naturis suam fecerunt.

ORMANIAN putat Nersetem IV arte fuisse usum ad decipiendos Byzantinos, quin a sententia monophysitica ne transversum quidem unguem deflecteret [79]. Id vero dici nequit. Nerses enim, qui in sua *Epistula Pastorali* formulam retinet monophysiticam: « Unus Christus et una eius persona *ex* duabus unitis naturis » [80]; illam postea

---

69 I. CAPPELLETTI, *S. Nersetis Claiensis Armeniorum Catholici opera nunc primum ex armenio in latinum conversa notisque illustrata,* 2 vol., V 1833; Id., *Epistola pastoralis S. Nersetis Clajensis*, V 1829.

70 L. ALISHAN, *Sissouan ou l'Arméno-Cilicie*, V 1899, 89, iuxta P. TEKEYAN S. I., o. c., 58 not. 1.

71 P. AUCHER, *Orazione sinodale di S. Nierses Lampronense arcivescovo di Tarso in Cilicia,* V 1812.

72 Excerpta dat gallice E. DULAURIER, *Historiens arméniens des croissades,* I, Pa 1869, 569-578.

73 Prodiere P 1788 et C 1825.

74 C 1826 edita sunt commentaria in Prophetas minores.

75 Typis datae V 1787.

76 P. SUKIAS SOMAL, *Quadro della Storia Letteraria di Armenia,* V 1829, 88-89, 100, 102.

77 IGNATII *Commentarium in Lucam* excusum est C 1735; SERGII autem *Commentarium in epistulas canonicas* C 1743.

78 Opus modo deperditum larga manu adhibuit IOANNES VANAKANUS.

79 M. ORMANIAN, *L'Église Arménienne,* Pa 1910.

80 I. CAPPELLETTI, *Epistola pastoralis,* 18.

sic explicat suis *Fidei Confessionibus* ut omnem veri nominis Monophysismi suspectum arceat: « Univit itaque nostrum cum eo quod sui ipsius est ... sic tamen ut immutabile permanserit tum accipiens, tum acceptum » [81]; « Et sicuti profitemur ex duabus naturis unum fieri, nullamque ex duabus in unione fuisse amissam; ita et de *voluntate duplici* sentiendum, non quasi divina voluntas voluntati humanae adversaretur, aut divinae humana ... » [82]; « Quapropter haud separamus, iuxta Nestorium, unum Christum in duas naturas atque in duas personas; neque, iuxta Eutychen eiusque sectatores, in unam naturam adunamus confusione et mutatione; verum duae naturae dicendae sunt nobis, iuxta Magnum Gregorium Theologum ... Quo autem modo unam dicimus naturam, nemo credat alio sensu dici, nisi ob indivisibilem unionem duarum naturarum: quod et didicimus ab orthodoxis Ecclesiae Doctoribus, praesertim a Sancto Cyrillo Alexandrino adversus Nestorium » [83].

Ferunt Nersetem in epistula quadam secreta ad Imperatorem Manuelem admisisse Concilium Chalcedonense [84]. Illud sane probavit in Synodo Tarsensi a. 1196 Nerses Lampronensis. Ad vitandum scandalum ortum ex formula una natura, « quasi Christi naturas confundentes atque in unam vertentes, quod absit vel ad mentem venire », ait: « Verum enimvero ad Ecclesiae sanctae pacem conciliandam, ad vestram aedificandam dilectionem, utque a nobis istius infundatae suspicionis offendiculum auferatur, operae pretium ducimus abstinere nos in posterum ab illo declamationis dicto *unius naturae Verbi incarnati;* sed asserere *duas naturas,* unde existentia illius ineffabilis unionis Verbi et carnis definiatur » [85].

Cum Monophysismo intime nectitur quaestio de *Hymno Trisagio,* cui Armeni, sicuti et alii Monophysitae, adhibebant verba « qui crucifixus et pro nobis », morem secuti a Petro Fullone, Patriarcha Antiocheno inductum. Byzantini in hanc additionem repetito animadverterunt [86], quibus ut satis faciant doctores Armeni declarant Trisagium cani in honorem Christi Domini.

Formulam Armenorum « Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis » Byzantini ducunt theopaschismo infectam, cum Trisagium dirigatur ad Deum trinum et

[81] I. Cappelletti, *S. Nersetis Claiensis opera,* I, 175.
[82] I. Cappelletti, *S. Nersetis Claiensis opera,* I, 212.
[83] I. Cappelletti, *S. Nersetis Claiensis opera,* I, 234 s.
[84] PG, 133, 233, 240.
[85] A. Balgy, *Historia Doctrinae Catholicae inter Armenos,* Viennae 1878, 286-287. Quonam vero sensu usurpaverat antea Lampronensis formulam cyrillianam cfr. apud P. Aucher, *Orazione sinodale di S. Nierses Lampronense,* 91.
[86] Cfr. disputationem I Theoriani; PG, 133, 185 B - 189 D.

unum. Armeni vero contendunt in Trisagio agi tantummodo de Verbo incarnato et passo, ut docet NERSES IV: « Praeterea, quoad Trisagii cantum scriptum erat nos dicere: *Crucifixus es*. Si Trisagium istud erga Trinitatem nos caneremus, quemadmodum vos, pessimus esset ingensque error dicere: *Crucifixus es*. At canimus erga Filii personam, ei offerentes grati animi sensus propter ea quae fecit nobis » [87]. Et NERSES LAMPRONENSIS in Synodo Rom-Gla 1179, quo clarius appareret apud Armenos Trisagium dirigi ad Filium, proposuit ut additio compleretur hac ratione: « qui *incarnatus* et crucifixus es pro nobis » [88].

175. ARMENI DE AZYMIS, DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI ET DE PRIMATU R. PONTIFICIS: Praeter quaestionem de duabus naturis, plures aliae Armenis obiciebantur tam a Byzantinis quam a Syris iacobitis, vix non omnes usus liturgicos respicientes. Ex illis duas tantum indicabimus. Prima est *de Azymis*, quorum usum Armeni propugnant et sibi retinent fulti usu Ecclesiae Romanae; quin et Byzantinis suadent ut eundem et ipsi morem induant.

Etsi Byzantini pluries egerint et scripserint contra Azyma Armenorum [89], de hac quaestione vix in disputationibus actum fuit. NERSES IV animadvertit et fermentatum et azymun certis quibusdam locis sacrae Scripturae commendari videri posse; re tamen vera id unum a Deo acceptum habemus ut *panis* adhibeatur in sacrificio eucharistico; reliquum, integrum est cuique suo proprio sensu abundare, proprias retinenti traditiones [90]. Hisce consonat in

---

[87] I. CAPPELLETTI, *S. Nersetis Claiensis Opera*, I, 185.

[88] A. BALGY, o.c., 288 s. Simili ratione usa Synodus Adanensis a. 1316 statuit ut Trisagium hac ratione adhiberetur: « Deus sanctus, sanctus et fortis, sanctus et immortalis, o Christe, qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis »; F. TOURNEBIZE S. I., *Histoire politique et religieuse de l'Arménie*, 311; cfr. CC, 25, col. 655-670. Ceterum ne iterum de hac quaestione loquamur, haec Armenorum explicatio, iam a S. IOANNE DAMASCENO in opusculo *de Hymno Trisagio* PG, 95, 21-61 reiecta, non fuit probata a S. Congregatione de Propaganda Fide, quae a. 1677 et 1833 Armenos catholicos prohibuit quominus additione uterentur. Antiquam vero sententiam in favorem additionis propugnavit G. AVEDICHIAN, *Sulle correzzioni fatte ai libri ecclesiastici armeni nell'anno 1677*, V 1868, 375-419; sed Synodus Patriarchalis Armena a. 1890 Constantinopoli adunata et Concilium Nationale Armenum Romae a. 1911 habitum iusserunt Armenos ut a verbis qui *crucifixus es pro nobis* in decantando Trisagio abstinerent. Cfr. de his TDCO, V, 556 s.

[89] Cfr. I. M. HANSSENS S. I., *Institutiones Liturgicae de ritibus Orientalibus*, II, Pars 1, R 1930, 156-161, et supra ad n. 135, 172. Adde NICETAM AKOMINATUM, de quo lege, sis, I. ANDREADES, Νικήτα 'Ακομινάτου τοῦ Χωνιάτου Περὶ αἱρέσεως τῶν Αρμενίων; Th 10 (1932), 47-55; Id., Περὶ τῆς αἱρέσεως τῶν 'Αρμενίων. Νικήτα 'Ακομινάτου τοῦ Χωνιάτου; Orth 7 (1932), 131-139.

[90] I. CAPPELLETTI, *S. Nersetis Claiensis Opera*, I, 216-219.

sua Oratione synodali NERSES LAMPRONENSIS [91], quo auctore Synodus Tarsensis a. 1196 dixit Armenos paratos esse ad abiciendum usum meri in Missa, si Byzantini pane azymo uti incipiant [92].

De *Processione Spiritus Sancti* antiqui Armeni formulam usurpant « ex utriusque essentia » [93], quae iuxta explicationem adhibitam induere potest sensum photianum, vel rectum et catholicum. *Utrumque* hac nostra periodo obtinet.

Ad Byzantinos loquens, NERSES IV Claiensis eorum sententiam de Processione ab uno Patre suam fecit: « Spiritus Sanctus procedit ex non principiato Patre, absque initio, persona perfecta, creaturis incomprehensibilis et ineffabilis. *Quoad essentiae causam* ex Patre solo; quoad vero habitudinem *distributionemque gratiarum* ex Patre pariter et ex Filio procedit, quemadmodum de eodem Spiritu dixit Filius; *Non loquetur a semetipso sed de meo accipiet et annuntiabit* » [94].

E contra, nos Catholicos secutus est NERSES LAMPRONENSIS, dum tradit distinguendum esse verbum ab intellectu generatum a sermone prolato qui a verbo simul et intellecto dependet; porro verbo assimilatur Filius, sermoni vero Spiritus Sanctus; « ideoque ipse Christus Iesus de Spiritu Sancto docet: *Spiritus veritatis qui a Patre procedit;* una vero subiungens: *De meo accipiet et annuntiabit vobis* » [95].

Denique *de Primatu Romano,* extra controversiam positum est illum ab Armenis Ciliciae fuisse acceptum. Testimonia vero explicita non abundant.

AZARIAN plures adducit testes de Primatu [96]; omnes vero loci adducti respiciunt primatum Divi Petri. De Romana Sede agit

---

[91] P. AUCHER, *Orazione sinodale di S. Nierses Lampronense,* 84. 88. 94.

[92] « Quod si tantam vobis humilitatem Deus concesserit ut hac in re [in Azymis] nobiscum conveniatis, debitum nobis erit, ne quid obstaculi ecclesiae unitati opponatur, aquam puro vino miscendi ad gloriam Dei »; CC 22, col. 200 B-C.

[93] Cfr. C. GALANUS, *Conciliationis Ecclesiae Armenae cum Romana,* Pars 2, I, R 1658, 395 s. et G. AVEDICHIAN, *Dissertatione sopra la processione dello Spirito Santo dal Padre e dal Figliuolo,* V 1824, qui, aliquando non sine studio partium, textus armenorum doctorum colligit de hoc argumento.

[94] I. CAPPELLETTI, *S. Nersetis Claiensis Opera,* I, 207 s.; cfr. antea ad p. 174 necnon annotationes editoris p. 207 not. 1, volentis Nersetem ab omni suspicione liberare; neque advertentis non fuisse locum in his documentis ad Manuelem Imperatorem missis rectae sententiae. M. JUGIE, secutus GALANUM, adducit verba NERSETIS IV sermone *de transitu Deiparae*: « Spiritus perennis, procedens a Patre et Filio, congloriosus et universorum Dominus »; TDCO, V, 611; quae verba frustra quaesivi apud G. AVEDICHIAN, o. c.

[95] G. AVEDICHIAN, o. c., 43.

[96] S. AZARIAN, *Ecclesiae Armenae traditio de Romani Pontificis Primatu iurisdictionis et inerrabili magisterio,* R 1870.

NERSES IV in Elegia pro Edessa urbe: « Et tu Roma mater urbium, alma et veneranda, thronus magni Petri Apostolorum principis; o Ecclesia immobilis, constructa super petram Cephae, invincibilis a porta inferi et caelum obsignatum reserens ». Et ad Manuelem Comnenum Imperatorem scribens: « Imo et accepimus quod sanctus et primus omnium archiepiscoporum Pontifex Romanus et Vicarius Petri apostoli » [97]. Luculentius adhuc, ut par erat, catholicam sententiam enuntiat Catholicos GREGORIUS VI litteris ad Innocentium III datis: « Sciatis, Domine, quod ipse [Cardinalis Legatus] nobis monstravit vestra praecepta; et nos ea multum libenter audivimus et libenter volumus legem et fraternitatem sublimis Ecclesiae Romanae, quae est mater omnium ecclesiarum, ut nos solebamus eam habere et nunc eam habemus et libenter volumus esse ad vestrum mandatum » [98].

---

97 S. AZARIAN, o. c., 67.
98 A. BALGY, *Historia doctrinae catholicae inter Armenos*, 58.

CAPUT VII

THEOLOGIA BYZANTINA SAEC. XIII
UNIO LUGDUNENSIS

176. De iterato unionis conanime ante Concilium Lugdunense II: Factum longe praecipiuum, quod veluti regnat tota hac periodo et factis singulis unitatem praestat, absque ulla controversia est Unio in altero *Lugdunensi Concilio* a. 1274 perfecta, ita ut universus fluxus Theologiae Byzantinae iure respici possit tamquam praeambula vel consequentia huius Unionis, quam Ecclesia Romana inivit cum una Ecclesia Constantinopolitana; Ecclesia enim slavica, a fortiori autem monophysitica et nestoriana, nullas in Lugdunensi pacto habuerunt partes. Quare, in hoc capite agemus tantum de litteris byzantinis.

Labor autem unioni redintegrandae impensus saec. XIII minime cessavit; quinimo alacrior fit [1], faventibus conditionibus politicis et religiosis Ecclesiae Catholicae.

Innocentius III, qui unionem cum Bulgaris et Serbis feliciter restituerat [2], Byzantinos ad unionem allicere studiose conatus est per suos legatos Petrum Capuanum et Benedictum a Sancta Susanna (1204-1206), postea vero misso Pelagio Cardinali. Frustra tamen; sicut frustrata quoque sunt desideria Theodori I Laskaris ad pacem cum Latinis instaurandam. Maiore cum probabilitate boni exitus operam suam huic negotio navavit Ioannes Vatazes Imperator Nicaeae, Byzantinis Sanctorum catalogo ascriptus [3], primo qui-

---

[1] Praeter tractatus universaliores ad n. 131 citatos, cfr. N. Osokin, Внутреннее состоянiе католической Церкви въ XIII вѣкѣ и отношенiе къ ней общества; JMNP 149 (maio 1870), 136-190; T. Popescu, *Cucerirea Constantinopolului de catre Latini ca mijloc de unire a bisericilor* (sec. XI-XIV); ST 1 (1929), 48-132; R. Janin A. A., *Au lendemain de la conquête de Constantinople. Les tentatives d'Union* (1208-1214); EO 32 (1933), 195-202; Chr. Papadopoulos, Ἀπόπειραι ἑνώσεως τῶν Ἐκκλησιῶν κατὰ τὸν χρόνον τῆς Φραγκοκρατίας ἐν ΚΠόλει; Th 14 (1936), 5-23.

[2] A. Luchaire, *Innocent III. La question d'Orient*, ed. 2, Pa 1911; H. Tillmann, *Papst Innocenz III*, Bonn 1954, p. 212-220.

[3] Cfr. de illo N. Festa, *A propos d'une biographie de St. Jean le Misericordieux;* XV 13 (1906), 1-35; K. Prächter, *Zum Enkomium auf Kaiser Johan-*

dem agens cum GREGORIO IX [4], postea vero cum INNOCENTIO IV, quo auctore omnia fere composita erant a. 1249, cum uterque — Romanus Pontifex et Imperator — morte correptus est.

MICHAEL PALAEOLOGUS, expugnata Urbe Constantinopolitana, a. 1261, URBANUM IV per litteras convenit; postea vero a. 1267 CLEMENTEM IV ad unionem incitavit, quae tandem illuxit — eheu haud duratura — in Concilio II Lugdunensi a. 1274 sub B. GREGORIO X.

177. CONDITIO ECCLLESIAE ROMANAE AD UNIONEM PROMOVENDAM: Viderint historici quid in his rebus gestis politicis artibus tribuendum sit ex parte Imperatoris. Sin autem Ecclesiam Romanam respicias, agnoscere debebis illam magis quam antea paratam esse ad opus Unionis serio aggrediendum. Romani enim Pontifices non solum invigilant Ecclesiae contra potestatis laicalis insultus strenue defendendae, verum etiam nervos omnes contendunt ut, remotis abusibus, mores clericorum ad normas veterum canonum componantur.

Huc enim tendunt *Concilia Generalia IX-XII*, videlicet Lateranense I sub CALLISTO II a. 1123, Lateranense II sub INNOCENTIO II a. 1139, Lateranense III sub ALEXANDRO III a. 1179 et Lateranense IV sub INNOCENTIO III a. 1215, in quibus sermo est de simonia, de clericorum coelibatu, de usura, de sacramentorum administratione, de reliquiis sanctorum venerandis [5]. Imo, et amorem in partem Orientalem Ecclesiae impense fovent, ut videre est in Concilio Lateranensi IV — non obstante titulo capitis [6] — et in litteris ab INNOCENTIO IV a. 1254 datis ad componendas quaestiones exortas in insula Cypri « circa ritus graecorum » [7].

Praeterea, Ecclesia Catholica, splendida sanctorum corona ornata, hoc tempore magnos illos perfectionis christianae duces mundo peperit, qui communi omnium admiratione et obsequio honorantur; SANCTUM DOMINICUM, inquam et S. FRANCISCUM

---

nes Batatzes den Barmherzigen; BZ 16 (1907), 143-148; A. HEISENBERG, *Kaiser Iohannes Batatzes der Barmherzige. Eine mittelgriechische Legende;* BZ 14 (1905), 160-233; J. MORAVCŠIK, *Der Verfasser der mittelgriechischen Legende von Johannes dem Barmherzigen;* BZ 28 (1927), 36-39.

[4] D. DEMETRESCU, *Grigoriŭ al IX-lea Papă al Romeĭ și Gherman al II-lea Patriarh al Constantinopoluluĭ;* BOR 23 (1899-1900), 601-619, 769-784.

[5] HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des Conciles,* V, 630-645, 721-738, 1080-1112, 1316-1399.

[6] « De superbia Graecorum contra Latinos ».

[7] ES, n. 449-457; *Magnum Bullarium Romanum,* III, Augustae Taur. 1858, 580-582.

Assisiensem [8], qui Orientem suo irrigatum sanguine ardenter cupiebat. Uterque proprios alumnos cito ad Orientales misit, quos inter indefesse adlaborarunt, haud raro etiam ipsam personam Romani Pontificis sustinentes.

Ordo Fratrum Praedicatorum non solum a. 1228 propriam condidit Provinciam Graeciae, verum etiam plures « Fratres Peregrinantes » ad varias Orientis gentes perlustrandas ire jussit [9]; Ordo autem Franciscanorum iam ab ineunte saeculo XIII plurimos labores exantlare coepit ad unionem cum Orientalibus promovendam [10]. Simul vero utrique cito devenerunt veluti primipili in acie controversistarum catholicorum.

In sequentibus igitur totidem articulis de scriptoribus byzantinis et latinis qui vias ad Unionem pararunt, de concordia in Concilio Lugdunensi obsignata, et de fautoribus et adversariis huius Unionis in Ecclesia Constantinopolitana ex ordine dicemus.

Art. I

Controversiae Byzantinae ante Unionem Lugdunensem

Ab ineunte saeculo XIII, Urbe Constantinopolitana a Crucesignatis expugnata, disputatio inter Byzantinos et Latinos fervere non desinit. Haec autem altercatio diversam induit speciem durante Latinorum dominatione, et posteaquam Urbs anno 1261 ad potestatem rediit Imperatorum Byzantinorum; quare, binas has periodos recte inter se discernamus oportet.

§ 1. *Sub Imperio Latino Orientali*

178. Ioannes et Nicolaus Mesarites: Prima hac periodo altercatio acrior fit; neque id mirum si attento animo perpendas quibus Imperium Latinum Constinopolitanum et Im-

8 Cfr. e. g. V. Antoniades, 'Η 700στὴ ἐπετηρὶς τοῦ ἁγίου Φραγκίσκου τοῦ ἀπὸ 'Ασσίσων; Orth 1 (1927), 285-289.

9 B. Altaner, *Die Dominikanermissionen des 13 Jahrhunderts*, Habelschwerdt 1924; R. Loenertz O. P., *La Société des Frères Pérégrinants. Étude sur l'Orient Dominicain*, R 1937.

10 G. Golubovich O. F. M., *Biblioteca bio-bibliografica dell'Oriente francescano*, Firenze 1906 ss.; E. Tisserant, *La légation en Orient du Franciscain Dominique d'Aragon* (1245-1247); ROC, 4 (1924), 336-355.

perium Byzantinum Nicaenum utantur rebus.[1] Primum vero locum inter disputationes hoc tempore habitas obtinent illae quas sustinuere cum Latinis IOANNES ET NICOLAUS MESARITES, de quibus plura scripsit August HEISEMBERG[2].

Huius opera novimus res gestas horum duorum fratrum; quorum alter, IOANNES, monachus factus, ab ALEXIO III renuntiatus fuit lector exegeseos in schola Constantinopolitana; alter vero, NICOLAUS, primum diaconus, deinde sub Imperatoribus Nicaeae Ephesinus Metropolita creatus, non minus ingenio quam eloquentia insignis fuit; uterque autem in disputationibus cum Latinis praecipuam sane partem habuit, et nomine Graecorum monachorum coram Legatis Romanis locutus est.

Nicolai scripta quaedam edita sunt. Illi enim tribuenda sunt opusculum anonymum vulgatum ab ARSENII[3] et synodales litterae quas typis dedit KURTZ[4] aliaeque epistulae. Sed scripta praecipua diu desiderata sunt. Confidebat PARGOIRE[5] fore ut iam a. 1905 in lucem ederentur; sed nonnisi a. 1923 illa excudenda curavit HEISENBERG[6].

Porro, haec scripta respiciunt collationes tres habitas contra Latinos; videlicet, mense decembri 1204, agentibus PETRO CAPUANO et IOANNE MESARITE; 30 augusti 1206 inter Patriarcham Latinum THOMAM MOROSINI et NICOLAUM MESARITEM; denique, mense decembri 1214 inter Missum PELAGII Cardinalis Legati et NICOLAUM MESARITEM, qui tunc temporis sedem ephesinam ob-

---

[1] Cfr. [P. A. SMIRNOV], Состоянiе православной Церкви въ имперiи греческой, во время владычества латинянъ въ Константинополѣ 1204–1262 г.; PTSO, XVI (1857) p. 527-577; Anon., О внѣшнемъ состоянiи восточной православной Церкви во время владычества латинянъ въ визатiйской имперiи (XIII в.); PS, 1866, I, 121-230; Higum. ARSENII, Объ отношенiяхъ церквей латинской и греческой въ перiодъ крестовыхъ походовъ; JMNP, 133 (mart. 1867), 499-543.

[2] A. HEISENBERG, *Analecta. Mitteilungen aus italienischen Handschriften byzantinischer Chronographen*, München 1901; *Nicolaus Mesarites. Die Palastrevolution des Johannes Commenos*, Würzburg 1907; Cfr. praeterea E. MARTINI e D. BASSI, *Un codice di Niccolò Mesarita;* Rendiconto dell'Accad. di Arch., lett. belle arti di Napoli, 1903, 1-14; J. PARGOIRE, *Nicolas Mésaritès, Metropolite d'Éphèse*; EO 7 (1904), 219-226; A. PAPADOPOULUS-KERAMEUS, Νικόλαος Μεσαρίτης; VV 11 (1904), 389-391.

[3] Archim. ARSENII, Три статьи неизвѣстнаго греческаго писателя, M 1892, 1-44.

[4] E. KURTZ, Три синодальныхъ грамоты митрополита ефесскаго Николая Месарита; VV 12 (1906), 99-111.

[5] J. PARGOIRE, l. c.

[6] A. HEISENBERG, *Neue Quellen zur Geschichte des lateinischen Kaisertums und der Kirchenunion*: I. Der Epitaphios des Nikolaos Mesarites auf seinem Bruder Iohannes; II. Die Unionsverhandlungen von 30 August 1206; III. Der Bericht des Nikolaos Mesarites über die politischen und kirchlichen Ereignisse des Jahres 1214, München 1923; SBBA, Jahrgang 1922, 5 Abhandlung.

tinuerat. Duobus ultimis colloquiis ut interpres interfuit Nicolaus Hydruntinus, seu ab Otranto, cuius nota est sententia in favorem Byzantinorum [7].

179. Doctrina de Primatu et de Processione Spiritus Sancti: Duo hisce colloquiis argumenta agitata sunt. Imprimis sermo fit de *Primatu* Romani Pontificis, quem impugnant adhibitis novis argumentis, quae in aliis polemicis scriptis saec. XIII recurrunt, ita ut Jugie iure optimo loquatur de « la tendance nouvelle » [8].

Prima ratio est Romanos episcopos successores non esse B. Petri, cum B. Petrus Romae episcopus non fuerit: « Card. [Petrus Capuanus]: Nonne Roma Thronus est Petri primi Apostolorum? — Monachi: Minime, Domine. Duodecim enim Apostoli ut totidem oecumenici magistri missi sunt a Salvatore nostro in universum mundum, quare, nullos habent proprios thronos ». Nec valet exemplum a Cardinali allatum de Apostolo Iacobo Hierosolymitano episcopo; iste enim Iacobus, secundum Graecos, non fuit Apostolus, sed unus e septuaginta discipulis. Quodsi S. Petrus Romam venit, non venit ut ibi episcopatum sumeret, sed ut Simonem Magum confutaret; primus autem Romanus episcopus fuit Linus [9]. Praeterea, etiam hoc dato, nullum ius primatiale exinde oriretur Romanae Sedi. Nam, « si Roma [prima est] quia Coriphaeum episcopum habuit, potiore iure Antiochia, in qua Petrus docuit octo annis antequam Romam veniret. Si propter Petrum Roma prima est, propter Iacobum fratrem Domini, qui prius episcopus fuit creatus, quique prius sanguine effuso vitam finivit, magis aequum erit Hierosolymas anteponere Romae ... » [10].

Hisce similia de Primatu Romano habentur in libello quodam anonymo [11], cuius auctorem fuisse quendam graecum a Crucesignatis captum dixit Jugie [12]. Eadem tradit Patriarcha Constantinopolitanus Ioannes Cameterus (1198-1206) suis litteris ad Pontificem Innocentium III [13], et opusculum « ad eos qui dicunt Romam primum esse thronum », Photio quidem tributum, sed saec. XII ad finem labente, uti videtur, concinnatum [14].

---

[7] Nicolai tres novimus tractatus adversus Latinos: de Spiritu Sancto, de Azymis et de coelibatu, necnon pauca quaedam alia, edita ab Arsenii, Novogrodii 1896; cfr. TDCO, I, 410.

[8] M. Jugie A. A., *Primauté dans les Églises séparés d'Orient*; DTC 13, 371.

[9] A. Heisemberg, *Neue Quellen*, I, 35; II, 22.

[10] Ibid., II, 24; III, 34-35.

[11] Archim. Arsenii, Три статьи неизвѣстнаго греческаго писателя начала XIII вѣка. M 1892, 107-109.

[12] M. Jugie A. A., a. c.: DTC 13, 372.

[13] TDCO, IV, 341, 386 s.

[14] Cfr. OCP 6 (1940), 5-39 et supra ad n. 83.

De *Spiritus Sancti Processione* disputatum fuit in collatione a. 1214 [15], evolvuntur autem duo argumentorum genera, videlicet, Sacrae Scripturae et rationis theologicae; testimonia enim Sanctorum Patrum ob productam iam controversiam afferre sunt prohibiti [16].

Sacrae Scripturae locos MESARITES interpretatur ad mentem Photii. *Quaecumque habet Pater mea sunt,* inquiunt Latini; ipse vero respondet: quaecumque substantiam divinam respiciunt, non personam. Verum addunt: *De meo accipiet;* sed haec verba accipienda sunt de meo Patre « ut vel ipsi pueri norunt ». Denique verbis illis insistunt: *Spiritus Filii sui, Spiritus Christi,* quibus nihil aliud quam consubstantialitas inter Patrem et Filium exprimitur. Tum venit ad syllogismos et dilemmata, modo trito iam a tempore Photii, cuius principia amplectitur Mesarites.

Quae cum ita sint, nihil mirum si disputandi studio permoti nicaeenses photiani theologi, resumptis viribus, maiore adhuc vi suas tueantur opiniones.

Ceterum, non adeo plures exstant dissertationes huius periodi in lucem editae ac notatu dignae. Ob dignitatem sui auctoris in memoriam revocandi sunt sermones VI et VII Imperatoris THEODORI II LASKARIS, qui toti versantur in Processione Spiritus Sancti ab uno Patre contra Latinos vindicanda [17].

180. ORTUS CONTROVERSIAE DE PURGATORIO: Hac nostra aetate novum in dogmate discrimen repertum est, videlicet *de Purgatorio.* Hoc enim argumentum prima vice [18] agitatum fuisse scimus inter Fratrem BARTHOLOMAEUM O. F. M. et Corcyrensem episcopum GEORGIUM BARDANEM [19], a. 1231 vel 1232 in monastesterio graeco Cazulensi.

---

[15] A. HEISEMBERG, *Neue Quellen,* III, 36-46.

[16] Ibid., 46.

[17] Editi sunt a B. SWETE, *Theodorus Lascaris iunior: de Processione Spiritus Sancti oratio apologetica,* Lo 1875. De auctore cfr. J. DRÄSEKE, *Theodoros Laskaris;* BZ 3 (1894), 498-515.

[18] Vulgatum fuit fragmentum quoddam circa Purgatorium NICETAE PECTORATO tributum; falso tamen; est enim supposititium. Cfr. A. PALMIERI, *La lettera del filosofo bizantino Teoriano e un testo polemico inedito di Niceta Pectoratus;* Bess Ser. III, 9 (1912), 8-14.

[19] De illis cfr. G. GOLUBOVITCH O. F. M., *Bibliotheca Bio-bibliographica della Terra Santa e dell'Oriente francescano,* I, Quaracchi 1906, 170-175; E. KURTZ, *Georgius III Bardanes, Metropolit von Kerkyra;* BZ 15 (1906), 603-613; M. RONCAGLIA O. F. M., *Géorges Bardanès métropolite de Corfou et Bartélémy de l'Ordre Franciscain,* R 1953.

Georgius, Manuelis Comneni Legatus ad Fridericum II, morbo correptus, in Monasterio constiterat, cum advenit Fr. Bartholomaeus unus e Legatis Gregorii IX ad Graecos; quem Georgius interrogavit etiam circa sortem eorum qui vitam absolvunt, poenitentia a confessore imposita nondum expleta. His ut satis faceret Bartholomaeus declaravit doctrinam catholicam de *igne Purgatorii,* quae stomachum movit episcopo [20]. Videlicet, duobus a Catholicis differt Georgius: et *igne Purgatorii,* quem negat, et *immediata retributione,* cuius loco tradit nonnisi in ultimo Iudicio hanc secundum merita uniuscuiusque retributionem fieri.

Haec autem sententia, et quidem contra Latinos, paulo post communis evasit inter Byzantinos. De Purgatorio, testante Allatio [21], scripsit Germanus II Patriarcha Constantinopolitanus [22], licet opusculum nondum sit repertum. Ad hanc etiam sententiam respiciunt Patres Dominicani Constantinopolitani in eorum tractatu « contra errores Graecorum », ut mox dicemus.

Quare, iure sane optimo hanc Graecorum de Purgatorio doctrinam oratione tangit Innocentius IV in sua epistula die 6 martii 1254 data ad suum in Cypro Legatum Cardinalem Tusculanum. In ea enim, auctoritate fretus Sacri Evangelii aliqua peccata in futuro saeculo remitti testantis, et S. Pauli de iis qui « quasi per ignem » salvantur loquentis, iniungit omnibus Catholicis, etiam Graecis, ut tueantur catholicam de Purgatorio rectamque sententiam [23]. Denique, quoniam hanc citamus epistulam, notasse iuvabit in illa quaestionem quoque institui de opinione Graecorum circa simplicem fornicationem, quam mortale peccatum non ducebant; id quod reprehensum pariter fuit a Concilio Lugdunensi II, ut nobis refert S. Albertus Magnus [24].

181. Tractatus FF. Praedicatorum Constantinopolitanorum: Plures noscuntur tractatus a FF. Praedicatoribus, qui iam ab anno 1228 Provinciae Graciae dederant initium [25], hoc tempore lucubrati. Typis vero mandatum est solummodo opusculum anno 1252 Constantinopoli editum a quodam Fratre Pantaleone nomine. Opusculum vero, cui titulus: « Tractatus contra errores Graecorum, de Processione Spiritus Sancti, de anima-

---

[20] Sic eruitur ex eius relatione Cod. Barber. Graeco 297 servata, quam adhibet M. Jugie A. A., TDCO, IV, 37.

[21] L. Allatius, *De perpetua consensione ...,* lib. II, cap. 14, n. 3.

[22] Sp. N. Lagopates, Γερμανὸς ὁ Β'. Πατρ. Κπόλεως-Νικαίας (1222-1240) Tripoli 1914. Cfr. EPh 15 (1916), 248-252.

[23] *Magnum Bullarium Romanum,* III, Augustae Taurinorum 1858, 582 s.; CC 23, 581 s.

[24] S. Albertus M., *Opera Omnia,* Bergnet 1890 ss., 33, 396.

[25] B. Altaner, *Die Dominikanermissionen des 13 Jahrhunderts,* Habelschwerdt 1924, 9 ss.

bus defunctorum, de azymis et fermentato, de obedientia Romanae Sedis » [26], auctorem habet Fr. Bartholomaeum a Constantinopoli [27].

De aliis ineditis opellis, FF. Praedicatorum opera scriptis, egit Loenertz [28], qui meminit opusculi « Sophismata Eustachii Graeci contra Latinos et confutationes eorundem secundum fratrem Nicolaum, priorem provincialem in Syria de ordine fratrum Praedicatorum » et alterius « Responsio fratris Iacobi Mediolanensis de ordine fratrum Praedicatorum ».

Ut fert titulus, hic tractatus a. 1252 exhibet praecipua capita controversa tunc temporis, adhibitis argumentis a Byzantinis usurpatis, quibus Latinorum responsa subdit; quare et speciem nobis praebet disputationis quae hac periodo Byzantii hinc inde agebatur.

Contra *Filioque* Byzantini adhibent: a) argumentum rationis, Latinis exprobrantes duo principia; hisce vero respondet auctor opusculi innixus doctrina S. Augustini, cui Graecorum Patrum consonant testimonia; scilicet, a Patre quidem « principaliter » procedere Spiritum Sanctum, sed simul per Filium, vel mediante Filio, unica Processione tamen, id quod duplex illius principium excludit [29]. b) E Traditione Byzantini sibi sumunt Theodoretum, Epiphanium, et in genere Patres qui Filio concedunt « missionem » Spiritus Sancti; sed opusculum nullam esse dicit auctoritatem Theodoreti, solvit difficultatem a S. Ioanne Damasceno petitam, cuius verba primo quidem quadam et peregrina ratione declarat, sed mox vera donat declaratione; decretum autem Ephesinum hac lege proponit ut illo solummodo vetetur corruptio Symboli, non eius amplior declaratio [30]. Denique, interpretatione SS. Patrum fretus tuetur legitimum sensum S. Scripturae, Spiritum Filii quoque esse proclamantis [31].

De *Novissimis* duobus a nobis Byzantini discriminantur: dilatione retributionis ad diem ultimi Iudicii, qui error testimoniis confutatur SS. Athanasii et Ioannis Chrysostomi [32]; et doctrina de Purgatorio, quae non solum a S. Paulo (I Cor. 3, 11-15) expresse

[26] PG, 140, 487-540.

[27] R. Loenertz O. P., *Autour du traité de Fr. Barthélemy de Constantinople contre les Grecs*; AFP 6 (1936), 361-371. De hoc tractatu pluribus disserit A. Dondaine O. P., *« Contra Graecos ». Premiers écrits polémiques des Dominicains d'Orient*; AFP 21 (1951), 320-446.

[28] R. Loenertz O. P., *La Société des Frères Pérégrinants*, I, R 1937, 77.

[29] PG, 140, 491 B-D.

[30] PG, 140, 501 D-505 B.

[31] PG, 140, 494 C-501 D; cfr. de Filioque, 487 C-510 D.

[32] PG, 140, 511-514.

docetur, verum etiam in antiquis commendatur monumentis, ut puta in operibus SS. Gregorii Nazianzeni, Basilii, Ioannis Damasceni et Athanasii [33].

In tertia distinctione: de Sacramento Altaris, agitur solummodo *de Azymis*. Huius controversiae sub Michaele Caerulario originem indicat et duo adversariorum argumenta perpendit et refutat; nimirum, de die quo Christus Dominus celebravit Ultimam Cenam et de voce « ἄρτος », quae non solum fermentatum sed azymum quoque panem denotat, ut textibus scripturisticis comprobatur [34].

Denique, quarta, ut dicitur, distinctio est *de Potestate Papae*, quem caput omnium ecclesiarum esse demonstrat contra Byzantinos, contendentes Romanos Pontifices nonnisi vi et praeter omnem ordinem hanc sibi potestatem usurpasse. Neque enim, inquiunt Graeci, licet appellare ad privilegia Petri, cum omnes Apostoli aequales inter se fuerint. Illos vero reicit enucleando privilegia Sancti Petri, quae in suis perseverant successoribus, secundum Librorum Sacrorum et Traditionis ecclesiasticae documenta [35].

Ad finem subiungit auctor quales fuerint *Schismatis causae*, vel potius, si mavis, occasiones. Quattuor assignat noster tractatus, scilicet, divisio Imperii, « Filioque » absque Graecorum consensu Symbolo additum, ratio agendi Legatorum Romanorum penes Byzantinos, et tandem depositio Photii Patriarchae [36].

Hic explicit *Liber contra Graecos*. Nam quae sequuntur alterius sunt anonymi auctoris, nonnulla colligentis excerpta ex opere Hugonis Etheriani, quemadmodum editores monent [37].

§ 2. *Sub Michaele Palaeologo Imperatore*

182. Renascentis Imperii Byzantini religiosa conditio: Iamdiu Ecclesia Byzantina duabus factionibus, inter se e regione oppositis, laborabat, « zelantium », inquam, et « politicorum » seu aulicorum [38]. Prima innitebatur praesertim monachis; altera vero vigebat in eruditorum et scriptorum aulicorum coetu. Cum vero Michael VIII Palaeologus a. 1261 Byzantii denuo potiretur, haec intestina divisio molestior fit; non solum ob Michaelis desiderium Unionis, cui zelantes obstabant, sed etiam propter depositionem Patriarchae Arsenii, a quo et zelantes nomen sor-

---

33 PG, 140, 514-518.

34 PG, 140, 526 B-539 D.

36 PG, 140, 539 D-540 D.

37 Hoc alterum opusculum datur PG, 140, 541-574.

38 A. P. Lebedev, Историческіе очерки состоянія Византійско-Восточной Церкви отъ конца XI-го до половины XУ-го вѣка, M 1902, 296 s.

titi sunt « Arsenitae »[39], contra quos Michael crudeliter saevire coepit[40].

Michael Palaeologus in rebus politicis versatissimus, minus vero in quaestionibus pure dogmaticis, ut animadvertit eius historiographus Georgius Pachymeres[41], ad avertenda pericula quae in Imperium minitabatur Carolus Angivensis princeps, unionem cum Occidente Latino et Romano Pontifice impense fovit; quin et minis adegit clerum Constantinopolitanum ut ei tandem consentiret. Imperatoris partes sustinebant « politici » seu moderati, videlicet Archidiaconus Melitiniotes, propostolarius Georgius Cyprius, rhetor Magnae Ecclesiae Holobous, et imprimis Georgius Akropolita diuturna cum Michaele VIII amicitia coniunctus[42]. Quodsi alii, ut Ioannes Beccos, Imperatori repugnare ausi sunt, poenas luere debuerunt[43].

183. Nicephorus Blemmydes. Eius vita et opera scripta: Si causa Unionis tandem aliquando obtinuit etiam inter theologos, id magna ex parte tribuendum est Nicephoro Blemmydae (1197/8-1272), cuius scripta valde contulerunt ad dilucidandam quaestionem tunc temporis longe praecipuam de Spiritus Sancti Processione.

Nicephori *res gestae* nobis innotuerunt ex quo tempore Heisenberg edidit eius « Curriculum vitae », a Blemmyda ipso ad annum 1264 (prima pars) et 1265 (pars altera) exaratum[44]. Iuvenis studiis vacavit rhetorices, arithmeticae et logicae, donec anno 1223 clero Magnae Ecclesiae Constantinopolitanae fuit adscriptus; insequenti vero anno a Patriarcha Germano, qui eo familiariter utebatur, Logotheta renuntiatus fuit. Attamen dignitatum ecclesiasticarum minime cupidus, suorum autem aequalium insectatio-

---

39 I. E. Troitski, Арсеній ... и арсениты, P 1873, 99-101.

40 A. A. Vasiliev, *Histoire de l'Empire Byzantin* (trad. du russe), II, Pa 1932, 354-358.

41 Georgius Pachymeres, *De Michaele Palaeologo*, l. V, c. X-XX; PG, 143, 817-850.

42 A. Heisenberg, *Studien zu Georgius Akropolites;* SBBA, 1899, II, 463-558.

43 PG,143, 829-834.

44 A. Heisenberg, *Nicephori Blemmydae Curriculum vitae et carmina*; Bibliotheca Scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana, Lipsiae 1896. De Blemmyda cfr. quoque J. B. Bury, *Inedita Nicephori Blemmydae,* BZ 6 (1897) 526-537; Id., *An unpublished poem of Nicephorus Blemmydes*; BZ 10 (1901), 418-423; V. I. Barvinok, Никифоръ Влеммидъ и его сочиненія K 1911; G. Mercati, « *Blemmydea* »; Bess 31 (1915), 226-238; M. K., Νικηφόρος ὁ Βλεμμύδης ὡς Παιδαγωγὸς καὶ Διδάσκαλος, NS 15 (1920), 509-520, 533-550; 16 (1921), 5-21, 105-121, 145-161, 231-243; V. Grumel A. A., *Nicéphore Blemmyde et la Procession du Saint Esprit*; RSPT 18 (1929), 636-655.

nibus lacessitus, monasticam vitam amplexus est a. 1233 et post variam admodum fortunam monachus obiit a. 1272 in monasterio quod in regione Emathia, prope Ephesum, sibi condiderat, et quidem ut scribit HEISENBERG [45], « a paucis amatus, multis offensus, a nullo non plurimi aestimatus ».

Haec autem communis omnium erga Nicephorum Blemmydem existimatio tribuenda est suis *scriptis* lucubrationibus, quas cum soluto tum etiam ligato sermone edidit. Plura enim carmina, plures libros de re medica, geographica, philosophica, ascetica et theologica nobis reliquit quae auctoris locupletissimam testantur eruditionem [46].

Blemmydae autem fama praesertim nititur suis tractatibus *de Processione Spiritus Sancti,* quorum alter ad Iacobum quendam Bulgariae archiepiscopum est directus [47], alter in gratiam Imperatoris Theodori II Duca Lascaris (1254-1258) scriptus fuit [48].

184. NICEPHORI BLEMMYDAE DOCTRINA DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI: Nicephorus *additionem* vocis « Filioque » ad Symbolum fidei nusquam probavit, ut animadvertit Patriarcha IOANNES BECCOS [49]. Quodsi iam quaeras de ipsa *doctrina* Processionis Spiritus Sancti a Patre et Filio, fatendum sane est nostrum auctorem varias atque diversas vario tempore sententias protulisse, adeo ut ALLATIUS duos dixerit eiusdem nominis scriptores exstitisse, catholicum alterum, alterum dissidentem [50]. Quo fit ut de mente Nicephori Blemmydae sententiae valde differant.

Nostri catholici scriptores, ad binos illos quos recensuimus tractatus attendentes, illum suum facere student. Ita egit LEO ALLATIUS [51], PETAVIUS [52], BERNARDUS DE RUBEIS [53] et nostra aetate M. JUGIE, cui « certum omnino est eum in his scriptis doctrinam catholicam de Processione Spiritus Sancti *a Patre et Filio* vel *per Filium* disserte propugnare » [54]. Hac in re ad nostros accedit V. I. BARVINOK [55].

---

[45] A. HEISENBERG, *Nicephori Blemmydae curriculum vitae*, XXV.

[46] Haec omnia recenset A. HEISENBERG, l. c., xxxiii-cviii, qui carmina edidit ibid., 100-133; apud PG, 142 habes *epitomen logicam* et *physicam, orationes* et *sermonem ad monachos*.

[47] PG, 142, 534-565.

[48] PG, 142, 565-605.

[49] Cfr. A. HEISENBERG, o. s., liv.

[50] L. ALLATIUS, *De ecclesiae occidentalis et orientalis perpetua consensione*, Coloniae Agripinae 1648, 397 ss.

[51] L. ALLATIUS, l. c.

[52] J. PETAVIUS S. I., *Theologia Dogmatica, de Trinitate*, (1644), lib. VI, cap. 1, par. 5.

[53] B. DE RUBEIS, *Dissertatio de Gregorii Cyprii vita;* PG, 142, 36. 59.

[54] M. JUGIE A. A., TDCO, I, 417.

[55] V. I. BARVINOK, o. c., 164 ss.

Sed generatim Graeco-slavici Nicephoro gloriantur defensore sententiae photianae. Hac mente abundant ex. gr. Dositheus [56], Patriarcha Hierosolymitanus, et post illum Eugenius Bulgaris [57] et Demetrakopoulos [58].

Mediam tenent viam alii, ducentes Blemmydam non omni ex parte adhaesisse Catholicis. Ita sibi retinent Heisenberg tradens Blemmydae post a. 1250 cordi fuisse utramque, graecam inquam et latinam, sententiam componere [59], et Grumel, quem si audias Blemmydes ab *activa* spiratione proprie dicta Filium excludit [60].

Age iam; laudati auctores agunt omnes de sententia a Blemmyda suis orationibus de Spiritu Sancto post a. 1250 scriptis tradita. Nam si sermo fiat de eius *prima sententia* constat apud omnes illum in disputationibus, quibus interfuit, a. 1234 (Nicaeae) et 1250 (Nymphaeae) sententiae photianae assertorem exstitisse.

De primo colloquio habes testimonium ipsius Blemmydae in sua *Autobiographia* [61] et verba Legatorum Romanorum Hugonis et Petri Ordinis Praedicatorum et Haimi et Radulphi Ordinis Minorum [62]. Nempe, Demetrius Caryces qui titulo ornabatur ὕπατος τῶν φιλοσόφων, argumentationibus victus iam iam erat discesurus, cum in medium prosiliit noster Blemmydes, quem Latini in eorum relatione « philosophum quendam » nominant, ut assereret Filium et Spiritum Sanctum aeque et immediate ex uno Patre esse, quin Filius egeat Spiritu neque Spiritus Filio; Filium enim qualibet ratione principium dicere est aperte contra proprietatem Patris.

In altera autem disputatione aliquantulum progreditur; nam Spiritus Sanctus est Spiritus Filii, non solum propter consubstantialitatem, verum etiam quia ad Filium *essentialiter pertinet,* a Filio *essentialiter datur,* a Filio vere, non tamen tamquam a causa, *essentialiter pendet,* sicut digitus a manu [63]. Id quod consonat fragmento edito a Patriarcha Dositheo [64].

Alia vero est sententia Blemmydae in *tractatibus* ad Iacobum Bulgariae et ad Theodorum II Laskarin, quos scripsit ante

---

[56] Dositheus, Τόμος ἀγάπης, B 1698, p. 501-502.

[57] E. Bulgaris, Ἀνάκρισις περὶ Νικηφόρου τοῦ βλεμμύδου, in opere Ιωσέφ μ. τοῦ Βρυεννίου..., III, L 7784, 309-405.

[58] A. Demetrakopoulos, Ἐκκλησιαστικὴ Βιβλιοθήκη, I, L 1866; Id., Ἱστορία τοῦ σχίσματος, L 1867, p. 50 s.; Id., Ὀρθόδοξος Ἑλλάς, L 1872, 46 s.

[59] A. Heisenberg, o. c., xlviii.

[60] V. Grumel A. A., a. c.: RSPT 18 (1929), 636-655.

[61] A. Heisenberg, o. c., 63-70.

[62] CC 23, 285.

[63] A. Heisenberg, o. c., 74-80.

[64] Dositheus, Τόμος ἀγάπης, 501-502; cfr. PG, 142, 604-605.

a. 1258, quo volvente Imperator Theodorus obiit, et quidem eo consilio ut Unionis causae inserviret [65]. Ut speciale propriumque obiectum sibi sumit formulam tueri « ex Patre per Filium », quam quidam Graecorum videntur consulto silere [66], cum sit formula edocta a plurimis Patribus, quorum nullus formulam « ex uno Patre » scripto commendavit [67].

Unum effugium foret asserere omnes locos patristicos de formula « ex Patre per Filium » corruptos esse, id quod stultum ducit Blemmydes [68]. Porro illa ratio loquendi a Patribus usurpata: per Filium apparere, exire ... Spiritum Sanctum, non solum denotat Spiritus Sancti per Filium manifestationem seu *missionem*, verum etiam *existentiam* per Filium a Patre [69].

Argumenta autem adversariorum — adversarii sunt praesertim Arsenitae — nulla haberi debent, ne quidem illud quod desumunt a Damasceno scribente « Spiritum ex Filio esse non dicimus », quae verba Blemmydes exponit sensu prorsus catholico, conceptibus vero graecis [70]. Tandem sibi obicit: « Per Filium » non habetur in Symbolo fidei; sed neque Symbolum, respondet, continet expresse omnia quae credenda sunt [71], neque in conceptu diversificantur formulae « ex Patre », prout illam refert Symbolum, et « ex Patre per Filium » [72].

Legenti patet penes Blemmydam « per Filium » tribuere Verbo *mediationem* quandam relate ad Spiritus Sancti aeternam Processionem. Verum age: qualis est ista Filii mediatio? Secundum Grumel [73] est mediatio quidem essentialis, cum Processio generationem Filii supponat, sed *non activa*, unum enim principium activum Pater est. Haec sententia, quam auctor modeste proponit, apta esset ad conciliandos hos binos tractatus de Spiritu Sancto cum disputationibus a. 1234, 1250, quas Blemmydes in sua *Autobiographia* non improbavit, necnon cum ultimo suo scripto *de fide ad monachos*. Attamen videtur testimoniis apertis

---

[65] «Cum ita me habeam et ita afficiar, et ad peritos oratio sit eosque qui pacem in Christo quaerunt et procurant »; PG, 142, 533 B; « Vos autem, praesentis temporis occasione ad multas gentes ad unionem in Christo protrahendas provocati ... »; Ibid., 560 B.

[66] PG, 142, 540 B.

[67] PG, 142, 533 B - 536 A.

[68] PG, 142, 536 B.

[69] PG, 142, 545 B.

[70] PG, 142, 557 B-D.

[71] PG, 142, 557 D - 560 A.

[72] PG, 142, 561 D.

[73] V. Grumel A. A., l. c., 651-653.

[74] PG, 142, 585-605; cfr. 604 A-D.

Nicephori in utroque nostro tractatu de Spiritu Sancto contradicere.

In iis Filium ostendi una cum Patre principium *activum* Processionis satis patere censeo. Nam 1) Blemmydes non reprehendit SS. Epiphanium, Gregorium Nyssenum ... utentes formula « ex Patre *esse* et ex Filio » [75]; 2) Filium dicit *virtutem* per quam operatio (Spiritus) ex Deo Patre est [76]; 3) ut probet « per Filium » non tollere aequalitatem inter Filium et Spiritum Sanctum adhibet argumentum *a pari*: quia generatio non impedit quominus Filius aequalis sit Patri [77]; 4) expressis verbis docet Filium habere τὸ προβλητικόν, Patrem vero etiam τὸ γεννητικόν, differentiam autem in eo consistere, non quod alter sit activum principium, alter non, sed in eo quod Filius habeat τὸ προβλητικόν, illud a Patre accipiens [78].

Nisi fallor, argumenta satis clara sunt et mentem catholicam Blemmydae in his opusculis satis demonstrant. Alia quaestio est utrum auctor hanc sententiam ad mortem usque retinuerit necne.

185. Blemmydeae doctrinae pondus: Negari nequit Nicephorum Blemmydam sua hac sententia de Processione Spiritus Sancti a Patre per Filium plurimum valuisse apud suos cives ut illi ad Romanorum doctrinam accederent. Hos inter nominandus est Ioannes Beccos, qui cum acerrime impugnaret Catholicorum dogma et Imperatoris consilium de unione Graecae cum Latina Ecclesia, in vincula coniectus, opinionem mutavit suam e lectione operum Nicetae Maronensis ac praecipue Nicephori Blemmydae [79].

Quinimo, non solum Blemmydes influit menti Byzantinorum circa hanc particularem quaestionem de Processione Spiritus Sancti, verum etiam relate ad alias controversias cum Latinis. Id autem obtinet duabus de causis; primo quidem, quia lectores ad opera SS. Patrum revocando eo ipso vim adimit speciosis illis argumentationibus, quibus photiani delectantur; secundo vero, quia hac tempestate quaestio de Filioque est totius controversiae cardo, cum vel ipse Primatus Romanus idcirco reiciatur quia Ecclesia Romana in errorem est lapsa docens Spiritum Sanctum a Filio quoque procedere. Quare, si quis hanc sententiam rectam ostendat, eo ipso errorem diluit propter quem Romanos Pontifices suis antiquis privilegiis privari contendebant Byzantini.

---

[75] PG, 142, 544 C-D.
[76] PG, 142, 541 A.
[77] PG, 142, 552 C.
[78] PG, 142, 557 B-D; cfr. 577 B ss.
[79] TDCO, I, 419.

Art. II

Controversiae cum Byzantinis penes Scholasticos saec. XIII

186. Aetas aurea Scholastices occidentalis: Ineunte saec. XIII scientia theologica magnos in Occidente progressus facit. Cultus enim Scholastices auctores perduxit ad redigendas maximas illas totius scientiae theologicae mirabiles syntheses, quarum prior habetur *Summa theologica* Alexandri Halensis, quem idcirco plures vocant « parentem Scholasticae Occidentalis » [1]; celeberrimae autem omnium habentur Summae tres, videlicet S. Bonaventurae (1221-1274), qui Augustinismum franciscanum contra Aristotelismum sustinuit [2], S. Alberti Magni (1206-1280), qui suis et operibus scriptis et discipulis tale ac tantum momentum habet [3] et S. Thomae Aquinatis (1226-1274), qui scholarum catholicarum Magister sollemniter est renuntiatus. His praesertim auctoribus Theologia catholica occidentalis illum perfectionis apicem attigit ut « scire non reformidet, nec tamen praesumat se omnia scire valere » [4].

Causas si quaeras huius mirabilis progressus, adi probatos auctores, ut Wulf [5], qui nos respicere iubet ad erectionem Universitatum Parisiensis et Oxoniensis, ad activitatem litterariam Ordinum Mendicantium et ad influxum Aristotelismi, mediantibus versionibus arabicis et hebraicis.

Theologi autem s. XIII habent iam perfectam methodum « disputationis theologicae » ab Abaelardo in opere *Sic et non* [6] inauguratam [7]; impense coluntur « rationes necessariae » adeo carae S. Anselmo, qui antea lectus quidem fuerat, sed sectatores non habuerat; saec. autem XIII « philosophus Christi » magnum in theologia influxum exercere coepit [8].

---

[1] J. d'Albi, O. M. C., *Saint Bonaventure et les luttes doctrinales de 1267-1277*, Tamines-Paris 1923, cfr. cap. II.

[2] J. d'Albi, O. M. C., o. c.

[3] M. Grabmann, *Der Einfluss Albert des Grossen auf das mittelalterlichen Geistensleben*; ZKT 52 (1928), 153-182, 313-356.

[4] M. d'Herbigny S. I., *La Théologie du Revélé*, Pa 1921, 158.

[5] M. Wulf, *Storia della filosofia Medioevale*, trad. A. Baldi, Firenze 1913, 5 ss.

[6] PL, 178, 1339-1610.

[7] G. Robert, *Les Écoles et l'enseignement de la théologie pendant la première moitié du XII siècle*, Pa 1909, 169-178.

[8] J. de Ghellinck S. I., *Le Mouvement théologique au XIII siècle*, Pa 1914, 58-63.

Maximorum horum auctorum opera consulere eo vel magis nostra refert, quod videlicet hi tres doctores arcte coniuncti sunt cum Unione Lugdunii peracta. S. BONAVENTURA enim animam Deo reddidit durante Concilio, cui indefessam navavit operam [9]; S. ALBERTUS MAGNUS lugdunensibus sessionibus ad finem usque interfuit [10]; S. THOMAS AQUINAS diem obiit supremum dum proficisceretur Lugdunium; sed mediante sua doctrina Patribus e caelis, sed vere, adfuit.

Agemus igitur de quattuor illis quaestionibus disputatis: de Purgatorio, inquam, Azymis, Primatu et Processione Spiritus Sancti iuxta commentaria horum trium theologorum; tum specialem instituemus crisin Opusculi Aquinatis « Contra errores Graecorum ».

187. DE PURGATORIO: Etiamsi Theologia catholica de Purgatorio quam maxime floreat saec. XVI, quando S. ROBERTUS BELLARMINUS suum contra Protestantes tractatum scripsit, iam saec. XIII clara et definita doctrina traditur, ut ex. gr. a S. BONAVENTURA et S. THOMA, licet neuter alludat ad controversiam cum Graecis, contentus refutatione erroris inter occidentales serpentis.

De Purgatorio concordia viguisse videtur ante saec. XII, si demas Arianos saec. IV [11] et postea Armenos quosdam et Nestorianos, si fidem geras S. BERNARDO [12]. Saec. autem XII haeresis Catharorum quae a Mare Nigro usque ad Hispaniam paucorum annorum spatio sese diffudit, Purgatorium negavit [13]. A Catharis et Byzantini dissidentes feruntur mutuasse sententiam nostro contrariam dogmati [14]. Catharorum autem error, saltem implicite, damnatus fuit in Concilio Lateranensi IV [15].

Hos ut refutaret S. BONAVENTURA, in suo ad Magistrum Sententiarum commentario [16], statuit Purgatorium esse innixus Apostolo I Cor. 3, testimonio S. Augustini et praxi Ecclesiae Deum pro defunctis exorantis. S. THOMAS adducit [17] e Sacra Scriptura II

---

9 L. WADDING, *Annales Minorum*, IV, 397.

10 L. LOË O. P., *Albert der Grosse auf dem Konzil von Lyon;* Litterarische Beilage der Köhln. Volkszeitung, 1914, n. 29.

11 Cfr. S. EPIPHANIUM, *Adv. Haer.*, 75, 3; PG, 42, 508.

12 S. BERNARDUS, *In Cant.* 66, 9-11; PL, 183, 1098-110.

13 P. BERNARD, *Purgatoire;* Diction. Apolog. de la Foi Cath., IV, 497 s.

14 Ibid., 516.

15 ES, n. 428 s.

16 S. BONAVENTURA, *IV Sent.*, dist. 20, Pars I, q. 1.

17 S. THOMAS, *IV Sent.*, dist. 21, q. 1, a. 1; cfr. *Contra Gent.*, l. IV, c. 91.

Mach. 12, 46, e Patribus vero S. Gregorium Nyssenum (locus vero adhibitus inter edita S. Gregorii non reperitur); denique ratione utens theologica concludit eum qui Purgatorium negat « a fide esse alienum »; id quod magis confirmatur « Conclusione » S. Bonaventurae.

188. De pane azymo et fermentato: De *Azymis* vero quaestio statuitur, habita prae oculis opinione Byzantinorum dissidentium. Illam autem paucis absolvunt, cum absque negotio ostendi posse putent Christum Dominum in Azymo pane consecrasse, ut eruitur ex narratione Synopticorum.

S. Bonaventura [18] tradit Dominum nostrum Azymis fuisse usum, « quia in luna 14 fecit, quando tantum comedebantur azyma », qui usus viguit in primaeva Ecclesia, donec contra haereticos fermentatum adhiberi iussum fuit. Sed postea, causa cessante, Ecclesia Romana ad pristinam rediit consuetudinem, Graeca autem fermentatum retinuit. « Tamen, tam ipsi conficiunt quam nos; hoc enim non est de substantia Sacramenti, sed de congruentia ».
Hisce consonat S. Thomas [19], qui pariter mutationem inductam fuisse dicit propter haeresin Ebionitarum contendentium una cum Evangelio legalia vetera observari oportere. Angelicus autem commemorat tritas obiectationes Byzantinorum, quas desumit a S. Anselmo, ac nominatim ab huius libro *de Fermentato et Azymo*.

189. De Primatu Romani Pontificis: *De Primatu* non adeo frequens sermo fit in libris Scholasticorum saec. XIII, adeo ut nonnulli de quadam obscuratione notionis Primatus hac nostra aetate loquantur [20]. Falso tamen; apud magnos enim Scholasticos tota haec doctrina, breviter quidem, sed plene simul atque perfecte evolvitur. Satis esset lectorem referre ad Fidei professionem a Clemente IV Imperatori Michaeli Palaeologo oblatam [21], de qua sequenti agemus articulo. Ceterum, nostri Doctores hanc de Primatu doctrinam tradere minime omittunt.

Sic S. Bonaventura, qui Romanum Pontificem supra archiepiscopos et patriarchas situm esse docet [22], de eius potestate agit ex-

---

[18] S. Bonaventura, *IV Sent.*, dist. 11, Pars II, a. 2, q. 1.
[19] S. Thomas, *IV Sent.*, dist. 11, q. 2, a. 2, quaestiunc. 3; *Summa Theol.* III, q. 74, a. 4; *Contra Gent.*, l. IV, c. 68.
[20] Illorum meminit R.-M. Schultes O. P., *De Ecclesia Catholica*, Pa 1926, 440.
[21] ES, n. 466.
[22] S. Bonaventura, *IV Sent.*, dist. 24, Pars II, a. 2, q. 3.

presse in sua *Apologia Pauperum*[23]. S. THOMAS, etiamsi, ut est notum, agens de Ecclesia, illam ut animatam a Spiritu Sancto respiciat, parumque scribat de eius hierarchica constitutione[24], nihilo tamen minus totam doctrinam paucis compendiat iam in *Commentariis in Libros Sententiarum*[25] et in aliis suis operibus[26], plenitudinem pontificiae potestatis apte declarans.

Ceterum, Aquinas non abstinet a locis quibusdam nothis, qui communiter tunc temporis recipiebantur, quin tamen supra illos tantum exstruat suas conclusiones. Verum est, ex. gr., quandoque ad pseudo-Decretalia sese referre[27]; sed eis tanquam loco theologico utitur; quare et postea ad Luc. 22, 32, tamquam ad rationem proprie dictam, appellat[28].

190. DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI. QUAESTIONIS HUIUS STATUS: Ut est planum, pluribus agunt nostri auctores de Spiritu Sancto eiusdemque a Patre et Filio Processione. Quinimo, et hoc precisse tempore *scholasticus conceptus*, ut aiunt, tandem perfectus est[29].

Imprimis vero nosse iuvat quid de ratione ipsa huius discriminis sentiant. Nam, etiamsi diversis utantur explicationibus, omnes concedunt Byzantinos nobiscum magna ex parte consentire, et explicare conantur in quo tandem *discrimen* resideat.

Si audias S. BONAVENTURAM[30] duo attente considerare debemus: « et articuli *cognitionem*, et eiusdem cogniti *professionem*. In primo orta est differentia; in secundo controversia ». In cognitione enim articuli Graeci Latinis consonant in « fundamento » — admittunt siquidem eadem Scripturae testimonia — sed differunt in « ratione » intelligendi et consequenter in « revelatione ». Scilicet, radix discriminis in eo est quod verba Scripturae sacrae quae indicant missionem Spiritus Sancti ex Filio Graeci accipiant pro motu « ex uno in alium », non « unius ex alio » ut iure interpretantur Latini. Hinc controversia propter explicitam confessionem huius veritatis in Symbolo fidei, addita voce « Filioque ».

---

23 Id., *Apologia pauperum*, n. 16.

24 M. GRABMANN, *Die Lehre des hl. Thomas von Aquin von der Kirche als Gotteswerk*, Regensburg 1903.

25 S. THOMAS, *IV Sent.*, dist. 20, q. 1, a. 4, quaestiunc. 3.

26 Id., *Summa Theol.*, II-II, q. 89, a. 3, a. 3; III, q. 72, a. 11, ad 1; *Contra Gent.*, l. IV, c. 76.

27 Cfr. II-II, q. 1, a. 11.

28 Cfr. R.-M. SCHULTES O. P., o. c., 440, not. 1.

29 Cfr. TH. DE REGNON S. I., *Études de théologie positive sur la Sainte Trinité*, II, Pa 1892, et brevius A. STOHR, *Die Hauptrichtungen der spekulativen Trinitätslehre in der Theologie des 13 Jahrhunderts:* TQ 106 (1925), 11-135.

30 S. BONAVENTURA, *I Sent.*, dist. 11, a. 1, q. 1.

Secundum S. ALBERTUM MAGNUM [31] occasionem errori praebuerunt verba S. Ioannis Damasceni: Spiritum « a Patre procedentem et in Filio requiescentem »; Spiritus igitur, nedum procedat ex Verbo, foret veluti vehiculum Verbi. Verbum enim accipiunt vocem extrinsecus sonantem; Spiritum autem assimilant flatui; secus ac nos qui Verbum dicimus per analogiam ad verbum internum, a quo proinde spiritus, seu vox, oritur.

S. THOMAS primo quidem contentus est illa Magistri sententia: « Hic ostendit Graecorum concordiam ad Latinos, quantum ad sensum, quamvis in verbis sit differentia » [32]. Accuratiorem analysin postea instituit opinionis byzantinae, quae satis accedit ad catholicam, quin omni ex parte ei consonet: « Unde etiam ipsi Graeci processionem Spiritus sancti aliquem ordinem habere ad Filium intelligunt ... Et quidam eorum dicuntur concedere quod sit a Filio, vel profluat ab eo, non tamen quod procedat » [33].

191. ARGUMENTORUM QUAE GRAECI A TRADITIONE PETUNT SOLUTIO: Nostri theologi suum esse duxerunt argumenta quae usurpantur a Graecis ad commendandam formulam « ex Patre tantum » solvere. Quod attinet ad *argumenta positiva,* optime sane et more solito omnes respondent ad illam Ephesinam prohibitionem de non immutando Symbolo fidei, quae, cum accipienda sit de non adulterando Symbolo, meram additionem non vetat. Pariter agunt de Sacrae Scripturae silentio.

Testimonia autem SS. Patrum totiens a Byzantinis iterata. perpauca sunt in commentariis nostrorum Scholasticorum de hoc argumento; fortasse quia praetermissa fuerunt a S. Anselmo [34], quare, contenti sunt iis locis, quos Petrus Lombardus suis Libris Sententiarum insertos voluit.

Inter has auctoritates maximum pondus tribuunt DAMASCENO scribenti: « Spiritum ex Filio esse non dicimus » [35]. Ab illo autem sese expedit S. BONAVENTURA aiens hac in re Damasceno non esse acquiescendum, quia tandem aliquando graecus erat et scripsit tempore quo haec coepit disputatio [36]. Eadem iterat S. THOMAS commentatus Libros Sententiarum [37]; postea vero quandam excusationem adhibet: « Quamvis a quibusdam dicatur quod Damascenus, sicut non confitetur Spiritum Sanctum esse a Filio, ita etiam

---

31 S. ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theol.*, I, tract. VII, q. 31, membr. 3.
32 S. THOMAS, *I Sent.*, dist. 11, divisio textus.
33 Id., *Summa Theol.*, I, q. 26, a. 2, c.
34 Cfr. supra ad n. 164.
35 *De Fide Orthodoxa*, l. I, c. 8; PG, 94, 832.
36 S. BONAVENTURA, *I Sent.*, dist. 11, a. 1, q. 1, ad 2.
37 S. THOMAS, *I Sent.*, dist. 11, q. 1, a. 1.

non negat ex vi illorum verborum »[38]. Inter hos vero auctores qui hac moderatione usi sunt adnumerandus est Thomae magister S. ALBERTUS MAGNUS[39], qui, illa phrasi relicta, solutionem quaerit in plena doctrina S. Ioannis Damasceni, quae sane orthodoxa dicenda est[40].

Formulam autem graecam « ex Patre per Filium » nostri auctores admittunt et explicant hac lege ut Spiritus Sanctus a Patre « principaliter » procedat, ad mentem S. Augustini, eadem fere ratione ac inter Byzantinos illam docuit Nicephorus Blemmydes[41].

192. SCHOLASTICORUM SYSTEMA DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI: Imprimis autem nervos omnes contendunt ut systemati photiano positivam doctrinam opponant de Processione Spiritus Sancti a Patre et a Filio procedentis. Age iam; infiniti pene essemus et a nostrorum studiorum tramite aberrare videremur si hoc Scholasticorum systema integre tradere velimus. Quare, satius duximus, reliquis praetermissis, unum tantum doctrinae caput respicere, quod in Concilio Lugdunensi expressis verbis recurrit: Patrem et Filium unum esse principium Spiritus Sancti.

Nostri enim scriptores, complentes doctrinam S. ANSELMI Processionem *ex deitate* Patris et Filii recta petentis et evolventes conceptus de proprietatibus divinis, circa quas S. Anselmus vaga quadam ratione locutus fuerat[42], quaestionem solvunt de *unica spiratione* et *unico principio* Spiritus Sancti, quin personas Patris et Filii inter se misceant, ut conclamabant photiani. Nam personae confunderentur si spiratio activa foret proprietas stricte sumpta seu personam constituens, secus vero si sit proprietas late sumpta seu simplex notio. Hoc pacto ipsi respondent ad praecipua obiecta Byzantinorum de absurdis ex dogmate catholico promanantibus. Porro, id diversa quadam ratione a singulis proponitur.

S. BONAVENTURA radices spirationis statuit in « fecunditate voluntatis »; Spiritus enim Sanctus a Patre et Filio procedit « in quantum sunt unum in fecunditate voluntatis ». Haec autem fecunditas voluntatis non competit Spiritui Sancto, sed tantum Patri

---

38 S. THOMAS, *Summa Theol.*, I, q. 36, a. 2, ad 3.

39 S. ALBERTUS MAGNUS, *I Sent.*, dist. XI, art. 6, sol.

40 Lege, sis, *Compendium Theologiae Orientalis*[3], R 1950, 122-124.

41 Vide, sis, S. BONAVENTURA, *I Sent.*, dist. 12, q. 3; S. ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theol.* I, tract. VII, q. 31, membr. 3; S. THOMAS, *I Sent.*, dist. 12, q. 1, a. 3; *Summa Theol.*, I, q. 36, a. 3.

42 Cfr. supra ad n. 164.

et Filio, quibus unice competit « primitas » relate ad aliam personam divinam. Cum vero una sit voluntas in Patre et in Filio, una quoque erit fecunditas, vel quod idem valet, una spiratio activa [43].

S. ALBERTUS MAGNUS et ipse defendit unitatem principii. Scilicet, Pater et Filius non spirant « in quantum Pater et Filius » neque « in quantum unus Deus » simpliciter. « Sed spirant in quantum sunt unus Deus unum spirandi principium; ita quod unus Deus dicatur propter naturae communicabilitatem, quae in Spiritum Santum transfunditur ... et unum principium dicatur propter proprietatem relativam una oppositione distinguentem personas Patris et Filii a persona Spiritus Sancti. Unde licet duo sint Spiratores Spiritus Sancti, eo quod actus spirandi geminatur secundum quod est in Spirantibus; tamen unum sunt principium spirandi, et unus simplex Spiritus est qui spiratur ab ipsis » [44]. Hoc autem tradit, tum ut dictum quoddam S. Hilarii Pictaviensis tueatur, tum ut graecum conceptum « enypostaseos » retineat [45].

S. THOMAS, qui rationem sui magistri et « duo Spiratores » adhibuit Commentariis ad Sententias [46], doctrinam complevit in Summa Theologica, ubi duo Spiratores amplius dici non sinit: « Videtur melius dicendum, quia spirans adiectivum est et spirator substantivum, possumus dicere quod Pater et Filius sunt duo spirantes propter pluralitatem suppositorum, non autem duo spiratores propter unam spirationem » [47]. Ceterum, quod unum dicendi sint Pater et Filius principium sic declarat: « Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio in quantum sunt unum in virtute spirativa, quae quodammodo significat naturam cum proprietate » [48]. Hoc pacto Angelicus distinctionem statuit inter naturam et potentiam spirandi. In divinis enim adsit necesse est virtus seu potentia qua actus notionales fiant; quare, opus est etiam admittere virtutem spirativam, in qua unum sunt Pater et Filius [49].

193. AQUINATIS OPUSCULUM « CONTRA ERRORES GRAECORUM »: In Concilio autem Lugdunensi maius adhuc ad solvendam quaestionem cum Byzantinis pondus obtinuit opusculum S. THOMAE, cui titulus: *Contra errores Graecorum,* a. circiter 1261-1264 exaratum, occasione quam narrat Aquinas in Prooemio. Nempe, cum Summus Pontifex URBANUS IV ad eum mitteret *libellum* in quo

---

43 S. BONAVENTURA, *I Sent.*, dist. 11, a. 1, q. 2.
44 S. ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theol.*, tract. VII, q. 31, membr. 3.
45 Ibid., q. 30, membr. 3.
46 S. THOMAS, *I Sent.*, dist. 11, q. 1, a. 4: « Quod dici debeat quod spirent, et sint spirantes, et sint spiratores ».
47 Id., *Summa Theol.*, I, q. 36, a. 4, ad 7.
48 Ibid., I, q. 36, a. 4; cfr. *I Sent.*, dist. 11, q. 1, a. 2 et 3.
49 Id., *Summa Theol.*, I, q. 36, a. 4 et 5; cfr. *De Potentia*, q. 2, a. 1.

auctoritates collectae erant de controversiis cum Graecis, S. Thomas illum examinat ad lumen veritatis catholicae.

Quisnam fuerit auctor istius *libelli* controvertitur. Antiquitus QUETIF-ECHARD [50] putarunt auctorem fuisse FR. BUONACCORSI BONONIENSEM, cuius tractatum ex parte edidit REUSCH [51]. Hunc si audias, auctor habendus est quidam dominicanus e Constantinopoli [52]. UCCELLI existimavit libellum ab Aquinate usurpatum identificandum esse cum tractatu quodam ab illo reperto: « Anonymi liber de Fide Trinitatis ex diversis auctoritatibus sanctorum Patrum Graecorum », cuius auctorem dixit episcopum quendam Cronotensem [53]. Recentius LOENERTZ [54] hanc sententiam probat et complet indicans episcopum Cronotensem fuisse NICOLAUM, de quo THEODORUS II LASCARIS scribit illum ad Imperatorem (accipe ad ipsum Lascarin) misisse libellum de Processione Spiritus Sancti; id quod concordat Libello Divo Thomae oblato, qui fuit ad quendam byzantinum Imperatorem directus, ut expresse legitur ad finem.

194. OPUSCULI DOCTRINA: Quid sibi proposuerit S. THOMAS in hoc suo Opusculo ipse declarat: « Proposui primo ea quae dubia esse videntur in auctoritatibus praedictis exponere; et postmodum ostendere quomodo ex eis veritas catholicae fidei et doceatur et defendatur ». En tibi totius Opusculi geminam divisionem.

In prima autem parte, ubi *crisin instituit testimoniorum* a Libello exhibitorum, S. THOMAS haud raro in errorem dilabitur, supposititia testimonia ut vera respiciens [55]. Ratus autem difficultates omnes exinde oriri quod translator ad verbum transferat, dissipat dubia quae possent moveri ex ratione loquendi Patrum Graecorum, iuxta versionem in Libello contentam, quam ipse castigat et interpretatur.

---

50 QUETIF-ECHARD, *Scriptores Ordinis Praedicatorum*, I, 156-159.

51 F. H. REUSCH, *Die Fälschungen im Tractat des Thomas von Aquin gegen die Griechen*, München 1889; Hist. Class. d. Bayer. Akad. d. Wiss, III, 690-706.

52 Id., l. c.

53 P. A. UCCELLI, *S. Thomae Aquinatis in Isaiam ..... expositiones*, R 1880, 377-442.

54 R. LOENERTZ O. P., *Autour du traité de Fr. Barthélemy de Constantinople contre les Grecs*; AFP 6 (1936), 369 s.

55 Cfr. F. H. REUSCH, l. c., cuius opinionem alii amplexi sunt ut TURMEL, quem refutat A. GARDEIL, O. P., *La documentation de Saint Thomas. Replique a M. Turmel*; RTh 2 (1904), 490.

Libello igitur, non Opusculo, tribuendi sunt errores. Quare, aquam perdunt, OUDIN [56], PROKOPOVIČ [57] aliique, qui hac de causa Aquinatem accusant. Nam ut rite animadvertit Card. FRANZELIN, « S. Thomas iussionem accepit non sane ut genuinos a suppositiis textibus discerneret, sed ut examen institueret doctrinae in illis textibus expressae » [58]. Quapropter, non criticae, sed theologicae interpretationis munus in se suscepit. Neque detractores attendere volunt, cum id facere teneantur, ad rationem et methodum quam tenuit Scholastica Medioaevalis in Patribus citandis, cui sese Aquinas accommodat [59].

In altera autem Opusculi parte [60] Aquinas, SS. Graecorum Patrum auctoritatibus fretus, demonstrare id aggreditur: « ostendendum est quomodo ex auctoritatibus in praedicto libello contentis vera fides docetur et contra errores defenditur ». Porro illud ostendit quattuor potissimis controversiis tunc temporis discussis.

Pluribus tractat de *Processione Spiritus Sancti,* et quidem methodo positiva, a qua Scholastica prorsus exulat. Scilicet, cum sa-

---

[56] J. OUDIN, *De Scriptoribus ecclesiasticis,* c. 334.

[57] TH. PROKOPOVIČ, *Tractatus de Processione Spiritus Sancti,* Gothae 1772, 210-215.

[58] I. B. FRANZELIN, *Examen doctrinae Macarii Bulgakovi... et Iosephi Langen... de Processione Spiritus Sancti,* R 1875, 233.

[59] Cfr. P. MINGES O. F. M., *Ueber alte Väterzitate bei den Scholastikern,* München 1923; M. GRABMANN, *Geschichte der scholastischen Methode,* II, 54-94.

[60] Dicendis S. THOMAS hoc adhibet praeambulum: « Unde si quis diligenter inspiciat haereticorum errores, ad hoc principaliter videntur tendere ut Christi derogent dignitati. Derogavit namque Arius dignitati Christi, dum Filium Dei coessentialem Patri esse negavit, eum asserens creaturam. Derogavit etiam Macedonius, qui dum Spiritum Sanctum creaturam esse dixit, Filio subtraxit auctoritatem spirandi divinam personam. Derogavit et Manichaeus ... Sic ergo et in hoc tempore aliqui esse dicuntur qui solvere Christum tentant eius dignitatem quantum in ipsis est minuentes. Dum enim dicunt Spiritum Sanctum a Filio non procedere, eius dignitatem minuunt, qua simul cum Patre est Spiritus Sancti spirator. Dum vero unum caput Ecclesiae esse negant, sanctam scilicet Romanam Ecclesiam, manifeste unitatem corporis mystici dissolvunt: non enim potest esse unum corpus, si non fuerit unum caput; neque una congregatio, si non fuerit unus rector: unde Ioannes 10, 16 dicitur 'Fiet unum ovile et unus pastor'. Dum vero sacramentum altaris ex azymis posse confici negant, manifeste ipsi Christo repugnant; quem prima die azymorum, quando nihil fermentatum secundum Legem debebat in Iudaeorum domibus inveniri, Evangelistae tradunt hoc sacramentum instituisse. Videntur etiam puritati ipsius sacramentalis corporis Christi derogare, ad quam Apostolus fideles exhortatur, dicens I ad Corinthios 5, quod non est epulandum 'in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis'. Huius etiam sacramenti virtutem minuunt dum Purgatorium negant, quod in Ecclesia communiter pro vivis et mortuis consecratur; cum, Purgatorio sublato, in mortuis nullam efficaciam possit habere ».

cra Scriptura dicat Spiritum esse Filii et mitti a Filio, accipere quoque de eo quod est Filii, Filium autem per Spiritum Sanctum operari, argumentatur haec omnia secum ferre Processionem Spiritus Sancti a Filio; quam doctrinam tradunt Patres Graeci, cum scribunt Spiritum Sanctum esse imaginem Filii, Filii characterem et sigillum; Spiritum Sanctum esse a Patre per Filium, profluere a Filio, etc. [61].

Ad stabiliendum *Primatum Romanum*, secundum Graecorum testimonia, per gradus ostendit Romanum Pontificem primum esse et maximum inter omnes episcopos, in cunctam Ecclesiam universalem praelationem obtinere, quinimo et potestatis plenitudinem ipsi competere, eam praesertim quae concessa est Ecclesiae ad veritates fidei auctoritative definiendas; ita ut Romano Pontifici subesse sit de necessitate salutis [62].

Tertio loco sermonem facit de *Azymis*, quae commendat auctoritate S. Ioannis Chrysostomi et aliorum Patrum Graecorum. Denique, pauca praebet de *Purgatorio*, adhibitis testimoniis S. Gregorii Nysseni et Theodoreti Cyrensis.

Hac aptissima ratione S. Thomas viam munit ad Concilium Lugdunense, cuius fuit non tam anathema pronunciare et opiniones damnare, quam concordiam proclamare utriusque Ecclesiae in quaestionibus hactenus controversis. Ceterum, hanc eandem rationem inierunt Byzantini, Unionis studiosi, ut suis persuaderent Catholicorum doctrinam de Processione, olitanae Graecorum sententiae respondere.

Art. III

De Unione in Concilio Lugdunensi II peracta

195. Animorum ad pacem religiosam dispositio: Tribus de causis B. Gregorius X Concilium Lugdunense II (XIV Oecumenicum) cogi decrevit, nempe: ut praesidium ferret christianis in Syria contra Mahumedanos bello decertantibus, ut concor-

---

[61] Cfr. de iis V. Grumel A. A., *St. Thomas et la doctrine des Grecs sur la Procession du S. Esprit;* EO 25 (1926), 254-280; M. Rackl, *Thomas von Aquin und das Trinitarische Grundgesetz in byzant. Beleuchtung;* in Xenia Thomistica 3. R 1925, 363-389.

[62] Cfr. P. A. Uccelli, *Valore dei testi citati da S. Tomaso d'Aquino nell'opuscolo contro gli errori dei Greci in rapporto alla supremazia ed infallibilità pontificia;* Divin Salvatore, a. VI, 21 Magg. 1870; F. X. Leitner, *Der heilige Thomas von Aquin über das unfehlbare Lehramt des Papstes,* Freiburg i. Br. 1872

diam cum Oriente Christiano restauraret, denique, ut morum proveheret reformationem [1]. Solent autem scriptores non catholici confidenter asserere Uionem Lugdunii sanctitam fuisse tantum ob politicas rationes [2]. Verum age; id si referatur ad B. Gregorium X et ad *Romanos* sustineri nequit.

Quantum sibi cordi esset unionem inire cum Graecis et cur illam tam vehementer fieri exoptaret patefacit Romanus Pontifex, cum suis convocationis litteris [3], tum etiam epistulis ad Imperatorem Michaelem Palaeologum et ad Iosephum Patriarcham Constantinopolitanum [4].

Idem eruitur ex opusculis ad parandos conciliares labores lucubratis, quorum duo novimus, alterum a Brunone Olomucensi [5], alterum ab Humberto de Romanis O. P. [6] exaratum.

Ut de hoc ultimo tantum agamus, Humbertus, qui cum Magister Generalis eligeretur prima sua epistula scripserat « inter ardentissima sui cordis desideria non sane minus illud esse ut ministerio et opere sui Ordinis christiani schismatici ad unitatem ecclesiasticam reverterentur » [7], hoc suo Opusculo ostendit animum in concordiam paratissimum. Praemissa enim consideratione doctrinali de Unitate Ecclesiae sub uno capite [8], obiective enumerat causas separationis; scilicet, causam « dispositivam » et « contemplativam » schismatis, necnon causas « conservativas » abalienationis Orientis ab Occidente Romano [9], ita ut dogmaticas differentias potius tamquam pretextus vel occasiones respiciat. Quare, et remedia ab ipso proposita, quin negligant prorsus discrimina in dogmate, ad tollendas divisionis radices imprimis diriguntur [10].

---

1 CC, 24, 37 s.

2 Cfr., sis, Chr. Papadopoulos, Τὸ πρωτεῖον τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης, A 1930, 239 ss.

3 CC, 24, 40 A: « Lugendum siquidem occurrit ..... quod sanctae universalis ecclesiae membra tam nobilia, eadem gravis admodum et dispendiosa substractio tanto tempore mutilavit ».

4 Ibid., 42-50. Litteras Gregorii X accurate edidit J. Guiraud, *Les registres de Grégoire X*, Pa 1892-1898.

5 Editum est a H. Höfler, *Analecten zur Geschichte Deutschlands und Italiens;* Adhandl. der hist. Klasse der K. bayer. Akad. der Wiss, München 1846, IV, 18-28.

6 CC, 24, 109-136. De hoc opusculo cfr. K. Michel, *Das opus tripartitum des Humbertus de Romanis*, Pelsör 1920; J. Sánchez Vaquero, *Causas y remedios del Cisma griego según los Latinos antes de la Unión de Lyon* (1274), Salamanca 1955.

7 B. M. Reichert, *Monumenta Ordinis Fratrum Praedicatorum Historica*, 5 (1900), 18.

8 CC 24, 120-124.

9 Ibid., 125 s.

10 Haec remedia sunt: 1. cognitio linguae graecae; 2. copia librorum graecorum; 3. frequentes nuntiorum missiones; 4. missio mercatorum et religiosorum; 5. honorabilis receptio graecorum; 6. magnatorum attractio praesertim per matrimonia; 7. cessatio Latinorum ab oppressionibus illorum; 8. caritativa

Iam si ad *Byzantinos* te convertas, dicendum est Imperatorem Michaelem Palaeologum, qui a. 1267 Pontificem Romanum per litteras convenerat [11], unionem religiosam sincero animo quaerere, et nihil intentatum relinquere ut adversarios et minis et argumentis convinceret.

Clerus Constantinopolitanus sat multus, praeeuntibus Eulogia Imperatoris sorore et monacho Iob Iasita [12], Unioni restitit, et Patriarcham Iosephum coegit ut iureiurando sese obstringeret contra Latinos [13].

Ut se haberet erga illos Imperator nobis referunt historici Nicephorus Gregoras et Georgius Pachymeres. Michael a minis non abstinuit; simul vero, opere suorum theologorum: Archidiaconi Melitiniotis, Georgii Cypri et Georgii Acropolitae [14], quibus postea Ioannes Beccos accessit, conatus est eorum difficultates theologicas superare [15].

Ceterum, in his disceptationibus non agebatur de deserenda sententia Byzantinorum, vel de corrigendo errore quolibet in ipsorum doctrina, sed quaestio erat utrum Latini in errorem inciderint ac proinde impossibilis foret unio cum illis, donec servarent sententiam de Processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, aliasque a Byzantinis acriter reprehensas [16].

196. Adunatio Concilii Lugdnensis: Die 7 maii 1274, in Ecclesia S. Ioannis, inauguratum est XIV Concilium Generale sub praesidentia Pontificis B. Gregorii X. De causa vero Graecorum agi coeptum est die 24 iunii, cum Lugdunium venit Legatio Imperialis, cui praeerat Germanus, usque ad a. 1266 Patriarcha Constantinopolitanus. Die autem 29 iunii, Principibus Apostolo-

---

servitia hinc inde inter magnates; 9. « translatio librorum nostrorum in linguam eorum, in quibus proficient ». Ibid., 128 s.

[11] N. Festa, *Lettera inedita dell'Imperatore Michele VIII al Pontefice Clemente IV*; Bess 6 (1899), 42-57, 529-532.

[12] S. Petridès, *Le moine Job;* EO 15 (1912), 40-48; S. C. Sakellaropoulos, *A propos du moine Job Mélès;* EO 17 (1914), 45-55.

[13] Huius patriarchalis iurisiurandi textum, quem falsa quadam descriptione notaverat H. Stevenson, *Codices mss. graeci Reginae Suecorum et Pii II*, 54, typis vulgavit et commentario illustravit V. Laurent A. A., *Le serment antilatin du Patriarche Ioseph I (juin 1273)*; EO 26 (1927), 396-407. Iosephus inclinat aperte in agnitionem Primatus Romani, cuius privilegia non negat; exigit vero ut praeambulum ad unionem suppressionem additionis « Filioque » in Symbolo fidei; « secus — ait — mihi prorsus impossibile est unionem fovere ».

[14] De illo cfr. K. Prächter, *Antike in der Grabrede des Georgius Akropolites auf Iohannes Dukas;* BZ 14 (1905), 479-481.

[15] Georgius Pachymeres, *De Michaele Palaeologo*, V, 12-20; PG, 143, 826-850.

[16] V. Grumel A. A., *St. Thomas et la doctrine des Grecs sur la Procession du saint Esprit;* EO 25 (1926), 257.

rum sacra, Unio obsignata est in sollemni Missa a Romano Pontifice celebrata.

Acta Concilii periere; quare contenti esse debemus iis quae nobis suppeditat *Brevis nota eorum quae in secundo concilio Lugdunensi acta sunt*[17], complenda notitiis de expeditione Nuntiorum collectis a GEORGIO PACHYMERE[18] et NICEPHORA GREGORA[19].

GREGORAS nos monet: « nulla tunc contentio incidit quae vim faceret, sed (quod ad eas res attinebat) pacata et tranquilla fuerunt omnia »[20]. Et de facto nulla praemissa fuit disputatio concordiae obsignandae; id quod tribui debet et Ecclesiae Catholicae sese ut matrem Byzantinorum exhibenti[21], et Legatis Imperialibus, nomine proprio admittentibus Professionem fidei a Clemente IV ad Michaelem missam, quam a MICHAELE obsignatam Concilio obtulit magnus Logotheta GEORGIUS ACROPOLITA[22].

197. QUAESTIONES DOGMATICAE: Praecipua sane fuit definitio doctrinae de Processione Spiritus Sancti; quam hisce praebet Constitutio Lugdunensis, ut in luce collocet concordiam Latinorum et Byzantinorum; solummodo reprobans extremas illas opiniones: *ex Patre solo,* vel *ex Patre et Filio tanquam a duobus principiis,* quae ex formulis male intellectis fluere poterant.

Una vero cum hac controversia etiam de aliis hactenus agitatis sententia ab omnibus tenenda traditur, nempe de *Purgatorio et immediata retributione,* de *Ecclesiae Sacramentis* — ubi mentio fit de *Azymis,* absque omni controversiae specie — et tandem de *Primatu* iurisdictionis Romanorum Pontificum proprio.

En tibi verba *Constitutionis* de Spiritu Sancto: « Fideli ac devota professione fatemur, quod Spiritus Sanctus aeternaliter ex Patre et Filio, non tamquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione pro-

---

[17] CC. 24, 61-68. Cfr. 64-65, ubi narrantur Graecorum adventus, necnon res gestae sollemni Liturgia die festo SS. Petro et Paulo, et die Octavae huius festi.

[18] GEORGIUS PACHYMERES, *De Michaele et Andronico Palaelogis libri XIII;* lib. V, 17, 21: PG, 143, 838-840, 850-852.

[19] NICEPHORUS GREGORAS, *Byzantinae Historiae libri XXXVII;* lib. V, 1, 2; PG, 148, 260-269. Lege, sis, A. FLICHE, *Le problème oriental au second Concile oecuménique de Lyon (1274)*; OCP, 13 (1947), 475-485.

[20] Ita habet Nicephorus agens tam de Primatu, quam de additione Filioque ad Symbolum fidei; l. c., PG, 148, 264 B.

[21] Cfr. *Il Concilio II di Lione ed il Concilio di Firenze. Roma e l'Unione dei Greci*; Istituto di Studi Romani 16 (1938).

[22] HÉFÉLE-LECLERCQ, *Histoire des Conciles,* 6 2, Pa 1914, 172-177.

cedit: hoc professa est hactenus, praedicavit et docuit, hoc firmiter tenet, praedicat, profitetur et docet sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium et magistra; hoc habet orthodoxorum Patrum atque Doctorum, Latinorum pariter et Graecorum incommutabilis et vera sententia. Sed quia nonnulli, propter irrefragabilis praemissae veritatis ignorantiam in errores varios sunt prolapsi: Nos, huiusmodi erroribus viam praecludere cupientes, sacro approbante Concilio, damnamus et reprobamus qui negare praesumpserit aeternaliter Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere: sive etiam temerario ausu asserere quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio, tanquam ex duobus principiis, et non tanquam ex uno, procedat » [23].

Professio autem *fidei* haec habet inter alia: « Credimus ... quod si vere poenitentes in caritate decesserint, antequam dignis paenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis: eorum animas poenis purgatoriis seu catharteriis, sicut nobis frater Ioannes explanavit, post mortem purgari; et ad poenas huiusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta. Illorum autem animas, qui post sacrum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quae post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutae, prout superius dictum est, sunt purgatae mox in caelum recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas ... ».

« Sacramentum Eucharistiae ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens et docens quod in ipso sacramento panis vere transsubstantiatur in corpus et vinum in sanguinem Domini nostri Iesu Christi ».

« Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere: sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare: et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest iudicium recurri: et eidem omnes ecclesiae sunt subiectae, ipsarum praelati oboedientiam et reverentiam sibi dant. Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partes admittit; quarum multas et patriarchales praecipue diversis privi-

---

[23] CC, 24, c. 81 B-D; ES, n. 460.

legiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen observata praerogativa tum in generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva » [24].

Denique, occasione Concilii, Byzantini alia quaedam valuerunt corrigere, ut illam de simplici fornicatione sententiam, perinde ac si talis fornicatio veniale tantum peccatum foret [25].

198. Byzantinorum post Unionem sententia ad mentem Georgii Acropolitae: Byzantinos Lugdunii sincere admisisse catholicam doctrinam infertur ex orationibus Capuae anno 1274 habitis a Magno Logotheta Georgio Acropolita in laudem Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli.

Georgius [26] discipulus fuerat Nicephori Blemmydae, et licet rebus civilibus implicatus iam ab anno 1264, quando munus suscepit Magni Logothetae, theologicis studiis vacavit quoque; ut ostendunt tres eius tractatus de Processione Spiritus Sancti, quorum duo primi vindicant sententiam photianam [27], tertius vero tuebatur dogma catholicum, qua de causa et hic liber igne consumptus est tempore Imperatoris Andronici II [28].

Unione vero Lugdunii peracta, Capuam cum pervenisset, ab archiepiscopo Marino de Eboli rogatus, conscripsit orationem seu *encomion in honorem SS. Petri et Pauli,* hac quidem lege, ut locos evangelicos de Primatu uni Petro inter Apostolos attribuat. Petrus enim Paradisi claves detinet, estque fundamentum Ecclesiae supra illum aedificatae, siquidem uni Petro, cuius fides nunquam deficiet, Dominus pastoralem totius Ecclesiae sollicitudinem commissam voluit [29].

---

[24] CC, 24, 69-72; ES, nn. 464, 465, 466. Frater autem Ioannes, de quo sermo fit, habendus est Fr. Ioannes Parastron O. F. M.

[25] Ita habet S. Albertus Magnus, *Summa Theologica,* II, q. 122, art. 2: « Et propter hoc Graeci qui dicebant quod fornicatio non esset mortale peccatum, in Concilio Lugdunensi coacti sunt hoc revocare »; *Opera omnia,* t. 33 (Pa 1895), 396.

[26] A. Heisenberg, *Georgii Acropolitae Opera;* Bibliotheca Scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana, vol. I-II, L 1903. Agit de Georgii vita et scriptis in Introductione ad II volumen.

[27] Horum alter editus est a Demetrakopoulo, Ἐκκλησιαστικὴ Βιβλιοθήκη, 395-410.

[28] TDCO, t. I, p. 423.

[29] Oratio edita est ab A. Heisenberg, o. c., vol. II, 81-111. Cfr. prae aliis 83, 97, 102, 104. Editor, licet agnoscat Georgium plerumque rationibus etiam politicis ad unionem fovendam pertrahi, hanc orationem ducit « opusculum dignum quod legatur et ob artem rhetoricam et ob sententias de rebus dogmaticis ibidem prolatis. Quamquam enim nullo loco illud: ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορευόμενον, scriptor defendit, tamen nihil aliud maiore desiderio eum expetere videmus nisi pacem et concordiam ecclesiarum »; o. c., vol. II, xxi.

199. Unionis Lugdunensis vicissitudines in Urbe Byzantio: Quodsi in Italia Unio ecclesiastica, nemine reclamante, proclamari poterat, Constantinopoli permagnas difficultates experta fuit, praesertim ex parte Patriarchae depositi Iosephi, qui ad monasterium Periblepti sese receperat, monachorum et cleri inferioris, Arsenitarum, qui hanc nacti occasionem vires resumunt et quorumdam etiam membrorum ipsius familiae imperialis, quae hac de causa Michael in carcerem detrudit [30]. Quo factum est ut etiamsi omnia tentaret, minime valuerit Imperator suorum subditorum consensum extorquere. Quin, et ipse Michael VIII, non sine aliqua veri specie, suspectus haberi coepit a successoribus Gregorii X, qui iterum iterumque plenam erga Romanam Sedem eiusdemque Legatos submissionem ab illo expostulabant [31].

Nihil sane mirum si Romani Pontifices, experientia edocti quantum huic negotio difficultatis inesset, multa provideant ut Constantinopolitanos ad Unionis castra pertraherent. Neque omnia aeque feliciter excogitata sunt. Byzantinis enim minime arridere poterat instructio Nicolai III ad suos Legatos, haec inter alia iniungens: *Filioque* Symbolo inseratur; e suis *Ritibus* eos tantum Byzantini servabunt, in quibus nullum sit erroris periculum; Graeci omnes absolutionem petant a Nuntiis de *censuris* quas incurrerunt; posteaquam Symbolum auctum acceptaverint, tam Patriarcha quam Episcopi *confirmationem* pontificiam impetrare debent [32]. His autem, praesertim quaestioni de Filioque, restitit Michael, qui tamen litteras ad Pontificem humanitate plenas dedit.

200. Unionis solutio: Quae cum ita se habeant, Pontifex Martinus IV, ductus fortasse intima sua cum Carolo Angevensi necessitudine, spem abiecit et maluit unitatem et pacem ecclesiasticam a militari, quam parabat Carolus, expeditione repetere. Quare, die 18 novembris 1281, contra Michaelem et suos om-

---

[30] Georgius Pachymeres, *De Michaele et Andronico Palaeologis libri XIII*, lib. VI, 16; PG, 143, 918.

[31] Praeter ea quae habentur supra ad n. 176, vide, sis, M. Viller S. I., *La question de l'Union des Églises entre Grecs et Latins depuis le concile de Lyon jusqu'à celui de Florence;* RHE 17 (1921), 262-269; V. Grumel A. A., *En Orient après le II Concile de Lyon*; EO 24 (1925), 321-325; Id., *Les Ambassades pontificales à Byzance après le II Concile de Lyon* (1274-1280), EO 23 (1924), 437-447; Id., *Le second Concile de Lyon et la réunion de l'Église grecque*; DTC, IX, 1391-1410; M. Jugie A. A., *Le Schisme Byzantin*, Pa 1941, 259-260.

[32] Textum integrum praebet E. Martène O. S. B., *Veterum Scriptorum Collectio*, t. VII, Pa 1793, 265-266.

nes excommunicationis sententiam tulit. Hisce non obstantibus, Unio penes Byzantinos penitus non cessavit, donec, MICHAELE vita functo, eius loco suffectus est Imperator ANDRONICUS II, qui anno 1283, Synodo coacta, Unionem Lugdunensem irritam declaravit [33].

MICHAEL, notitia accepta excommunicationis, nomen Pontificis a diacono commemorari prohibuit; ast non fuit ausus Unionem cum Ecclesia Romana penitus dissolvere, ostendens se a Romana Sede nolle discedere etiamsi a MARTINO Papa recedat [34]. Tum, ad bellum contra Carolum Angevensem profectus, victoriam cum retulisset ad urbem Beogradensem, animam efflavit die 11 decembris anno vertente 1282, « singulare illud spectaculum mundo demonstrans, hominis videlicet anathemate perculsi a duabus Ecclesiis, quas inter se unire studuerat » [35].

Eius enim filius ANDRONICUS II, qui parenti ecclesiasticam sepulturam ob Unionis crimen denegaverat, declaravit se nonnisi vi coactum paci Lugdunensi consensisse, Unionis studiosos damnatos voluit, eorumque scripta in favorem Latinorum concinnata igni tradere iussit. Denique, catholico Patriarcha IOANNE BECCOS sede pulso, throno Constantinopolitano restituit Patriarcham IOSEPHUM. Haec autem omnia peracta sunt Synodis ann. 1283 et 1285 ad Blachernas coadunatis [36].

ART. IV

Byzantini scriptores fautores et adversarii Unionis Lugdunensis sub Andronico II

201. UNIONIS LUGDUNENSIS FAUTORES: IOANNES BECCOS: Reiecta Unione ab Imperatore ANDRONICO II et a suis Synodis, Byzantii non penitus defuere qui doctrinam catholicam tueri pergerent, vel extremo vitae periculo facto. Horum vero dux exstitit IOANNES BECCOS, primo quidem tempore in Latinos infensus valde; sed posteaquam Unionis causam amplexus fuit, BECCOS nemine fuit secundus in illa strenuissime vindicanda [1].

---

[33] S. PETRIDÈS, *Sentence Synodique contre le clergé unioniste* (1283); EO 14 (1911), 133-136.

[34] GEORGIUS PACHYMERES, *De Michaele et Andronico Palaeologis libri XIII*, lib. VI, 30; PG 143, 968-969.

[35] M. VILLER S. I., a. c., 267.

[36] De altera Synodo cfr. V. LAURENT A. A., *Les signataires du second concile de Blachernes*; EO 26 (1927), 129-149.

[1] Tanti viri hactenus desideratur biographia, cui adornandae a multis iam annis V. LAURENT A. A. vacat, qui brevissimam simul et accuratam notitiam Ioannis dedit in Lexikon für Theologie und Kirche, 5 (1933), 481-882.

IOANNES BECCOS, patria nicaenus, iuvenis adhuc legatione functus est ad Serbiae et Galliae principes. In carcerem coniectus, propterea quod totis viribus obsisteret MICHAELI VIII in Unionem proclivi, sententiam mutavit suam, et litteras ad Pontificem GREGORIUM X obsignavit. Acto vero Concilio Lugdunensi, a. 1275 renunciatus est Patriarcha Constantinopolitanus sub nomine IOANNIS XI; quo munere functus est ad annum usque 1282, quando ab ANDRONICO II in exilium et custodiam actus est. Obiit autem mense martio 1297 [2].

IOANNES BECCOS quamplurima scripsit opera. Nescimus utrum libros ediderit, dum in castris erat photianorum; quae enim modo habemus, opera et studio PETRI ARCUDII [3], LEONIS ALLATII [4], HUGONIS LAEMMER [5] collecta [6], a IOANNE tempore sui Patriarchatus et depositionis redacta sunt omnia; eis vero alia adiungenda forent, quae hactenus in archiviis delitescunt.

Ex iis quae novimus tria sunt opera praecipua, videlicet, *de Unione ac pace Ecclesiarum Veteris et Novae Romae, Epigraphae sive Praescriptiones* et *de Processione Spiritus Sancti* [7].

Alia sunt polemica contra photianam sententiam, nimirum: *Refutatio Mystagogiae Photii, Liber in Andronici Cameteri animadversiones, Confutatio Tomi Georgii Cyprii, Antirrheticus contra Georgium Moschabarum* et opus *de origine et indole schismatis,* cuius vulgatum est fragmentum ab ALLATIO sub titulo *de pace ecclesiastica* [8].

Alia ad suos amicos in fide roborandos tendunt, ut sunt illa: *Ad Theodorum Sugdeae episcopum libri tres,* et *Ad Constantinum* [Melitinioten] *libri quattuor* [9].

Reliqua versantur in rebus a se gestis, uti sunt: *Epistula ad Nicolaum III* [10], *Fidei professio, Oratio de iniusta sui depositione, Apologia* et *Testamentum* [11].

Haec autem IOANNIS BECCI scripta apud Catholicos magna semper existimatione habita sunt [12]; Byzantinorum vero separatorum iudicium non semper aequum fuit. IOANNEM enim versatilem atque

---

[2] Sic V. LAURENT A. A. in Lexikon, corrigens quae scripserat ipse in articulo: *La date de la mort de Jean Beccos*; EO 25 (1926), 316-319.

[3] P. ARCUDIUS, *Opuscula aurea theologica*, R. 1629.

[4] L. ALLATIUS, *Graecia Orthodoxa*, R 1652, 1659.

[5] U. LAEMMER, *Scriptorum Graeciae Orthodoxae Bibliotheca selecta*, Friburgi Br. 1864.

[6] Illa omnia modo habentur in MIGNE, *Patrologia Graeca*, vol. 141, cc. 15-1032.

[7] PG, 141, 15-157, 613-724, 157-276.

[8] PG, 141, 725-804, 395-613, 863-925, 925-941.

[9] PG, 141, 289-337, 337-396.

[10] Card. J. B. PITRA, *Analecta novissima*, Pa 1885, 611-613.

[11] PG, 141, 943-949, 949-1009, 1009-1020, 1027-1032.

[12] R. SOUARN AA, *Tentatives d'Union avec Rome. Un patriarche grec catholique au XIIIe siècle*; EO 3 (1909), 229-237, 351-360.

sibi ipsi minime constantem, quin et theologica scientia orbatum, nonnulli pronuntiare ausi sunt [13].

202. Alii Byzantini catholice sentientes: Becco autem adstipulantur pauci sane sed bonae notae scriptores Byzantini; quibuscum agmen ducunt Fratres quidam Ordinis Praedicatorum constantinopolitani.

Inter strenuissimos sententiae catholicae propugnatores nominandi sunt Constantinus Melitiniotes, Ioannis Beccos amicissimus ac fidelissimus socius et Georgius Metochita, Ioannis nostri discipulus, eiusdemque in patiendo et scribendo ardorem insigniter aemulaus.

Constantinus nobis mandavit tractatum *de Processione Spiritus Sancti* [14]; Georgius vero plura concinnavit opera, quorum nobis servata sunt fragmenta quinque ex *Libro de Processione Spiritus Sancti, Refutatio trium capitum Maximi Planudis, Refutatio Manuelis Moschopoulos* [15] et opus historicum *de origine et evolutione schismatis* [16].

Nec minore vi armis decertarunt *Patres Dominicani* in Byzantino Imperio vitam agentes. Hoc enim tempore et Fr. Simon a Constantinopoli aliquos saltem suos tractatus *de Processione Spiritus Sancti* redegit [17]. Simoni autem sociandi sunt anonymus quidam Nigropontiani Conventus incola [18], et alius qui a. 1305, Constantinopoli scripsit *contra errores Orientalium et Graecorum* [19].

203. Unionis adversarii. Georgius Moschabarus: Sub Andronico II multi numerantur scriptores antilatini, quorum plures, regnante Michaele VIII, Unionis causam ardenter promovere. Unus fere est qui eadem semper sententia abundavit Georgius Moschabarus [20], Nicephori Blemmydae discipulus, postea ve-

---

13 Haec est mens D. Zotos, Ἰωάννης ὁ Βέκκος πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης ὁ λατινοφρών, München 1920. De hoc opere cfr. V. Grumel A. A., *Un ouvrage recent sur Jean Beccos patriarche de Constantinople*; EO 24 (1925), 26-32.

14 PG, 141, 1031-1274.

15 PG, 141, 1275-1305, 1307-1405.

16 A. Mai et J. Cozza-Luzzi, *Patrum Bibliotheca*, t. VIII, R 1871, 1-227; t. X, R 1905, 319-370.

17 A. Dondaine O. P., « *Contra Graecos* »; AFP 21 (1951), 405; R. Loenertz O. P., *La Société des Frères Pérégrinants*, R 1937, 79, recensent quattuor tractatus de Processione Spiritus Sancti, quorum ultimus, servatus in cod. Sinait. gr. 1706, directus est ad Imperatorem Andronicum II.

18 A. Dondaine O. P., l. c., 408-418. De auctore cfr. p. 414.

19 A. Dondaine O. P., l. c., 418-422. Hoc eodem tempore Fr. Bartholomaeus a Constantinopoli adornavit novam editionem Opusculi anni 1252.

20 V. Laurent A. A., *Un polémiste grec de la fin du XIIIe siècle. La vie et les oeuvres de Géorges Moschabar*; EO 28 (1929), 129-148; Id., *A propos de Géor-*

ro, ab anno 1281, professor in Oecumenico Didascalio, ubi una cum Sacra Scriptura, rhetoricam docuit et philosophiam [21].

Ante Concilium, reticito nomine — id quod ei vitio vertit IOANNES BECCOS [22] — vulgavit suum *Dialogum contra quendam Perdicatorem* [sic] et lucubrationem *de Spiritu Sancto contra Pneumatomachos,* volens confutare Patres Dominicanos.

Sublata iam Unione, creatus est Chartophylax et proprio nomine edidit *Refutationem seu capita antirrhetica dogmatum et scriptorum Beccou, Demonstrationem quod non existit tale blasphemum caput Magni Patris Damasceni, quod fertur « De divinis nominibus accuratius », Declarationem orthodoxiae Patriarchae Cyprii* [23].

204. GEORGIUS CYPRIUS, EIUSQUE SCRIPTA: GEORGIUS CYPRIUS, tempore MICHAELIS VIII Unionis causam ardentissime sustinuit; sub regno autem ANDRONICI II, mutata sententia, Unionem Lugdunensem totis viribus impetit, adeo ut hac de causa in Patriarcham Constantinopolitanum eligeretur sub nomine GREGORII II anno 1283. Sede vero sua privatus fuit anno 1289. Obiit autem exul in monasterio Aristeni a. 1290.

Hinc factum est ut duabus vicibus cum IOANNE BECCO contenderet: scilicet, a. 1273, ut IOANNI persuaderet Latinos recte sentire, et a. 1283, vindicans sententiam photianam contra eundem IOANNEM, cuius loco, post mortem Iosephi Patriarchae, a. 1283 suffectus est.

Scripta vero prioris aetatis deperdita sunt. Tantummodo nobis servata fuere quae adversus unionistas composuit, nempe, *Expositio Tomi fidei adversus Beccum, Apologia pro Tomo suo, De Processione Spiritus Sancti,* necnon *Orationes* et *Epistulae* [24], novis quibusdam scriptis a diversis recentiore tempore editis [25] complenda.

---

ges Moschambar, polémiste antilatin. Notes et rectifications; EO 35 (1936), 336-347.

[21] Hic nempe mos obtinuerat, ut videre est apud F. FUCHS, *Die höheren Schulen von Konstantinopel in Mittelalter,* L 1925, 36 s., 73.

[22] In scripto Antirrhetico contra Moschabarum, Bibliotheca Laurentina asservato. Cfr. V. LAURENT A. A., a. c., 135.

[23] Moschabari opera, quae, una tantum excepta, deperdita credebantur, exstant in Cod. Chisiano gr. 54 Bibliothecae Vatic. et in Cod. 285 Biblioth. Patriarch. ad El Cairo. V. LAURENT, l. c., 141, 157 ei vindicat Declarationem Orthodoxiae Georgii Cyprii, quam, absque auctoris nomine, ediderant Lambethius, Oudin, De Rossi et Eustratiades.

[24] PG, 142, 233-246, 251-270, 269-300, 300-470.

[25] Adi I. TROITSKII, Автобіографія Григорія Кипрійскаго, Патріарха Константиноп.; ChC 1870, II, 164-177; S. EUSTRATIADES, Τοῦ Οἰκουμ. Πατρ. Γρηγορίου τοῦ Κυπρίου ἐπιστολαί; EPh 1 (1908), 77-108, 409-439; 2 (1908), 195-211; 5-48, 281-286; 4 (1909), 5-29, 97-128; 5 (1910), 213-226, 444-451, 489-500; N. A. VEE, Εἰς Γεώργιον Κύπριον; BZ 17 (1918), 847; I. SIKOUTRES, Ἀνέκδοται ὁμιλίαι Γρηγορίου τοῦ Κυπρίου εἰς τὸν Ἅγιον Διονύσιον καὶ τὴν Ἁγίαν Μαρίαν; EPh 23 (1924), 406-424.

Ceterum, CYPRIUS attentione dignus est, non tam ut vindex opinionis photianae de Processione Spiritus Sancti, quam ut inventor novae cuiusdam sententiae, vel ab ipsis Byzantinis separatis reiectae, de qua mox sermo erit.

205. MAXIMUS PLANUDES ET SCRIPTORES MINORES ANTILATINI; Praeter hos, plures alii contra Lugdunensem definitionem de Spiritus Sancti Processione decertant. In horum vero numero primas obtinet MAXIMUS PLANUDES.

MAXIMUS PLANUDES, dum in castris esset philocatholicorum, graecos fecit Augustinum et Boethium, translatis *libris XV de Trinitate* et *libris V de consolatione.* Cum vero ad photianos transiret, redegit longiorem tractatum *de Processione Spiritus Sancti* et quattuor celebres *syllogismos* ad demonstrandum Spiritum Sanctum ab uno Patre procedere [26],ut omittam pauca quaedam ad rem nostram non pertinentia [27].

Ceterum, in acie antilatinorum aderant in genere omnes *Arsenitae* [28], anonymus quidam contra Azyma scribens post a. 1274 [29], monachus IOB MELES [30], THEODORUS MUZALON, CONSTANTINUS ACROPOLITA, MANUEL MOSCHOPOULOS, NICEPHORUS CHUMNUS, IOANNES CHILA metropolita Ephesinus, et GENNADIUS Bulgariae archiepiscopus [31].

206. CONTROVERSIA DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI: SS. PATRUM AUCTORITATES: Age iam; licet Unio Lugdunii peracta respexerit etiam doctrinam de *Purgatorio* et de *Primatu Romano,* cuius meminisse solent Latini scriptores constantinopolitani [32], inter Byzantinos ipsos, omissis reliquis, lis est tantummodo *de*

---

[26] Tractatus ineditus perseverat; Syllogismi autem noti sunt sive ex editione P. ARCUDIUS, *Opuscula aurea,* R 1630, sive ex refutatione Catholicorum, ex. gr. Card. BESSARIONIS, PG, 161, 309-318.

[27] Tales sunt Orationes apud PG, 147, 985-112 et ea quae nobis dant S. KUGEAS, *Analecta Planudea*; BZ 18 (1909), 106-146 et M. BOAS, *Planudes' Metaphrasis der sog. Disticha Catonis;* BZ 30 (1931), 241-257.

[28] I. TROITSKII, Арсеній патріархъ Никейскій и Константинопольскій и Арсениты P 1873; cfr. ChC variis in voluminibus ann. 1867-1872; L. PETIT A. A., *Arsène Antorianos*; DTC, I, 1992-1994.

[29] M. SPERANSKII, Къ исторіи «Ἱστορίαν τοῦ μετὰ ἀζυμίτου διαλόγου παναγιώτου»; VV 2 (1895), 521-530.

[30] S. PETRIDES, *Le moine Job (Job le Jasite s. XIII);* EO 15 (1912), 40-48; S. C. SAKELLAROPOULOS, *A propos du moine Job Mélès (XIII siècle)*; EO 17 (1914), 45-55.

[31] TDCO, I, 427-428.

[32] Omnes has quaestiones complectitur 11 quos in Byzantinos devolvit erroribus Dominicanus Pater scribens in Conventu Nigropontis; tractatus autem a. 1305 agit de Spiritu Sancto et de Primatu. A. DONDAINE O. P., l. c., 408-409, 419-420.

Processione Spiritus Sancti. Imo, hac lege hinc inde controversia agitatur, ut attentionem ad SS. Patrum Graecorum commentaria omnes convertant. Sibi enim persuasum habebant interpretationem Sacrae Scripturae et rationis theologicae argumenta SS. Patrum menti accomodari debere. Reliquum, in tota hac controversia aciem ducunt Patriarchae Constantinopolitani IOANNES BECCOS et GEORGIUS, sive GREGORIUS, CYPRIUS [33].

BECCOS et sui libenter adeunt testimonia, quibus SS. Patres Graeci expresse dicunt Spiritum Sanctum *ex Filio* esse quoque. Haec ut vitent adversarii non reformidarunt vel a corruptione textuum, quemadmodum refert IOANNES BECCOS de loco quodam S. GREGORII NYSSENI, ubi legebatur: *Spiritus vero Sanctus et ex Patre dicitur et ex Filio esse* (ἐκ τοῦ Ὑιοῦ εἶναι) *affirmatur* [34]. Haec cum reperisset in quodam perantiquo volumine Referendarius Magnae Ecclesiae ESCAMMATISMENOS erasit particulam ἐκ, ita ut remaneret: *Et Filii esse* (τοῦ Ὑιοῦ εἶναι) *affirmatur.* Rem ad Beccum detulit codicis possessor XIPHILINUS, Magnae Ecclesiae Oeconomus, et ipse ESCAMMATISMENOS, cum ad Catholicorum partes transivit [35]; totam vero historiam huius mutilationis textus Cardinalis ANGELUS MAI confirmatam putat Codice Vaticano 2066, olim Cryptoferratensi [36].

Eandem movet accusationem suis Byzantinis, et nominatim MAXIMO PLANUDI, Dominicanus auctor tractatus a. 1305, perinde ac si scienter mentem S. Augustini perverteret [37].

207. QUAENAM FUERIT MENS S. IOANNIS DAMASCENI: In argumento autem patristico primas hac nostra periodo obtinet S. IOANNES DAMASCENUS, qui suis *Capitibus theologicis* dictum voluit: *Ipse* [Pater] *Verbi genitor, ac per Verbum manifestantis Spiritus productor* [38]; quo loco usus iam fuerat NICEPHORUS BLEMMYDES ut rigidiorum photianorum sententiam reiceret [39]; manifesto enim hisce traditur illud *per Filium* referri ad ipsam productionem seu originem aeternam Spiritus Sancti.

---

[33] Textus praecipuos Ioannis et Georgii russice vertit N. N., Къ исторіи споровъ по вопросу объ исхожденіи Святаго Духа; ChC 1889, I, 338-377, 581-605; II, 280-325, 520-570, non sine aliquo studio partium.

[34] *De oratione dominica*; PG, 46, 1109 B.

[35] IOANNES BECCOS, *Sententia Synodalis*; PG, 141, 285-289.

[36] A. MAI, *Nova Patrum Bibliotheca*, t. IV, R 1847, 40-53.

[37] « Et ut defendere possint errores in quibus pertinaciter, proh dolor, perseverant, quidam eorum scripturas corrumpunt, sicut fecit kalogerus nomine Maximus, qui nuper obiit Constantinopoli »; A. DONDAINE O. P., l. c., 421-422.

[38] *De orthodoxa Fide*, lib. I, cap. 12-bis; PG, 94, 848 D.

[39] *Oratio I de Processione Spiritus Sancti*, n. 23; PG, 142, 557 B-D.

Hanc sententiam propugnant IOANNES BECCOS, quum alias, tum tractatu *de Unione et pace Ecclesiarum* [40] et eius suppar THEOCTISTUS archiepiscopus Andrinopoleos, qui ostendit de mente Damasceni Filium esse veri nominis principium Spiritus Sancti, etsi principiatum; imprincipiatum enim principium Spiritus Sancti unus Pater habeatur oportet [41].

Argumentationem ut vitarent, quidam pronunciarunt hunc locum, quem photianae sententiae magis adversari ducebant quam ipsam Latinorum formulam ex Patre et Filio, nothum esse. Ita putavit GEORGIUS MOSCHABARUS, qui hac super re opellam scripsit. Attamen, cum testimonium adhiberetur ab ANDRONICO CAMETERO in sua *Panoplia Dogmatica,* adversarii illud respuere non amplius ausi sunt, ut refert PACHYMERES [42].

Hoc pacto incipit disceptatio de hoc S. IOANNIS DAMASCENI capite *12 bis Libri I de Fide Orthodoxa,* et in genere de huius Patris sententia, ad quem tum Catholici, tum Photiani confidenter recurrunt [43].

208. DE FORMULA « EX PATRE PER FILIUM ». SENTENTIA DEVIA GEORGII CYPRII: Haec de locis S. IOANNIS DAMASCENI controversia omnes adduxit ad genuinum sensum declarandum formulae *ex Patre per Filium*, quae apud Patres Graecos saepius recurrit. Cum enim, collatis Damasceni testimoniis, non amplius Byzantinis liceat illam de una missione temporali Spiritus Sancti ad sanctificandas animas accipere, Catholicorum adversarii coguntur novas quasdam interpretationes quaerere, praeeunte Patriarcha GREGORIO CYPRIO, cuius sententia iure merito omnium admirationem atque reprobationem excitavit.

Videlicet, IOANNES BECCOS, multiplicatis argumentis patristicis [44], ostendit formula *per Filium* perhiberi Filium una cum Patre veri nominis principium, etsi principiatum, esse Spiritus Sancti.

Id autem vident vel ipsi rigidi photiani, *Arsenitae,* inquam, iuxta quos e medio tolli oportet illud « dogma Ecclesiae, quo Sanctus Spiritus ex Patre procedere per Filium affirmatur » [45]. Putabant enim, verbis his, a Damasceno usurpatis, semel admissis, necessario admittendam esse quoque catholicam doctrinam.

Patriarcha vero GREGORIUS CYPRIUS, in disputatione synodali

---

[40] PG, 141, 272 B-D.

[41] Eius dicta praebet A. DONDAINE O. P., l. c., 433-436.

[42] *De Andronico Palaeologo,* lib. I, 35; PG, 144, 103-105.

[43] Cfr. nostrum *Compendium Theologiae Orientalis* [3], R 1950, 122-127.

[44] Cfr. *Epigraphe I*: Praepositiones *ex* et *per* sibi aequivalent secundum Patres; PG, 141, 613-633.

[45] GEORGIUS PACHYMERES, *De Andronico Palaeologo,* lib. II, 12; PG, 144, 154.

a. 1285, contra IOANNEM BECCOS interrogantem: « Damasceni admissum a te testimonium ut intelligi debeat enarra; sequemur expositionem quam probam attuleris », primo quidem hisce contentus est: « Satis illi exponunt qui dicunt Spiritum Sanctum ex Patre procedere » [46]. Levitatem autem suae responsionis sentiens, sese adcinxit ad positivam aliquam declarationem proponendam, quam de facto se invenisse credidit. Illam vero dedit in suo *Tomo fidei*, et a contrariorum obiectis liberare satagit suis posterioribus scriptis, nempe *Apologia*, *Confessione Fidei* et longiore suo tractatu *de Processione Spiritus Sancti* [47].

CYPRIUM si audias, *per Filium* non est utique sumendum tantum de temporali Spiritus missione in mundum, sed de quadam *aeterna illuminatione* seu splendescentia Spiritus Sancti a Filio; aeternaliter enim *per Filium* exit et apparet Spiritus, qui suum esse ab uno Patre sortitur [48].

Hanc vero explicationem, quae duas aeternas Spiritus Sancti processiones statuit, alteram in existentiam, alteram in splendescentiam, absurdam pronunciavit IOANNES BECCOS, quippe quae vel quartam personam, vel tertiam originem in Sanctissima Trinitate adstruat [49].

Quinimo, et ipsi Catholicorum adversarii, ut CHILAS Ephesi Metropolita et THEOLEPTOS Metropolita Philadelphiae, illam repudiarunt, ad blasphemiam conclamantes. Illis autem GEORGIUS satis facere conatus est; sed frustra, sua enim sententia reiecta fuit [50].

APPENDIX

Beatus Raymundus Lull, eiusdemque de controversiis orientalibus scripta

209. B. RAYMUNDI LULL ACTIO MISSIONALIS ET LITTERARIA: Hoc eodem nostro tempore floruit Beatus RAYMUNDUS LULL, ex civitate Palma Maioricensi in insulis Balearibus, cuius memi-

---

[46] GEORGIUS PACHYMERES, *De Andronico Palaeologo*, n. 35; PG, 144, 106.

[47] PG, 142, 233-246, 251-258, 247-250, 269-299.

[48] Expolitiorem huius sententiae declarationem invenies penes F. B. M. DE RUBEIS, *De Georgio Cyprio dissertatio*, I; PG, 142, 134-139 et M. JUGIE A. A., *De Processione Spiritus Sancti ex fontibus Revelationis et secundum Orientales dissidentes*; Lateranum 3-4 (R 1936), 339-341.

[49] *Refutatio libri Georgii Cyprii*, Orat. 1, nn. 7, 9, 10; PG, 141, 876 C, 877 D, 880 C.

[50] TDCO, I, 431. De toto hoc argumento lege F. CAYRÉ A. A., *Géorges de Cypre*; DTC, VI, 1231-1235.

nit Pius XI ob res ab illo gestas ad unionem Orientem inter et Occidentem christianum procurandam et ob eius consilia et vota de studiis orientalibus provehendis [1]. Cum vero huius viri opera prorsus singularis fuerit, nec facile conferri possit cum separatorum disputationibus, modo pauca de illo accipias velim.

Raymundus, a quo tempore rebus mundanis valedixit (anno circiter 1266) totum se dedit Mahumedanorum saluti procurandae; ad quos repetito se contulit ut illos Christo lucrifaceret. Dum autem Mahumedanorum gratia Orientem peragrabat, novit etiam Orientales christianos variorum coetuum ab Ecclesia Catholica dissidentium, pro quibus haud minore caritatis aestu adlaborare coepit. Hac de causa, tamquam « procurator infidelium » — hoc enim nomine gloriabatur — theologos, reges, pontifices adivit, licet plerique eum ducerent « phantasticum », quemadmodum Lull ipse de se fatetur [2].

Haec autem continua fere itinera non impediverunt quominus Lull plurima redigeret opera lingua arabica et latina. Opera autem arabica ad 300 numerabantur; omnia vero ad unum sunt deperdita. E contra, quaedam ex eius operibus latinis servata et edita sunt [3].

Ex his vero editis operibus maxima pars respicit controversias cum Mahumedanis; sed non desunt scripta quae de Orientalium controversiis agant. Talia nempe sunt: *Liber de quinque sapientibus,* nempe Latino, Graeco, Nestoriano, Iacobita et Saraceno, *Dialogus inter Graecum et Latinum de Spiritu Sancto,* quibus alia plura accedunt illustrantia operam a Lull impensam ad reconciliationem Orientis christiani cum Ecclesia Catholica [4].

210. Methodus apologetica Raymundi Lull: Suis autem disputationibus rationem philosophicam adhibet, ab scholasticorum Aristotelismo, quem prorsus reicit, longissime aberrantem. Veritatem enim demonstrare intendit *ex decem suis pro-*

---

1 Acta Apostolicae Sedis 20 (1928), 279-280.

2 De eius vita cfr. M. Menendez y Pelayo, *Historia de los Heterodoxos españoles,* t. III, Madrid 1917, pp. 257-289; G. Golubovicz O. F. M., *Bibliotheca Biobibliographica della Terra Santa e dell'Oriente Francescano,* t. I, Quaracchi 1906, pp. 361-392; L. Riber, *Raimundo Lulio,* Barcelona 1935.

3 I. Salzinger, *Opera omnia Beati Raymundi Lulli,* 8 vol. Maguntrae 1721-1741. Pleniorem editionem recentius nobis dant M. Obrador, M. Ferrá, S. Gamés, *Obres de Ramón Lull,* edició original, 20 vol., Palma de Mallorca, 1906-1938.

4 Illa colligit atque perpendit S. Cirac Estopañán, *Ramón Lull y la Unión con los Bizantinos. Bizancio y España*; Cuadernos de Historia Jerónimo Zurita, n. 3, Zaragoza 1954. Egit autem de Processione Spiritus Sancti, sed omisit reliqua discrimina, non excepto Primatu Romano. Cfr. E. Kamar, *La controverse sur la Procession du Saint-Spirit dans les écrits de Raymond Lull*; Estudios Lulianos I (1957), 207-216; S. Gaveias Palau, *Omisión del tema del Primado Romano en los tratados y opúsculos orientales del beato Ramón Lull*; ibid., 245-256.

prietatibus, quae sunt: Distinctio, Harmonia, Unitas, Perfectio, Activitas, Gloria, Meritum, Demonstratio, Vita, Praedicatio.

Hinc apparet Beatum LULL totam efficaciam suae argumentationis repetere a sua *methodo,* quam variis in tractatibus fuse declarat, praesertim illo qui audit *Ars Magna.* Methodus autem est prorsus speculativa, distincta vero ab Aristotelismo et ab Averroismo, quos RAYMUNDUS LULL aeque despicit atque condemnat.

Hanc suam methodum — propter quam dictus fuit *Doctor Illuminatus* et *Doctor Archangelicus* — B. LULL numquam deseruit, etiamsi quibusdam suspecta haberetur. Quin, noster LULL suae methodo adeo fidebat, ut in controversiis cum Orientalibus dissidentibus illam anteponat Sacris Scripturis et Sanctis Patribus; hisce enim — sic ille existimat — adversarii abuti possunt, minime vero suis « rationibus necessariis ».

Quo vero omnem falsitatis speciem a sua methodo arceat, LULL illam vindicare studet in opusculo *Disputatio fidei et intellectus,* contendens intellectum, licet imperfecte, veritates omnes fidei, etiam altissima Trinitatis mysteria, demonstrare valere cum certitudine sibi propria. Exinde praecipuae circa hanc Lullianam methodum difficultates et controversiae ortae sunt.

211. LABORUM FRUCTUS: Denique, quos hac nova via suorum laborum fructus retulerit Beatus LULL incertum manet. Quare, potissima laus Beato RAYMUNDO LULL tribuenda est ob media practica ab ipso proposita et ardenter propugnata, praesertim iteratis suis petitionibus CAELESTINO V et Concilio Viennensi a. 1311 oblatis [5].

Videlicet, LULL expostulat novam militarem expeditionem ad Terram Sanctam ab infidelium dominatione liberandam; illam vero ipse non concipit, quemadmodum plerique Latini sui temporis, tamquam opus solius Occidentis, sed ut opus commune Latinorum et Orientalium contra Mahumedanos [6].

Praeterea, Beatus LULL auctor fuit consilii condendi *cathedras linguarum orientalium,* et in genere disciplinarum religiosarum orientalium in praecipuis Universitatibus; id quod, RAYMUNDO auctore, fieri decrevit Concilium Viennae habitum a. 1311.

---

[5] Nempe, « Petitio Raymundi pro conversione infidelium » (Romae 1294-1295) et « Liber de epistola in Concilio pro ordinatione multorum » (Viennae 1311), quae critice edidit E. LONGPRÉ O. F. M., *Deux opuscules inédits du B. Raymond Lulle;* France Franciscaine 18 (1935), 145-154.

[6] Vide, ex. gr., CH. KOHLER, *Traité du recouvrement de la Terre Sainte adressé vers l'an 1295 à Philippe le Bel par Galvano de Levanto, médécin génois*; ROL 6 (1898), 343-369; Id., *Deux projets de Croissade en Terre Sainte, composés à la fin du XIIIe siècle et au début du XIVe;* ROL 10 (1903-1904), 405-457.

CAPUT VIII

THEOLOGIA ORIENTALIUM AB UNIONE LUGDUNENSI USQUE AD CONCILIUM FLORENTINUM

212. Huius periodi momentum: Volvente hac nostra periodo litterae theologicae in universo Oriente Christiano impense coluntur. Quocumque enim te vertas reperies profecto insignes admodum scriptores, sive Byzantii, ubi omnis generis scientia, etiam theologica, supremum splendoris apicem attingit [1], sive in ecclesiis Slavicis, necnon in ecclesiis Nestoriana et Monophysitis; quae suos maximos quidem, licet postremos simul, scriptores de re theologica norunt.

Nec solum numero et praestantia auctorum commendatur haec aetas, verum etiam propterea quod novam quandam rationem amplectitur. Byzantini enim iam ab ineunte saeculo XIV magis magisque accedunt ad occidentales [2], quorum influxum subeunt quoque Armeni catholici; dum e contra olitana Byzantinorum ratio valde influit scriptis Syrorum et Armenorum dissidentium.

Sed antequam de singulorum doctrina theologica agere incipiam, satius duxi pauca praemittere, sacrarum scientiarum progressus variis in plagis Orientalium illustrantia.

213. Sacrorum studiorum domicilia byzantina. Pondus theologiae occidentalis: Sub hoc tempore multiplicantur privatorum scholae, sive Academiae, quarum notissima fuit illa condita a Nicephoro Gregora in monasterio Chorensi. Simul vero sacrae litterae necnon disciplinae philosophicae et iuridicae tradi pergunt in Schola Patriarchali, et in Universitate Constan-

[1] Ch. Diehl, *Histoire de l'Empire Byzantin*, Pa 1920, 211-212.
[2] H. G. Beck, *Theodoros Metochites. Die Krise der byzantinischen Weltbildes im 14 Jahrhundert*, München 1952.

tinopolitana; cui, suo favore, novas vires addunt ANDRONICUS III et MANUEL II [3]. Ubique autem pretio haberi coepit philosophia et theologia Latinorum, quos antehac Byzantini omnes barbaros ducebant [4].

Porro, id duabus praecipue causis tribuito; nimirum, et frequentiori commercio cum Occidente Latino, et operum Sancti Thomae Aquinatis in graecam linguam translationi.

Ad bonam illam de Latinis existimationem contulerunt valde itinera ab ipsis Imperatoribus suscepta. Cogita IOANNEM V, qui Romae commoratus est et Romanam fidem fuit professus a. 1369 [5]; et MANUELEM II (1391-1425) [6], in quorum comitatu plures aderant eruditissimi viri; quin, et MANUEL disputationes habuit Lutetiae Parisiorum, et conatus est suam Constantinopolitanam Universitatem occidentalium ratione instaurare [7].

Imprimis vero attendi debet doctrina Sancti THOMAE, quae hoc tempore graeca facta est, auctoribus germanis fratribus DEMETRIO et PROCHORO CYDONES, qui primi habendi sunt graeci translatores Aquinatis. Nam versio quam odornavit Dominicanus Fr. GULIELMUS BERNARDUS [8] respicit minora quaedam opuscula et numquam Byzantinis innotuit.

Nonnulli putarunt MAXIMUM PLANUDEM transtulisse in graecum idioma Summam Sancti Thomae [9]; sed falluntur. Ut enim ostendit RACKL [10], primus omnium id operis aggressus est DEMETRIUS CY-

---

[3] F. FUCHS, *Die höheren Schulen von Konstantinopel im Mittelalter,* L 1926, 62-65; L. BREHIER, *Le Monde Byzantin,* t. III; La civilisation byzantine, Pa 1950, 482-492.

[4] Demetrius Cydones scribit: « Hac nostra aetate apud nos si quis audit nomen « Latinus » cogitat nautas, mercantes, fabros, caupones et tabernarios. Nostri, putantes se monopolium detinere sapientiae, Platone gloriantur eiusque discipulo, Latinos barbaris adscribunt, illis tribuentes unice artem militarem aliaque vilia munera »; M. JUGIE A. A., *Démétrius Cydonès et la théologie latine à Byzance aux XIVe et XVe siècles;* EO 29 (1928), 385-402; vid. 391.

[5] O. HALECKI, *Un empereur de Byzance à Rome,* Varsovie 1930; H. GRÉGOIRE, *Le voyage de Jean V Paléologue à Rome* (1369); Byz 5 (1929-1930), 767-779; A. VASILIEV, *Il viaggio di Giovanni V Paleologo in Italia e l'unione di Roma;* Studi bizantini e neoellenici 3 (1931), 151-193.

[6] A. A. VASILIEV, Путешествіе византійскаго императора Мануила II Палеолога по Западной Европѣ; JMNP, nov. ser. 39 (1912), nn. 5-6; 41-78, 260-304; M. JUGIE A. A., *Le voyage de l'empereur Manuel Paléologue en Occident*; EO 15 (1912), 322-332.

[7] L. BRÉHIER, o. c., 485.

[8] R. LOENERTZ O. P., *La Société des Frères Pérégrinants,* I, R 1937, 41, 77.

[9] K. KRUMBACHER, *Geschichte der byzantinischen Literatur,* ed. 2, München 1897, 99; M. JUGIE A. A., TDCO, I, 427.

[10] M. RACKL, *Demetrius Kydones als Verteidiger und Übersetzer des hl. Thomas von Aquin;* Der Katholik 1915, I, 21-40; Id., *Eine griechische abbreviatio*

DONES, qui a. 1347 a secretis erat Imperatoris IOANNIS CANTACUZENI. Hac de causa magistro utens quodam Patre Dominicano, latinam linguam ut addisceret, legit Aquinatis *Summam contra Gentes,* cuius graecam versionem absolvit anno 1354, die 24 decembris, hora 3 post meridiem, uti legimus in subscriptione authentica Demetrii codicis ms. gr. 616 Bibliothecae Vaticanae.

Praeter *Summam contra Gentes,* DEMETRIUS transtulit quoque e *Summa Theologica* Partem primam, excerpta e Prima-secundae, totam Secundam-secundae, *Librum ad Cantorem Antiochenum* — seu Declaratio quorundam articulorum contra Graecos, Armenos et Saracenos ad Cantorem Antiochenum —, Opusculum *de Corpore et Sanguine Domini* et Opusculum *in Symbolum Apostolorum.*

PROCHORUS autem CYDONES in graecam linguam vertit Tertiam Partem *Summae Theologicae, Commentarium in Metaphysicam Aristotelis,* Opusculum *de mundi aeternitate* et *De Potentia et de spiritualibus creaturis* [11].

Novam et accuratiorem Sancti THOMAE translationem graecam perfecit ineunte saeculo XV GEORGIUS SCHOLARIOS, tunc temporis moderator Universitatis Byzantinae.

GEORGIUS SCHOLARIOS vertit *Commentarium in libros Aristotelis de anima,* Opusculum *de ente et essentia, Compendium Summae contra Gentes* et *Summae Theologicae* Primam partem et Primam-secundae, quae omnia modo critice edita sunt [12].

Quantum vero ponderis Angelicus Doctor, hisce versionibus mediantibus, obtinuerit penes Byzantinos, etiam in eorum intestinis controversiis, dicemus postea.

214. CONDITIO POLITICO-RELIGIOSA IN NATIONIBUS SLAVICIS: Ad bene noscendum ut sese habeat litteratura theologica Slavorum hac nostra periodo, praesertim erga Romam et Byzantium, operae pretium est scire quibus historicis adiunctis versentur cum Bulgari tum etiam principatus Ucrainici et Russici.

Bulgari, qui patrocinium quaesierant INNOCENTII III in favorem propriae independentiae et in agnitionem Patriarchatus Ternovien-

---

der Prima Secundae des hl. Thomas von Aquin; Divus Thomas 9 (1922), 50-59; Id., *Die griechische Übersetzung der « Summa Theologiae » des hl. Thomas von Aquin;* BZ 24 (1923-1924), 48-60.

[11] De his cfr. G. MERCATI, *Notizie di Procoro e Demetrio Cidone ...*; StT 56 (1931), 35-37.

[12] Edita est haec versio a PETIT-JUGIE-SIDERIDES, *Oeuvres complètes de Gennade Scholarios,* vol. V-VI, Pa 1931, 1933, De his translationibus lege I. N. KARMIRIS, Θωμᾶ τοῦ 'Ακινάτου Σοῦμμα Θεολογική, I, A 1933, 27-57.

sis [13], mox, durante Imperio Latino Orientali, foedus inierunt cum Imperatoribus Nicaeae et a Patriarcha GERMANO II facile obtinuerunt Patriarchatum Ternoviensem et ecclesiasticam autonomiam; quo factum est ut Byzantinorum etiam religiosas doctrinas tueantur, donec anno 1393, sub Turcarum potestate redacti, a litterario labore cessare coguntur, et a Patriarchatu Contantinopolitano abalienari incipiunt [14].

In principatibus autem *russicis* et *ucrainicis* res mutatae sunt volvente saeculo XIII, propter incursiones Mongolorum, qui rerum potiti sunt anno 1237. Hinc fluctuationes et internae discordiae, tam civiles quam ecclesiasticae. Neque enim defuerunt qui pacem foverent cum Ecclesia Romana, ut PETRUS Archiepiscopus Russiae et MICHAEL, de quo sermo est in Concilio I Lugdunensi [15]. Sed plerique, agentibus Metropolitis Kioviensibus, qui sedem in Moscoviam transtulere, strenue retinent partes Ecclesiae Constantinopolitanae, minus solliciti de unione cum Ecclesia Romana. Ceterum, durante mongolica dominatione, litterae theologicae prorsus languent [16].

215. ECCLESIARUM NESTORIANORUM ET MONOPHYSITARUM CONDITIO: Ecclesia *Nestoriana,* quae saeculis anteactis, imperantibus arabibus, adeo floruit, modo magis magisque obscuratur atque declinat, et omni fere pondere destitui coepit; nacta vero est illum eximium auctorem ABDIŠO', qui totius nestorianae doctrinae compendium dedit, hodiedum usu tritum. *Monophysitarum* autem ecclesiae varia admodum fortuna usae sunt: id vero non impedivit quominus magnae notae de re theologica scriptores pepererint.

Copti Aegypti, sub Ayyubitarum imperio, maiore quam antea libertate fruuntur et impensius litteris excolendis vacant. *Syri* occidentales difficultatibus premuntur iam ab ineunte saeculo XIII, ob politicos eventus; quippe qui diram et Latinorum et Byzantinorum et Arabum dominationem passi sunt. Tandem *Armeni,* durante regno catholico Ciliciae, id est usque ad annum 1395, controversiis intestinis discruciantur, in quibus primas obtinent, ex altera parte Fratres Unitores, ex altera vero Dathevienses doctores [17].

His autem tribus Monophysitarum familiis quarta accedit hac nostra periodo; *Aethiopum,* inquam, quorum litteraturae

---

[13] De hac nostra periodo agere coepit A. BURMOV, Исторія на България през времето на Шишманци (1323-1396); AUS, Faculté Historico-Philologique 43 (1946-1947).

[14] G. SONGÉON A. A., *Histoire de la Bulgarie,* Philippopoli 1914, 254-256.

[15] A. M. AMMANN S. I., *Storia della Chiesa Russa,* Torino 1948, 49.

[16] J. LEDIT S. I., *Russie (pensée religieuse)*; DTC, XIV, 208-233.

[17] F. TOURNEBIZE S. I., *Arménie;* Dictionnaire d'Histoire et de Géographie ecclésiastique, IV (1925), 316-320.

theologicae primordia ultimis decenniis saeculi XIII, ac praesertim medio saeculo XIV, imperante ZAR-A-JAKOB, habentur. Antea enim non defuerunt scriptores Aethiopes qui operam suam navarent versionibus adornandis; nullus autem tractatus theologicus ab Aethiopibus exaratus nobis obviam fit, donec ad finem saeculi XIII Salomonidorum dynastia imperialem thronum obtinuit.

ART. I

Theologorum Byzantinorum inter se et cum Ecclesia Catholica disputationes tempore controversiae palamiticae

216. ORTUS ET PROGRESSUS PALAMISMI: Tota hac periodo quaestio longe praecipua quae Byzantinos in duas sibi oppositas factiones adegit est illa quae *Palamismus* audit, a suo auctore GREGORIO PALAMA, statuente realem nescio quam distinctionem inter divinam essentiam et divinam operationem, eandemque strenue vindicante, primo quidem contra BARLAAMUM CALABRUM, postea vero contra suos cives ACYNDINUM et NICEPHORAM GREGORAM [1].

Originem si quaeras controversiae, in causa fuit BARLAAM, qui Constantinopolin cum venisset a. 1330, simultates excitavit. Primo quidem quia in Occidente natalia sortitus erat, ac proinde Byzantinis suspectus habebatur; praesertim posteaquam a. 1333, iussu Patriarchae Constantinopolitani, nomine Ecclesiae Byzantinae egit cum

[1] De Palamismo in genere cfr. G. NEDJETOVSKII. Варлаамицкая ересь; TK 1872, I, 316-357; TH. I. USPENSKII, Философское и богословское движение въ XIУ вѣкѣ (Варлаамъ, Палама и ихъ приверженцы); JMNP 279 (Ian. 1892), 1-64, 348-427; A. PAPADOPOULOS-KERAMEUS, Βυζαντινὰ ἀνάλεκτα ; BZ 8 (1899), 70-73; G. PAPAMICHAIL, Ἱερᾶς ἡσυχίας ἐπίτομος ἱστορία καὶ θεωρία καὶ αἱ πεὶρ ταύτην ἔριδες μέχρι τοῦ 1341; EPh 5 (1910), 39-51, 133-159; D. STANILOAE, *Calea spre Lumina Dumnezească la sf. Gregoire Palama;* Anuarul Academiei teologice « Andreiane » din Sibiu, 6 (1929-1930), 66 ss., M. JUGIE A. A., *La controverse palamite (1341-1368). Les faits et les documents conciliaires*; EO 30 (1931), 397-421; Id., *Palamite (controverse)*; DTC, XI (1932). 1777-1818; VASILII (Krivočein), Аскетическое и богословское ученіе св. Григорія Паламы; SK 8 (1936), 95-154; I. HAUSHERR S. I., *A propos de spiritualité hésychaste;* OCP 3 (1937), 260-272; A. AMMANN S. I., *Die Gotteschau im Palamitischen Hesychasmus*, Würzburg 1938); J. GOUILLARD, *Autour du Palamisme;* EO 37 (1938), 424-460; Archim. KIPRIAN (KERN), Антропологія св. Григорія Паламы, Pa 1950; I. HAUSHERR S. I., *Variations récentes dans le jugements sur la Mèthode d'oraison des Hésychastes;* OCP 19 (1953), 424-428.

Legatis Pontificiis, et a. 1339 ab Imperatore ANDRONICO III praefectus est Legationi Avinionem, ad Pontificem BENEDICTUM XII, mittendae [2].

Hinc natae sunt primae disputationes quas sustinuit initio suae commorationis constantinopolitanae de re astronomica, grammatica et philosophica cum NICEPHORO GREGORA, a quo facile superatus fuit [3]. Hinc etiam primae altercationes cum monacho athonensi GREGORIO PALAMA iam ab anno 1334; quibus agebatur de diversa ratione reiciendi « Filioque », perinde ac si in sua argumentatione BARLAAM a Byzantinorum tramite deflecteret [4].

Verum age; hac occasione BARLAAM GREGORIUM accusare coepit propterea quod abundaret et ipse praxi et doctrina *Hesychasmi*, penes suos athonenses monachos invalescentis. Id autem propriam iam speciem contulit controversiae, quae devenit aperta lucta inter monachos et humanistas byzantinos [5], quorum plerique suam faciunt diatrybam « contra umbilicanimos » seu hesychastas a BARLAAMO redactam [6].

Nomine autem *Hesychasmi* venit, non vetus illa ac probanda asceseos ratio a veteribus monachis frequentata [7]; sed illa contemplationis methodus, quam athonenses monachos docuit GREGORIUS SINAITA et postea, ineunte saeculo XIV, NICEPHORUS, quaeque praecipuum commentatorem sortitus est SIMEONEM NOVUM THEOLOGUM [8]. Exaggerato enim atque diuturno exercitio

---

[2] G. SCHIRÒ, *Barlaam Calabro. Epistole greche. I primordi episodici e dottrinari delle lotte esicaste*, Palermo 1954, 214: « La polemica verte sul come Barlaam aveva sostenuto il dogma greco [de Processione Spiritus Sancti], ma lo spirito della polemica stessa, troppo violenta e acrimoniosa per essere giustificata dai motivi dichiarati dallo stesso Palamas, trae origine dal fatto stesso della scelta di Barlaam, occidentale, a rappresentare, in offesa ai dotti di Bisanzio, la Chiesa d'Oriente ».

[3] R. GUILLAND, *Essai sur Nicéphore Grégoras*, Pa 1926, 17.

[4] Cfr. G. SCHIRÒ, o. c., 60-100 et J. MEYENDORFF, *L'Origine de la controverse Palamite;* Th 25 (1954), 602-613, qui eadem ac Schirò sententia abundat.

[5] J. MEYENDORFF, *Les débuts de la controverse hésychaste*; Byz 23 (1953), 120, iure notans ad finem articuli: « Avec la controverse du XIVe siècle le conflit latent entre le moines et les humanistes byzantins prend une forme concrète et précise ».

[6] Barlaam iam ab a. 1335 saepius alludit ad methodum Hesychasmi suis ad Palaman epistulis; sed nonnisi a. 1337 in Hesychastas ferri coepit, quos et ὀμφαλόψυχοι nominavit. G. SCHIRÒ, o. c., 202.

[7] De hoc Hesychasmo agit I. HAUSHERR S. I., *L'Hésychasme. Étude de spiritualité;* OCP 22 (1956), pp. 5-40, 247-285.

[8] J. BOIS, *Les hésychastes avant le XIVe siècle;* EO 5 (1901), pp. 1-10; id., *Grégoire le Sinaite et l'hésychasme;* EO 5 (1901), 65-72; P. P. ANKIEV, Апологія мистики по твореніямъ пр. Симеона новаго Богослова; ChC 1915, I, 115-135, 253-273, 403-423, 545-564; I. HAUSHERR S. I., *La méthode d'oraison hésychaste;* OC 36 (R 1927); Id., *Note sur l'inventeur de la méthode d'oraison hésychaste;* OC 66 (R 1930); M. JUGIE A. A., *Les origines de la méthode d'oraison hésychaste;* EO 30 (1931), 179-185.

solitudinis ac contractionis et introspectionis animi, oculis in medium ventrem alte defixis, Hesychastae putabant se pervenire ad visionem cuiusdam divini splendoris intra praecordia colluscentis [9].

Quid vero sibi vult hoc lumen, cum lumine illo Thaborico identificandum? De illo saepius egerat SIMEON NOVUS THEOLOGUS [10], quin tamen illius naturam declararet. GREGORIUS autem PALAMAS statuit illud esse increatum quid, a divina essentia realiter distinctum, sed cum ea inseparabiliter unitum. Porro, homines Deum attingere valemus solummodo in hoc lumine — quod etiam dixit divinam energiam, vel divinam operationem — sive contemplationem attendas, sive deificationem per gratiam, sive fruitionem in regno caelorum.

Nostrum non est controversiae historicas vicissitudines oratione persequi. Meminisse sufficiat iussu Imperatoris ANDRONICI III coactam fuisse Synodum quae die 10 iunii 1341 utrique factioni silentium iniunxit, licet de facto haec sententia vergeret in damnum BARLAAMI. Postea vero, sub IOANNE CANTACUZENO, Patriarcha IOANNES CALECAS Palamam eiusque sententiam damnavit 4 novembris 1344. Verum ecce, IOANNES CANTACUZENUS favorem praestare incipit Palamitis a. 1347. Mox, a. 1349 PALAMAS renuntiatur archiepiscopus Thessalonicensis, et Patriarcha CALLISTUS, in Synodo a. 1351, mensibus maio et iunio, anathemate perculsit sententiam barlaamiticam, cuius reprobatio quotannis iteratur die Dominica Orthodoxiae. Haec synodalis sententia palmam detulit *Palamismo,* qui iam sine contradictione obtinet penes Byzantinos [11].

His praemissis, ad quaestionem nostram accedamus, agendo totidem paragraphis, primo quidem de praecipuis palamitis et antipalamitis scriptoribus, deinde de disputationibus circa doctrinam palamiticam, circa methodum et sententias Divi Thomae Aquinatis et circa dogmata Ecclesiae Romanae, quibus subiungemus quaedam alia doctrinae capita hoc tempore, nec sine laude, a Byzantinis tradita.

---

[9] Lege descriptionem SIMEONI NOVO THEOLOGO tributam, iure an iniuria nescio, PG, 154, 840 A-B, vel opusculum GREGORII SINAITAE, *Quomodo oporteat sedere hesychastam ad orationem;* PG, 150, 1329-1236.

[10] TDCO, t. I, 433 tibi praebet sumptum sententiae Simeonis cap. IX sui operis « Divinorum Amorum ».

[11] Ceterum, haec sententia non videtur Imperii Byzantini confinia praetergressa. Recentiore vero tempore coli denuo coepta est a quibusdam theologis russicis atque rumenis. Cfr. *Compendium Theologiae Orientalis* [3], R 1950, 52.

§ 1. *Scriptores praecipui*

217. Theologi Palamitae. Gregorius Palamas: Palamitarum agmen ducit Gregorius Palamas, ex Asia oriundus, auctus autem magnis favoribus in imperiali aula, quam vita monastica in Monte Athonensi cito commutavit. Virtutum simul ac invictae in *Hesychasmo* tuendo fortitudinis fama circumdatus, a. 1349 archiepiscopus Thessalonicensis renuntiatus est; quo munere ad mortem usque (nov. 1359), varia tamen fortuna functus fuit. Anno vero 1368 Gregorium inter sanctos retulit Patriarcha Constantinopolitanus Philotheus Kokkinus, qui illo magistro usus erat et socio [12].

Ut scriptor, Palamas plurima redegit opera, magna ex parte adhuc inedita [13]. Videlicet, praeter opera ascetica et homiletica [14], multos reliquit polemicos tractatus. Notae sunt celebres *tres triades* seu 9 tractatus *contra Barlaam* [15], 10 *contra Acindynum, 2 contra Barlaam* simul *et Acindynum, 4 contra Nicephorum Gregoram, 1 contra Patriarcham Ioannem Calecam,* 1 *contra Ignatium Antiochenum* Patriarcham, et tandem opus generale, cui titulus: *Capita 150 physica et theologica, ethica et practica, purgantia a Barlaamitica lue.* Ex his vero typis data sunt hoc ultimum generale opus [16], dialogus contra Barlaam, *Theophanes* dictus [17] et *tres triades.*

Polemicam vero contra Latinos respiciunt tractatus quattuor, nondum editi, *contra Processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio,* codicibus Coislinianis — ubi et reliqua Palamae opera exstant — asservati [18].

---

[12] De Palama lege, sis, Encomium Patriarchae Philothei Kokkini; PG, 151, 551-656. E recentioribus cfr. G. Papamichail, Ὁ ἅγιος Γρηγόριος Παλαμᾶς ἀρχιεπίσκοπος Θεσσαλονίκης, Alexandriae 1911; in hoc autem libro colligit quae ediderat in EPh, 2, 6, 8 (1908, 1910, 1911); M. Jugie A. A., *Palamas Grégoire;* DTC XI (1932), 1735-1776; D. Staniloae, *Viața și învățatura sfântului Grigori Palama,* Sibiu 1938; J. Meyendorff, *Introduction à l'étude de Grégoire Palamas,* Pa 1959.

[13] Titulos et descriptiones operum tibi dabit M. Jugie A. A., o. c.; DTC, XI, 1743-1750 et TDCO, 437-440.

[14] PG, 150, 1089-1123; 151, 9-550; his vero homiliis 43 addendae sunt aliae 22 editae ab Arsenii, Novgorod 1895.

[15] Editae a J. Meyendorff, *Défense des saints hésychastes,* Louvain 1959 (Specilegium Sacrum Lovaniense, fasc. 30-31).

[16] PG, 150, 1121-1226.

[17] PG, 150, 909-960. Operis synopsin tibi dat M. Candal S. I., *El Teófanes de Gregorio Pálamas;* OCP 12 (1946), 238-261. De his controversiis egit G. Papamichail, Γρηγόριος Παλαμᾶς πρὸς Γρεγόριον Ἀκίνδινον; EPh 12 (1913), 375-381; Id., Γρηγορίου τοῦ Παλαμᾶ κατὰ Βαρλαὰμ τοῦ Καλαβροῦ Ἀντιρρητικός; 13 (1914), pp. 42-52, 245-255, 464-476.

[18] Sunt vero tractatus breviores, ut iure infert M. Jugie A. A., TDCO, t. I, 438, not. 6.

His vero addendae sunt variae epistulae ad Acindynum et ad alios directae, quibus illustratur ortus controversiae cum Palama [19].

218. Alii scriptores palamitae: Ex iis quae diximus de historia controversiae, facile infertur primo quidem tempore Palamam sectatores habuisse perpaucos, neque illustres valde; eruditi enim suam theoriam reiiciunt. Sed cum Synodi Constantinopolitanae in Barlaamitas saevirent, eorundemque opinionem damnarent, altera medietate saeculi XIV scriptores palamitae augentur et numero et ingenii pondere.

Inter primos asseclas numerandus est monachus David Disypatus, nobilis genere, qui in gratiam Annae Palaeologae suum *Dialogum* redegit, paucis referens primas de Hesychasmo disputationes [20].

Nilus Cabasilas († 1363), Gregorii Palamae successor in Sede Thessalonicensi, *Palamismum* tuitus est, in cuius gratiam dissertationem adversus Barlaam conscripsit, sub titulo *Regula theologica*, recenter editam [21]. Contra Latinos autem edidit binos libros *de causis dissensionum in Ecclesia et de Primatu Papae* [22] necnon productum tractatum *de Processione Spiritus Sancti*, cuius pars praecipua typis vulgata est [23].

Nicolaus Cabasilas [24] († ca. 1400), Nili nepos, cuius vita ignota fere manet, insignis etiam apud nos habetur ob opus *De vita in Christo libri septem*, et ob eius *Interpretatio sacrae Liturgiae* [25] necnon ob tres editas homilias mariales [26]. Vindex autem exstitit doctrinae Palamiticae, quam primo quidem tempore impugnaverat, lucubrato libello *Contra Gregorae deliramenta*.

Theophanes Nicaenus Metropolita († 1381) nobis est notus solummodo ex sua *Oratione in laudem Deigenitricis* [27]. Scimus autem

---

[19] Illis utitur J. Meyendorff, a. c.; Byz 23 (1953), 107-109 textum desumens ex Cod. Coisl. 100.

[20] M. Candal S. I., *Origen ideológico del Palamismo en un documento de David Disípato;* OCP 15 (1949), 85-125.

[21] M. Candal S. I., *La «Regla teológica» de Nilo Cabasilas;* OCP 23 (1957), 237-266.

[22] PG, 159, 685-729.

[23] E. Candal S. I., *Nilus Cabasilas et theologia S. Thomae de Processione Spiritus Sancti;* StT n. 116 (Città del Vaticano 1946).

[24] Ad annos autem 1345-1354 cfr. R.-J. Loenertz O. P., *Chronologie de Nicolas Cabasilas;* OCP 21 (1953), 205-231; S. Salaville A. A., *Quelques précisions pour la bibliographie de Nicolas Cabasilas;* Ἑλληνικά, 3 (1958), 215-226. De Nicolao eiusque opere ascetico-theologico cfr. Myrrha Lot-Borodine, *Un maître de la vie spirituelle byzantine au XIVe siècle, Nicolas Cabasilas*, Pa 1958.

[25] PG, 150, 363-725.

[26] PO, 9 (Pa 1926), 465-510.

[27] M. Jugie A. A., *Theophanes Nicaenus. Sermo in Sanctissimam Deiparam;* Lat 1 (1934).

ipsum scripsisse alia plura, praesertim polemica, adversus Iudaeos. Mahumedanos et Latinos, necnon contra Barlaam et Acindynum, quos refutare conatus est in opella *De lumine viso ab Apostolis in Monte Thabor libri quinque,* cuius meminit FABRICIUS [28].

PHILOTHEUS KOKKINUS († 1376), Patriarcha Constantinopolitanus, Palamae autem, quem in Monte Athonensi noverat, addictissimus, non solum plura fecit in commodum Palamitarum volvente primo et altero suo patriarchatu (1354-1355, 1364-1376), verum etiam scripto decertavit contra Gregoram, edito opere *Contra Nicephorum Gregoram antirrhetici libri duodecim,* quibus addi debent tres *de doctrina palamitica dissertationes* [29], refutatio anathematismorum Harmenopouli [30] et *encomium in Gregorium Palamam* [31], ut sileam alios tractatus qui in manuscriptis adhuc delitescunt [32].

IOANNES CANTACUZENUS, († 1383), cum Imperium teneret anceps fuit, sed tandem in Palamismum inclinavit [33]. Cum a. 1355 ad Montem Athonensem sese reciperet, patrocinium suscepit causae palamiticae, quam vindicare studet suis tractatibus adversus Barlaam et Acindynum, Prochorum Cydonium, Isaacum Argyrum et Ioannem Calecam [34].

MATTHAEUS ANGELUS PANARETOS, cuius vita nobis est impervia, cuiusque editae sunt plures opellae polemicae contra Latinos. In iis opiniones palamiticas non tangit, reprehendit autem doctrinam Sancti Thomae Aquinatis, eo ipso ostendens se e factione esse Palamitarum [35].

SIMEON THESSALONICENSIS († 1429), praeter *Dialogum contra haereses* — haereticis autem adscribit Barlaamum et Acindynum — nobis mandavit plures alias suas lucubrationes de re sacramentaria et liturgica [36].

DEMETRIUS CHRYSOLORAS († 1430), thessalonicensis, operam suam navavit opinionibus Nili Cabasilas de Primatu et de Processione Spiritus Sancti vindicandis, contra Demetrium Cydonium aliosque Latinophrones Constantinopolitanos, quos etiam profligat suis epistulis [37].

---

[28] *Bibliotheca Graeca,* t. XI, 221; cfr. TDCO, I, 445.

[29] PG, 154, 773-1186.

[30] PG, 119, 895-900.

[31] PG, 151, 551-656.

[32] Cfr. TDCO, I, 449.

[33] J. DRÄSEKE, *Zu Johannes Kantakuzenos*; BZ 9 (1900), 72, 84; Id., *Kantakuzenos' Urteil über Gregoras;* BZ 10 (1901), 106-127; G. GEROLA, *L'effigie del despota Giovanni Cantacuzeno;* Byz 6 (1929), 379-387.

[34] Primi excerpta dat PG, 154, 693-710.

[35] P. RISSO, *Matteo Angelo Panaretos e cinque suoi opuscoli;* Roma e l'Oriente 4-6 (1914-1916).

[36] Illa invenies in PG, 155, 33-976; praecipuum vero habetur opus *Expositio de divino templo et de sacra Liturgia;* ibid., 697-750.

[37] M. TREU, *Demetrius Chrysoloras und seine hundert Briefe;* BZ 20 (1911), 106-128.

IOSEPHUS BRYENNIOS († c. 1435), Demetrii Cydonii olim discipulus, animum in Latinos valde infensum gesit, quemadmodum ostendunt eius opera [38]; multis enim tractatibus impetum facit in « Filioque », et ab Imperatore MANUELE II rogatus sententiam de Unione, illam malorum omnium maximum ducit. Ceterum, ut reliqui scriptores primae medietatis saec. XV, BRYENNIOS de *Palamismo*, cui adhaeret, nonnisi obiter est locutus [39].

His vero addendi sunt alii plures byzantini scriptores, ut Patriarchae Constantinopolitani ISIDORUS I et CALLISTUS I, NILUS RHODI Metropolita, NILUS DAMILAE, MATTHAEUS BLASTARES et MACARIUS ANCYRANUS, qui MANUELEM Palaeologum comitatus Occidentem peragravit [40]. Denique, primis decenniis saec. XV floruere duo perinsignes theologi palamitae, MARCUS EUGENICOS et GEORGIUS SCHOLARIOS, de quibus tamen sequenti capite sermo erit.

219. THEOLOGI ANTIPALAMITAE. BARLAAM CALABER: Palamae adversarii *Barlaamitae* audiunt propter eorum antesignanum BARLAAMUM († 1348), Seminariae in Calabria natum, qui anno circiter 1330 Constantinopolin se contulit, ibique nomen sibi conciliavit et propter favorem Imperatoris ANDRONICI III qui eum Legatum misit ad Benedictum XII, et propter disputationes initas cum NICEPHORO GREGORA et GREGORIO PALAMA, et propter alumnorum coronam, quibus semper carissimus fuit, etiam posteaquam a Synodo a. 1341 excommunicatus in patriam remeavit et Hieracensis Ecclesiae praepositus fuit. Inter suos alumnos occidentales numeravit Petrarcham, quem graecas litteras docuit [41].

---

38 Illa edidit E. BULGARIS, *Iosephi monachi Bryenniou paralipomena*, 3 vol., L 1768, 1774; N. TOMADAKIS, Ὁ Ἰωσήφ Βρυέννιος καὶ ἡ Κρήτη κατὰ τὰ 1400, A 1947; R. J. LOENERTZ O. P., *Pour le chronologie des oeuvres de Joseph Bryennios;* REB 7 (1949), 12-32.

39 Bryennios in altercatione a. 1396 cum Maximo Chrysoberga OP, pluribus impetit Summam Theologicam et Summam contra Gentes S. Thomae Aquinatis. De eius sententia palamitica cfr. TDCO, II, 123.

40 Vide, sis, TDCO, I, 446, 448, 450, 455. Data opera Palamismum tuetur Matthaeus Blastares in opella: « dissertationes adversus Barlaam ».

41 G. MANDALARI, *Fra Barlaamo Calabro maestro del Petrarca,* R 1888; N. D. PROTASOV, Греческое монашество въ южной Италіи ; BV, 1915, II, 124-159, 220-265; M. JUGIE A. A., *Barlaam de Seminara;* Diction. d'Hist. et Géogr. ecclés., t. 6 (1932), 817-934; M. POPESCU, *Contributioni la istoria incercărilor de unire a Bisericilor. Tractatirele dela* 1337-1339 (*Barlaam oratio Avenione habita coram Benedictio XII Pontifice Maximo*); ST 1, III (1930), 23-79; C. GIANNELLI, *Un progetto di Barlaam Calabro per l'Unione delle Chiese;* StT n. 123 (Città del Vaticano 196), 156-208; G. SCHIRÒ, *Barlaam Calabro. Epistole Greche. I primordi episodici e dottrinali delle lotte esicaste*, Palermo 1954; R. J. LOENERTZ O. P., *Note sur la correspondence de Barlaam evêque de Gérace avec ses amis de Grèce;* OCP 23 (1957), 201-292.

Barlaam, qui ad annum usque 1342 in castris fuit photianorum [42], postea vero catholicam fidem est amplexus, primo quidem tempore multiplicavit suos tractatus contra Latinos, catholicam sententiam impugnans circa « Filioque » — contra quam 18 lucubrationes exaravit, — circa Azyma et circa Primatum Romani Pontificis [43]. Haec vero scripta neque Latinis, ut liquet, neque Byzantinis probata sunt [44].

Hoc eodem tempore strenue dimicavit contra Palamam eiusque *Hesychasmum*. De hac ultima quaestione nihil nobis servatum est; quae enim epistulae graecae modo sunt editae [45], omnes respiciunt prodroma controversiae Palamiticae, nimirum, quaestionem de Processione Spiritus Sancti. Satis vero scimus Barlaamum binos tractatus contra Hesychastas scripsisse, nimirum *adversus umbilicanimos* paulo ante a. 1339, et *adversus Messalianos,* anno sequenti redactum, post reditum a legatione Avenionensi.

E contra, quae in defensionem catholicae fidei redegit ultimis vitae suae annis omnia, in versione latina, novimus; nempe, 4 productas epistulas ad amicos in Graecia constitutos *de Primatu Romanae Ecclesiae* et *de Processione Spiritus Sancti a Patre et Filio,* quam ultimam sententiam denuo urget in opusculo: *Probatio per sacram Scripturam sexdecim argumentis quod Spiritus Sanctus est ex Filio, quemadmodum et ex Patre* [46].

220. Alii scriptores antipalamitae: Barlaamo in Palamismo debellando suffragantur plures alii primi subsellii scriptores; qui tamen rariores fiunt post Synodum a. 1351. Ab hoc autem tempore contra Palamismum decertare pergunt uni fere Byzantini qui Ecclesiae Catholicae nomen dederant.

Gregorius Acindynus († post 1350), ante a. 1335 Barlaamo, quem Thessalonicae noverat, amicitia coniunctus, mox Palamae et monachorum suorum partes secutus est; sed post a. 1341 Pala-

---

[42] G. Schirò, *Un documento inedito sulla fede di Barlaam Calabro;* Archivio Storico per la Calabria e la Lucania, 8 (1938), 155-166; M. Jugie A. A., *Barlaam est-il né catholique?*; EO 39 (1940), 100-125.

[43] Solummodo editus est tractatus contra Primatum in PG, 151, 1255-1280.

[44] « Le sue opere filosofiche e teologiche, come sostenitrici dei dogmi orientali, furono messe in silenzio in Occidente; mentre, basate su sistemi divergenti da quelle della teologia orientale, furono bandite dal mondo bizantino »; G. Schirò, o. c., 5. Hac eadem sententia abundat J. Meyendorff, *Un mauvais théologien de l'Unité au XIVe siècle: Barlaam le Calabrais;* in opere *L'Église et les Églises,* t. II, Chevetogne 1955, 47-64.

[45] Octo dat G. Schirò, *Barlaamo Calabro,* Palermo 1954, 229-330. Antea idem auctor illas ediderat, una cum versione italica, tribus fasciculis, *Le epistole di Barlaam Calabro,* Tivoli 1938.

[46] PG, 151, 1255-1342. Desideratur autem plena editio duarum orationum *pro unione Graecorum cum Ecclesia Romana ad Benedictum papam.*

mismo bellum gesit, quin et nominatim damnatus fuit [47]. Scripsit autem contra Barlaamum et contra Gregorium Palamam, e quibus pauca habemus excerpta [48]. Quid vero ipse sentiat de *Palamismo* scimus ex Oratione quam protulit coram Patriarcha IOANNE CALECA, Constantinopoli a. 1343 [49].

NICEPHORUS GREGORAS († 1360), inter scriptores byzantinos huius aetatis facile princeps, nomen sibi comparavit ut rhetor, grammaticus, mathematicus, astronomus, philosophus et theologus [50]. Scripsit autem *contra Gregorium Palamam,* quocum publice disputavit a. 1355 [51], *undecim Orationes,* quarum tres priores exaravit ante a. 1347, postea vero reliquas, a Philotheo Kokkino confutatas [52].

PROCHORUS CYDONIUS († post 1368) monasticam vitam duxit in Monte Athonensi, ubi multa perpeti debuit ob suam contra Palamam doctrinam; qua de causa a. 1368 excommunicatus est [53]. Praeter versiones Sancti Thomae, de quibus egimus initio huius capitis, scripsit opus *de essentia et operatione* [54] et *de divino lumine, quod in Monte Thabor apparuit,* partim recenti tempore editum [55].

DEMETRIUS CYDONIUS († 1400), qui cum in Aula esset IOANNIS CANTACUZENI [56] Thomam graecum facere coepit, a scribendi labore nunquam cessavit, ut ostendit catalogus suorum operum [57], quem recenter auxit IOANNES MERCATI 12 novis opusculis vulgatis [58].

---

[47] R. J. LOENERTZ O. P., *Dix-huit lettres de Grégoire Acindyne analysées et datées;* OCP 23 (1957), 114-144, ope epistularum, quaedam invenit de eius vita, antea ignota, annis 1335-1356.

[48] PG, 150, 843-877.

[49] Edita a TH. USPENSKII, Синодикъ въ недѣлю Православія; Odessa 1893, 85-92. De hac oratione lege R. J. LOENERTZ O. P., a. c., 118 s.

[50] G. PAPAMIHAIL, Ὁμολογία Γρηγορᾶ, EPh 11 (1914), 66-75; R. GUILLAND, *Essai sur Nicéphore Gregoras,* Pa 1926; Id., *Correspondance de Nicéphore Gregoras,* Pa 1927. Reliquum, Gregoras de se ipse plura refert sua *Historia Byzantina;* PG, 148-149.

[51] De hac disputatione vide M. CANDAL S. I., *Fuentes Palamíticas: Diálogo de Jorge Fracasí sobre el contradictorio de Palamas con Nicéforo Gregoras;* OCP 16 (1950), 303-357.

[52] Omnium Gregoras operum descriptionem habes PG, 148, 42-58.

[53] G. MERCATI, *Notizie di Procoro e Demetrio Cidone, Manuele Caleca e Teodoro Meliteniota;* StT 56 (Città del Vaticano 1931).

[54] PG, 151, 1192-1242.

[55] M. CANDAL S. I., *El libro VI de Prócoro Cidonio (Sobre la luz tabórica);* OCP 20 (1954), 247-297.

[56] Ad eius res gestas bene noscendas confert eius epistolarium, de quo vide G. CAMELLI, *Personaggi bizantini dei secoli XIV-XV attraverso le epistole di Demetrio Cidonio;* Bes 36 (1920), 77-108; V. LAURENT A. A., *La correspondance de Demetrius Cydonès;* EO 30 (1931), 339-354; R.-J. LOENERTZ O. P., *Les recueils des lettres de Demetrius Cydonès;* StT 131 (Città del Vaticano 1947); Id., *Demetrius Cydonès. Correspondance;* StT n. 186 (Città del Vaticano 1956).

[57] TDCO, I, 477-480.

[58] *Notizie di Procoro e Demetrio Cidonio ...,* 285-441.

Pleraque vero inedita remanent [59]. Ceterum, DEMETRIUS notus est in Occidente ob eius tractatum *de mortis contemptu*, pluries editum et in varias linguas conversus [60]. Denique, DEMETRIUS catholicam fidem professus est, quam ad mortem usque fideliter retinuit [61].

CONSTANTINUS HARMENOPOULOS († 1383) auctor est duorum tractatuum contra Palamismum, quibus Palamitis omnis generis errores adscribit [62].

IOANNES CYPARISSIOTA († ad finem saec. XIV) contra Palamitas redegit productum opus: *Palamiticarum transgressionum libri IV*, e quibus duo tantum, et hi fragmentarie, editi sunt [63]. Pariter scripsit *in Nilum Cabasilam* et librum cui titulus *Expositio elementaria eorum quae de Deo a theologis dicuntur*, cuius typis vulgata est versio latina [64].

Denique, nominandi sunt duo scriptores NICEPHORI GREGORAS amicissimi, videlicet THEODORUS DEXIOS, qui Gregoram monachum fecit [65], et ISAACUS ARGYRUS, qui Gregora magistro usus est [66], ambo autem sunt antipalamitae, etsi non eandem de Lumine Thaborico sententiam propugnaverint.

Post plenam *Palamismi* victoriam, eius adversarios si quaeras, adire debes scriptores patria quidem Byzantinos, sed confessione Catholicos — quinimo, de facto omnes sunt Ordinis FF. Praedicatorum — omnes insignes, nimirum:

MANUEL CALECAS († 1410), qui ut longius abiret a Palamismo nomen dedit Ecclesiae Catholicae et induit habitum dominicanum probaliter in conventu Mytiline, ubi et diem supremum obiit [67].

---

59 Iis quae habent PG 151, 1283-1301; 154, 837-864, 1075-1212 et G. MERCATI, l. c., perpauca addi debent edita a G. CAMELLI; Byzantinischneugriechische Jahrbucher 1922, 68-76.

60 S. SALAVILLE A. A., *Le traité « du Mépris de la mort » de Demetrius Cydonès traduit en français par Ménard en 1686*; EO 22 (1923), 26-49.

61 Dubia hac de re oborta solvit G. MERCATI, o. c., 441-450.

62 PG, 150, 864-876.

63 PG, 152, 633-738.

64 PG, 152, 741-992. Opus autem adversus Nilum, quod aliis anteponebat auctor, ineditum remanet. De hoc auctore recenter egerunt B. L. DENTAKIS, *Kyparissiotes Stoicheiodes ekthesis ton theologikon Rheseon;* Th 29 (1958), 115-124, 337-347, 411-420 (hisce vero tribus articulis nonnisi generales de lucta palamitica quaestiones agitat) et M. CANDAL S. I., *Juan Ciparisiota y el problema trinitario palamitico;* OCP 25 (1959), 127-164.

65 De hoc auctore vide G. MERCATI, o. c., 225-229, et M. CANDAL S. I., in articulo infra citato.

66 M. CANDAL S. I., *Un escrito trinitario de Isaac Argiro en la contienda palamítica de siglo XIV;* OCP 22 (1956), 92-127; Id., *Argiro contra Dexio (sobre la luz tabórica)*; OCP 23 (1957), 80-113.

67 R. LOENERTZ O. P., *La Société des Frères Pérégrinants*, R 1937, 83 s.; Id., *Correspondance de Manuel Calecas;* StT n. 152 (Città del Vaticano 1950); G. HOFMANN S. I., *Gli studi latini di Manuele Calecas;* Fontes Ambrosiani 27 (Milano 1951), 283-312.

Plura scripsit, e quibus edita sunt tractatus *de Processione Spiritus Sancti* [68], *adversus Graecos libri IV* et *de essentia et operatione* [69].

Maximus Chrysobergas († paulo post 1410), eiusque fratres Theodorus († 1429) et Andreas archiepiscopus Rhodensis († 1456) [70], impensam litteris operam dederunt, licet tipis datam unam tantum habeamus dissertationem Maximi *de Processione Spiritus Sancti* [71].

§ 2. *Controversiae agitatae*

221. Disputationum indoles: Tritum sermone proverbium docet Byzantinos subtilioribus disputationibus delectari; id autem praesertim obtinet hac nostra periodo, sive internas disceptationes attendas de *Palamismo,* sive controversias cum *Ecclesia Romana;* disceptandi enim fervor vehemens semper fuit. Sed argumentorum *ratio diversa* est aliquantulum, tam in acie Palamitarum quam inter Antipalamitas. Palamismum enim sustinent primo quidem monachi, postea vero eruditi. Contra Palamismum decertant primo quidem Barlaam et eius amici latinophrones; postea vero Gregoras et sui asseclae, qui eodem inimicitiae sensu prosequuntur et Palamitarum et Catholicorum doctrinam. Id autem accurate attendi debet [72].

Praeterea, etsi quaestio de Palamismo exorta sit absque ullo influxu doctrinae Sancti Thomae, semel ac Angelici opera graeca facta sunt arma suppeditant Antipalamitis, id quod secum fert disceptationem de D. Thoma et de pondere suorum argumentorum.

Quae cum ita sint, paucis consideremus oportet controversias byzantinas *de Palamismo, de Sancto Thoma, de doctrina Ecclesiae Romanae.* His autem subiciemus quaedam de sententia *mariologica,* quae, Palamitis auctoribus, auream suam aetatem Byzantii novit.

---

68 PG, 154, 863-868, Demetrio Cydonio falso tributus.

69 PG, 112, 11-428.

70 De iis R. Loenertz O. P., o. c., 84-88; J. Darrouzès A. A., *La date de la mort d'Andrès Chrysobergès OP, archévêque de Nicosie et Légat Apostolique à Chypre;* AFP 21 (1957), 301-305.

71 PG, 154, 1217-1231.

72 Ad hanc autem rationem diversam habendam adeatur Philotheus hieromonachus, postea Metropolita Selimbiensis, qui in suo *Dialogo de theologia dogmatica* inducit inter se disputantes Palamam, Barlaam, Gregoram, Acindynum, Isaacum Argyrum, Theodorum Dexium, Theodorum Atuemem, Imperatorem Cantacuzenum, Patriarcham Philotheum Kokkinum; auctor vero Dialogi « indolem et opinamenta cuiusque personae, prout ex historia nobis comperta sunt, accurate dipingit et refert »; TDCO, II, 122.

222. Prima de Palamismo disceptatio: David Disypatos sua *brevi historia, tres triades* Gregorii Palamae secutus, nos docet Palamam *Hesychasmum* vindicare debuisse contra tria obiecta Barlaami, Hesychastas criminantis propterea quod eorum methodus et rationi consentanea minime sit, et ad errorem Messalianorum, quin et ad Dytheismum necessario ducat [73]. Id autem veritati respondere ostendere videntur ea que novimus documenta hac prima periodo controversiae palamiticae redacta [74].

Barlaam enim, qui iam ad Hesychasmum alludit prima sua epistula data « sapientissimo atque doctissimo spirituali meo patri in Christo » [75], scribens ad Ignatium hesychastam, non sine maligna quadam delectatione verba facit de *methodo Hesychastarum* [76], quam deinde tamquam omni rationabili et spirituali fundamento destitutam impetit suo libello *adversus umbilicanimos* [77]. Cum autem Palamas insisteret in contemplatione *luminis divini*, Hesychastarum propria, magis quam in ipsa practica orandi ratione [78], contendens hoc lumen divinum esse et hominibus ita physice dari ut illos divinos redderet, Barlaam Hesychastas reos dixit *Messalianismi* [79], conscripto altero libello qui audit *adversus Messalianos* [80]. Haec cum rescivisset Palamas conatus est ostendere lumen illud divinitatem quidem esse, sed *distinctam* ab essentia divina, eaque *inferiorem*. Hinc scandalum Barlaam, qui ad *Dytheismum* conclamavit. Ab hoc vero crimime Palamas idcirco se solutum putat quod essentia et lumen ab invicem inseparabilia sunt, et sese habent

---

73 Cf. quae de hoc opusculo disserit M. Candal S. I., a. c.; OCP 15 (1949), 102-108.

74 Theologiam palamiticam copiose atque fundatissime exponit M. Jugie A. A., TDCO, t. II, Pa 1933, pp. 47-183, quem ut quodammodo compleam malui textui adhibere praesertim documenta posterius a Candal et Schirò in lucem data.

75 G. Schirò, *Barlaam Calabro,* Palermo 1954, 229 (lin. 7-10), 240 s. (lin. 287-290, 304-307). Epistula autem scripta fuit a. 1335; G. Schirò, o. c., 38.

76 G. Schirò, o. c., pp. 323 s. (lin. 114-131). Epistula autem tribuitur a. 1336; Ibid., 47. Id vero totum, necnon illud colloqium cum quodam iuveni hesychasta, cuius meminit Barlaam, arte confictum dicit Ioannes Cantacuzenos.

77 Hoc opusculum redegit Barlaam Thessalonicae anno fere 1337/1338; G. Schirò, o. s., 202.

78 Hoc de facto fuit argumentum *Primae Triadis;* M. Candal S. I., a. c., OCP 15 (1949), 105.

79 « Iuxta Messalianos seu Euchitas in unoquoque homine ... fugato [daemone] Spiritus Sanctus animae illabitur, illam claritate implens, suamque praesentiam sensibiliter manifestans. Post hunc Spiritus illapsum ... perfecti ... etiam oculis corporeis Trinitatem contemplantur »; TDCO, I, 432.

80 Hoc opusculum lucubratum fuit a Barlaamo ad finem a. 1339, expleta sua legatione ad Pontificem Benedictum XII; illi vero respondit Palamas edita *Triade altera,* in qua refellit omnem Messalianismi speciem; M. Candal S. I., a. c., OCP 15 (1949), 106.

ut causa et causatum, sicut persona Patris et reliquae divinae personae a Patre causatae [81].

Similia habes in *Tomo Hagioritico*, ipsi GREGORIO PALAMAE probabiliter tribuendo [82]; ubi, locis adductis pseudo-Dionysii, et S. Maximi, athonenses palamitae contendunt suos Hesychastas, licet admittant *gratiam increatam*, lumen scilicet divinum seu Thaboricum nobis intrinsece inhaerens nosque sanctificans, longissime abesse a Messaliarorum et Dytheistarum deliramentis.

Age iam; tam in opusculo DAVIDIS quam in *Tomo Hagioritico* prorsus exulat illud dictum: *divinitas inferior* (Θεότης ὑφειμένη), quod fuit cardo totius disputationis. Constat vero PALAMAM illo usum fuisse — sicut et reliquis formulis ab illo manantibus — cum ante Synodum a. 1341, tum etiam postea, minime obtemperans decreto, Hesychastas a controversia cessare iubenti. Imo et hanc ob causam PALAMAS excommunicationis sententia mulctatus est die 4 nov. 1344 [83].

Sententia autem damnationis contra Palamam data, ei exprobrat quod in una Deitate « multas quasdam deitates esse et multos deos, praeter vera dogmata, impudenter et temerarie » sanciat; necnon quod « defectus et suppositiones et depressiones, sine ulla ratione, recentiorum harum deitatum » statuat [84].

Hanc vero dicendi sentiendique rationem a PALAMA coli deprehenditur ex locis, quos ex eius operibus colligit auctor opusculi *De blasphemis dogmatibus Gregorii Palamae* [85]. Legimus, ex. gr., in epistula Palamae ad Acindynum: « Est igitur deitas remissa (ὑφειμένη), donum existens deitatis supereminentis (ὑπερκειμένη), nec tantum deitas sed increata deitas, et ultra hanc deitatem est Deus »; et in Dialogo cui titulus *Barlaamites et Orthodoxus*: « Videsne evidenter quod non tantum quae prorsus est invisibilis et inintelligibilis et imparticipabilis deitas, sed etiam quae ineffabi-

---

[81] Quae hac de re habet DISYPATOS respondent *Triadi tertiae*; M. CANDAL S. I., l. c., 119-125, 107-108.

[82] PG, 150, 1225-1236. Ut patet ex subscriptionibus, *Tomus Hagioriticus* admittitur ab hegumenis monasteriorum athonensium, quibus adstipulatur « monachorum minimus IOASAPH » sive Imperator IOANNES CANTACUZENUS, qui monasticam vitam amplexus est a. 1355. Prima vero redactio *Tomi* poni debet paulo ante Synodum a. 1341, et concedenda videtur ipsi GREGORIO PALAMAE. Cfr. G. SCHIRÒ, o. c., p. 207 s.

[83] Quodsi IOANNES CALECAS Patriarcha et ACINDYNUS, hactenus amici Palamae, contra eum insurgunt, in causa fuit Palamae in loquendo intemperantia. De his lege TDCO, II, 64-66.

[84] PG, 150, 885 D - 886 A.

[85] Opusculum recurrit PG, 154, 837-864 inter opera DEMETRII CYDONII; iuxta M. JUGIE A. A., verus auctor est quidam monachus, NIPHON nomine; TDCO, II, 81, not. 3.

liter sanctis est aspectabilis et intelligibilis et participabilis deitas Dei est? » [86]. Porro, haec operatio seu deitas inferior a substantia divina seu divinitate superiore illa *distinctione* distinguitur « nimirum secundum causam et causatum » [87]; etiamsi nulla exinde compositio fiat in divinis [88].

Hoc *rigidum Palamismi systema* respicit CONSTANTINUS HARMENOPOULOS duabus suis diatribis, a Leone ALLATIO, absque nomine auctoris editis [89]. Constantinus enim non minus quam 19 gravissimos errores invenisse se putat in doctrina Palamae [90].

Et re vera, semel asserta reali distinctione inter divinam essentiam et divinam operationem, ad quam reducit PALAMAS gratiam sanctificantem, alia inferuntur absona, imprimisque circa ipsam gratiam sanctificantem; quae, cum sit divina increata energia, hominem quoque increatum reddit [91].

223. MITIORIS PALAMISMI RATIO AB ANNO 1351: Hae vero palamiticae formulae, praesertim illae de divinitate inferioris ordinis, deque his deitatibus inferioribus in infiinitum fere multiplicandis, non amplius adhibentur a quo tempore, auctore

---

86 PG, 154, 848 A, B.

87 « Unam igitur hanc et praecipuam proprie dixerit aliquis inter divinam substantiam et divinam operationem distinctionis speciem, nimirum secundum causam et causatum », quae sunt verba PALAMAE in *Theophanes;* PG, 154, 848 A.

88 PG, 154, 857, ubi verbis PALAMAE subiungit dicta a PHILOTHEO KOKKINO: « Sed compositio tunc fit et dicitur, quando duae res singulae habent propriam subsistentiam, quarum unaquaeque possit esse per se et considerari sine altera »

89 PG, 150, 861-876.

90 Nimirum, PALAMAS 1) cum Gentibus consociat Deo, 2) cum Platone praedicat unum Deum visibilem et alterum invisibilem, 3) cum Manichaeis duas deitates, bonam et malam, adstruit, 4) in divinis quaternionem cum Pythagora accipit, 5) Aristotelem sequitur in errore de hominis sine principio existentia, 6) cum Ario subordinationismum admittit in divinis, 7) similis est Macedonio Spiritum operatione sua privanti, 8) sicut Eunomius Christum Patri inaequalem dicit, 9) sicut Sabellius tres personas una operatione confundit, 10) consentit Apollinario, qui inconfusam naturam in superiorem, inferiorem et magis adhuc inferiorem dispertit, 11) sicut Paulus Samosatenus Deum contrariis constare docet, 12) in dementiam incidit Manetis, putans hanc miram doctrinam sibi a Paraclito manifestatam, quae diu Ecclesiae latuit, 13) it cum Monothelitis, voluntatem humanam Christi cum voluntate increata necessario confundens, 14) proxime abest a Monophysitis, quia si Christus, etiam ut homo, increatus est, eius naturae non distinguuntur, 15) ex eodem fonte promanat et prava Theopaschitarum opinio, 16) et Aphthartodocetarum haeresis subest huic sententiae de aeterna origine naturae humanae, 17) imo et Iconoclasmi reus est; nam si homo est increatus erit et incircumscriptus, ac proinde non potest imagine reddi, 18) probat Messalianos in seipsis Dei essentiam habere clamitantes, 19) denique, cum Latinis duo in Trinitate principia docet, Patrem, inquam, causam Filii et Spiritus Sancti, et tres personas simul sumptas, quae sunt principium operationum. PG, 150, 868 A - 869 B.

91 Hac de re lege M. CANDAL S. I., *Innovaciones palamíticas en la doctrina de la gracia;* StT n. 123 (Città del Vaticano 1946), 65-103.

IOANNE CANTACUZENO, primas obtinuit systema palamiticum, quod Synodus a. 1351 ad Blachernas sollemniter sancivit.

Id vero clarissime evincitur, si adeas documenta huius periodi. IOANNES CANTACUZENUS, has formulas damnat: « Nostri adversarii dicunt nos opinari in Deo duas divinitates, unam quae sit essentia, aliam quae essentia non sit; de quo ego dico: sub anathemate sit qui hoc senserit ... Dicunt nos adorare deos inferiores, quorum non sit numerus, ex essentia Dei procedentes ... Adhuc dicunt nos docere eos qui divinitatum inferiorum participes sunt fieri sine principio et increatos et aeternos; et dico: sub anathemate sit qui talia senserit » [92].

Ipse etiam PALAMAS, in sua fidei professione, occasione Synodi a. 1351, uti videtur, redacta, prioris suae rationis obliviscitur, dum ad finem meminit erroris Barlaam et Acindyni de natura creata *luminis thaborici*, id quod, de mente Palamae, scindit unam Deitatem in duas, increatam alteram, alteram creatam [93].

Pariter in producto *Tomo synodico* damnationis Barlaam et Acindyni, praedictae formulae silentio praetermittuntur [94]. Nec aliud invenies in *Tomo damnationis Prochori Cydonii* a. 1368 [95].

Sed etiamsi hoc pacto sententiam Palamae consulto mitigare studeant, Palamitae retinent id quod est praecipuum, nempe *realem quandam distinctionem* inter divinam essentiam et divinam operationem seu energiam, quam practice reducunt ad *lumen* illud quo Christus Dominus in *monte Thabor* tribus suis apostolis conspiciendum se praebuit.

Haec nova *Palamismi mitioris* ratio sese prodit occasione disputationis initae inter PALAMAM et GREGORAM a. 1355, coram Imperatore IOANNE V PALAEOLOGO et Legatis Romanis, de qua, praeter narrationem ipsius NICEPHORI GREGORAE [96], habentur documenta Palamitarum, nimirum dissertationes GREGORII PALAMAE et NICOLAI CABASILAE, necnon *Dialogus* GEORGII FRACASÌ [97].

His vero alia accedunt, ut libri PHILOTHEI KOKKINI contra Gre-

---

[92] Epistula ad quendam episcopum servata in Cod. Laur. Athanas. Athon. 135, quo usus est M. JUGIE A. A., TDCO, II, 115.

[93] PG, 151, 768 b-C.

[94] PG, 151, 717-764. *Tomus*, multiplicatis auctoritatibus SS. Patrum, — quos inter « divinus ille interpres (Θεηγόρος) sanctissimus archiepiscopus veteris Romae »; l. c., 727 D — distinctionem palamiticam vindicare studet.

[95] PG, 151, 693-716.

[96] NICEPHORUS GREGORAS, *Historia Byzantina*, lib. XXX-XXXI; PG, 149, 233-330.

[97] *Opuscula* Nicolai et Palamae manuscripta servantur; *Dialogus* autem Fracasì graece et latine editus est in OCP 16 (1950), 328-357, curante M. CANDAL S. I.

goram[98], *Regula Theologica* NILI CABASILAE[99] et *Tomus Synodi* a. 1368[100].

Haec si legas, videbis PALAMAM distinctionem inter divinam essentiam ed divinas operationes duabus praecipue de causis vindicare; primo quidem quia *distingui debent a Deo ea quae in Deo sunt,* vel quae Deus habet; secundo vero quia operationes seu *energiae divinae nobis participantur,* secus vero ipsa Dei essentia[101]. Nec tamen putes hac lege compositionem Deo tribui; nam, ut dicit solvens obiecta NICEPHORI, « omnia quae naturaliter Deo competunt unum increatum efficiunt et, hac ratione, non multa increata sed unum sunt »[102].

Hanc eandem doctrinam, clarius explanatam, confer penes NILUM CABASILAM, qui in sua *Regula Theologica* tradit Dei naturam distingui ab hypostasibus divinis, a divinis proprietatibus et a divinis operationibus; quae quidem censeri debent « discreta quidem ratione (τῷ λόγῳ, ἐπινοίᾳ), re tamen ipsa non disiuncta »[103].

Quare, Synodus a. 1368 PROCHORUM CYDONIUM reprehendit statuentem identitatem realem inter operationem et essentiam Dei; nam, ut paulo antea dixerat, haec dicuntur secundum aliud et aliud; iam vero ut habeamus vere aliud et aliud secundum rationem (κατὰ τὸν λόγον) etiam a parte rei aliud et aliud sint oportet[104].

Reliquum, desideratur penes Palamitas clarior definitio distinctionis inter essentiam divinam et divinam operationem. Essentiam autem et operationem ipsi distinguunt, non solum cum fundamento in re, sed quia a parte rei, independenter a mentis nostrae cogitatione, ab invicem distinctae sunt.

Ad talem autem distinctionem in divinis asserendam, iuxta nonnullos auctores[105], Palamitae adducti sunt *abusu quodam distinctionis formalis ex natura rei,* Scotistarum propriae. Porro, id dici nequit de ipso GREGORIO PALAMA; forsitan obtinet penes poste-

---

98 PHILOTHEI Constantinopolitani Patriarchae *antirrhetici libri XII contra Gregoram;* PG, 151, 773-1186. Primi quinque libri toti positi sunt in statuendo discrimine inter divinam essentiam et divinam operationem.

99 Edita est a M. CANDAL S. I. in OCP 23 (1957), 240-257.

100 PG, 151, 693-716.

101 GEORGIUS FRACASÍ, *Narratio brevis ...,* l. c., 338 s. 340. His respondent quae refert GREGORAS, *Hist. Byz.,* l. XXX, cap. 16, 23; PG, 149, 264 D, 281 C-D.

102 *Narratio brevis ...,* l. c., p .334.

103 OCP 23 (1957), 246.

104 PG, 151, 669 B, 698 B-C.

105 S. GUICHARDAN A. A., *La problème de la simplicité divine en Orient et en Occident aux XIV et XV siècles: Grégoire Palamas, Duns Scot, Géorges Scholarios,* Pa 1938, 203-212.

riores Palamitas, ut animadvertit JUGIE[106]. Nec mirum si ad hanc distintionis speciem confugiunt agentes contra utrumque CYDONIUM, aliosque scholastica S. Thomae ratione imbutos.

Denique, tota hac altera Palamismi periodo copiosus sermo fit de *Lumine Thaborico,* quod ipsi sumunt de energia quadam ipsius Verbi divinitatis, ac proinde increata et aeterna, nobis autem pervia; Antipalamitae vero creatum quid dicunt, etiamsi non una eademque inter illos ratio sit.

THEODORUS DEXIUS lumen Thaboricum dixit nihil aliud esse quam « assumptam a Domino humanitatem » (δεσποτικὸν πρόσλημμα)[107]. Hanc opinionem reprehendit ISAACUS ARGYROS, qui, multiplicatis argumentis, contendit « lucem in persona Domini coruscantem in divina illa Transfiguratione splendorem fuisse et primitivum ac naturale decus, quo a Deo primus homo creatus est »[108]. PROCHORUS autem CYDONIUS, falsis Palamitarum commentis explosis, nos docet lumen Thaboricum esse splendorem corporis Christi, quod iam ostendit claritatem internam suae animae[109].

224. CONTROVERSIA DE DOCTRINA S. THOMAE AQUINATIS: Quanta fuerit Byzantinorum admiratio erga Divum THOMAM, cum primo DEMETRIUS CYDONIUS eius opera vertere coepit, ostendit epistula ipsius Demetrii ad amicum suum CALOPHERON[110]; magno siquidem favore recepta est versio, etiam ab ipso Imperatore IOANNE CANTACUZENO. Postea vero, cum Aquinatis doctrina praesidio esset adversariis Palamismi, Aquinatem acriter impugnare incipiunt scriptores palamitae.

Ut verum loquar, et ipsi agnoscunt *praestantiam doctrinae* S. Thomae, quemadmodum conceptis verbis tradit MATTHAEUS ANGELOS PANARETOS, ubi dicit S. Thomam tanta gaudere in universa Latinorum Ecclesia fama ut a Latinis novus Chrysostomus habea-

---

106 TDCO, II, 125-130, 146-148 videre sibi visus est hanc distinctionem solummodo apud Georgium Scholarium.

107 TDCO, II, 156, textus adhibet, qui ratione aliquantulum diversa sumi possunt.

108 *Circa lucem Transfigurationis Salvatoris,* a M. CANDAL S. I. editum in OCP 23 (1957), 100.

109 M. CANDAL S. I., *El libro VI de Prócoro Cidonio,* n. 24; OCP 20 (1954), 284.

110 N. FRANCO, *I codici vaticani della versione greca delle opere di S. Tommaso di Aquino,* R 1893 apud M. JUGIE A. A. in EO 27 (1928), 393-395; R. LOENERTZ O. P., *Demetrius Cydonès. Correspondance;* StT n. 186 (Città del Vaticano 1956), 64-66 praebet litteras a Demetrio datas ad Georgium philosophum de praestantia Thomae in re philosophica.

tur[111]. Videlicet, ea tantum reprehendunt quae sententiam palamiticam et controversias cum Ecclesia Romana respiciunt[112].

Nilus Cabasilas, ut Aquinatem refutaret, in tertia parte sui operis de Processione Spiritus Sancti, per 49 continentia capita solvere conatur argumenta Latinorum a *Summa contra Gentes* magna ex parte petita[113]. Panaretos duobus in opusculis impugnat capita IV et IX opusculi Aquinatis *ad Cantorem Antiochenum,* quae versantur in doctrina de Processione Spiritus Sancti et de Purgatorio[114]. Demetrius Chrysoloras, respondens Demetrio Cydonio, perpendit et impugnat sententiam Divi Thomae de singulis controversiis Latinos inter et Byzantinos agitatis[115]. Denique, Iosephus Bryennios Doctori Angelico vitio vertit errores admissos in allegandis testimoniis SS. Patrum, praesertim Theodoreti Cyrensis et S. Ioannis Damasceni[116].

His vero adnumerandi sunt Georgius Voilas, in primo suo contra Latinos discursu, Callistus Angelicudes, Meliniceota dictus, qui perlongum exaravit tractatum adversus opusculum Divi Thomae *contra errores Graecorum* et Angelus Aidaros, de quibus vix quidquam scitur[117].

E contrario, Antipalamitae, semel ac Aquinatem noverunt, ad illum libenter confugiunt, eius argumentandi methodo utuntur, quinimo et eius doctrinam et auctoritatem contra adversarios vindicare student.

Equidem scio Barlaamum ipsum, cum adhuc esset in castris dissidentium, opuscula scripsisse contra sententiam Divi Thomae de distinctione divinarum Personarum secundum oppositionem re-

---

111 Sic in scholio, quo verba facit de vita et scriptis S. Thomae, deque eius graeca versione. Scholium dat P. Risso, *Matteo Angelo Panareto et cinque suoi opuscoli*; Roma e l'Oriente 8 (1914), 232 s.

112 Audi Georgium Scholarium, sequenti saeculo scribentem: « Utinam, optime Thoma, in Occidente non fuisses natus, et sic neque coactus fuisses ad suscipiendum patrocinium errorum, quibus tota Ecclesia [Occidentalis] a veritate deviavit, et praesertim erroris illius circa Processionem Spiritus Sancti et circa distinctionem inter essentiam et operationem »; EO 23 (1924), 135.

113 E. Candal S. I., *Nilus Cabasilas et theologia S. Thomae de Processione Spiritus Sancti*; StT n. 116 (Città del Vaticano 1945).

114 P. Risso, l. c. 232. Panaretos ut « thesin » proponit verba — integra capita — —S. Thomae secundum versionem Demetrii; deinde subiungit « antithesin » seu refutationem singulorum argumentorum.

115 A. Palmieri, *Demetrios Chrysoloras;* DTC, II, 2421. Bene tamen nota: hic « Dialogus evertens librum Demetrii Cydonii contra beatum Nilum Cabasilam Thessalonicensem » agitur, non a quattuor, sed a duobus tantum, nempe, a Cydonio agente partes Divi Thomae, et a Chrysolora qui Nilum defendit.

116 Lege *Dialogum* cum Maximo Chrysoberga in operibus Bryennii editis ab E. Bulgaris, I, L 1768.

117 De illis omnibus agit M. Jugie A. A. *Démétrius Cydonès et la théologie latine à Byzance aux XIVe et XVe siècles;* EO 27 (1928), 385-402.

lationum et de constitutivo Personae Patris, quod Angelicus dicit paternitatem, Barlaam vero ingenitum [118]. ACINDYNUS autem, IOANNES CALECAS et GREGORAS Aquinatem ignorarunt.

Secus vero uterque CYDONIUS et IOANNES CYPARISSIOTA. Hic suis contra Palamam scriptis adhibuit methodum scholasticam, quam etiam retinet PROCHORUS CYDONIUS in opusculo *de ente et essentia* [119].

Quare, nihil mirum si contra NILUM CABASILAM aliosque impugnatores Sancti Thomae DEMETRIUS CYDONIUS Angelici Doctoris apologiam texuit, nondum editam [120].

Vel hae, quae de Aquinate agitantur, controversiae satis ostendunt eius doctrinam *momento* non caruisse suo Byzantii ab altera medietate saeculi XIV, sive penes philosophos, sive etiam et praecipue in provincia religionis et theologiae.

Iure enim meritoque defertur Divo THOMAE triumphus *Aristotelismi* supra Platonismum antea invalescentem [121]. Sed quidquid sit de hoc influxo philosophico, constat e lectione Divi THOMAE Antipalamitas bene erga Ecclesiam Catholicam eiusque dogmata affici, ut ostendunt litterae, quas suo et amicorum nomine DEMETRIUS CYDONIUS ad BARLAAMUM dedit [122]. Denique, plures novimus Byzantinos antipalamitas qui catholici facti sunt, praesertim sub pontificatu GREGORII XI [123], qui a. 1374 DEMETRIUM CYDONIUM ut ad se veniret comiter invitavit [124], et apud quem commoratus est mensibus 14 IOANNES CYPARISSIOTA [125], Praeter hos, plures alii catholici habendi sunt, quos inter et PROCHORUS CYDONIUS [126].

---

118 Utrumque opusculum ineditum est. Postea vero suis litteris ad Demetrium Cydonium et ad Alexium Catochetum episcopum S. Thomam commendat. PG, 151, 1301-1308, 1309-1314.

119 Cfr. IOANNIS librum *Expositio rerum quae de Deo a theologis dicuntur;* PG 152, 737-990 et M. CANDAL S. I., de opusculo Prochori disserentem in OCP 20 (1954), 247-297.

120 M. RAKL, *Die ungedruckte Verteidungsschrift des Demetrius Kydones für Thomas von Aquin gegen Neilos Kabasilas;* Divus Thomas 7 (1920). 303-327.

121 K. KRUMBACHER, *Geschichte der byzantinischen Literatur* 2, München 1897, 479.

122 PG, 151, 1283-1301. His vero litteris DEMETRIUS, recensitis argumentis Latinorum et Byzantinorum circa Spiritus Sancti Processionem, expresse dicit sententiam photianam latina longe esse deteriorem, etiamsi asserere non audeat « Filioque » tanta vi pollere ut necessario teneri debeat.

123 W. NORDEN, *Das Papsttum und Byzanz,* Be 1903, 706 not. 2.

124 G. MERCATI, *Se la versione dall'ebraico del cod. Vat. gr. VII sia da Simone Atumano;* StT n. 30 (R 1916), 57.

125 A. MERCATI, *Giovanni Cyparissiota alla Corte di Gregorio XI (nov. 1376-dic. 1377);* BZ 30 (1929-1930), 496-501.

126 Ita certo dici posse censeo cum M. CANDAL S. I. in OCP 20 (1954), 257. Has autem conversiones impense promoverunt Constantinopolitani Patres Dominicani, imprimisque PHILIPPUS A PERA, cuius sunt tractatus *de oboedientia Romanae Ecclesiae debita* et *de Processione Spiritus Sancti,* annis 1358 et 1359 vulgati, et IOANNES DE FONTIBUS, auctor opusculi *de Processione Spiritus Sancti*

225. Crimina hoc tempore a Palamitis praesertim in Latinos devoluta: Rebus sic se habentibus, facile intelliges contra Latinos agmen ducere scriptores Palamitas, praesertim eos qui adversus S. Thomam acrius decertant ac proinde Catholicorum sententiam in rebus controversis magis quam antea profligare student. Id videre est in opusculis polemicis Matthaei Angeli Panaretos.

Panaretos infinitus pene est in scribendo contra Latinos [127]. Eius enim novimus 10 diversos tractatus *contra Processionem Spiritus Sancti* a Patre et a Filio; 3 libellos *contra Primatum,* quibus impugnat non solum Primatum Romanorum Pontificum, verum etiam Primatum Divi Petri, argumenta iterans opusculi Photio male tributi *contra eos qui dicunt Romam primum esse thronum,* quibus sperat Patres Dominicanos facile victum iri, ut ipse confidenter asserit in suo *Dialogo cum quodam Patre Dominicano* [128]. Alia praeterea agitat variis in opusculis de Azymis, de Purgatorio, etc.

In opusculo autem cui titulus; *De aliis vigintiquattuor absurditatibus Latinorum,* haec recenset: 1) Azyma, 2) Aquam calidam non infusam calici, 3) Communionem sub una tantum specie, 4) Baptisma per infusionem vel per aspersionem collatum, 5) Coelibatum clericorum, 6) Simoniacam sacrorum Ordinum collationem, 7) Nuptias inter consanguineos, 8) Laicorum et mulierum aditum ad altare, 9) Transgressionem abstinentiae feriis IV et VI, 10) Ieiunium Sabbati, 11) Procrastinationem initii temporis Quadragesimae, 12) Esum immundorum animalium, 13) Refectionem cum iudaeis sumptam, 14) Suffocatorum comestionem, 15) Latinorum usum bibendi propriam urinam, 16) Ignem Purgatorii, 17) Quorundam Canonum Apostolicorum reiectionem, 18) Latinam consuetudinem barbae radendae, 19) Dispositionem Altaris, quod non semper respicit Orientem versus, 20) Usum sacerdotum diaconali fungentium munere, 21) Plures Missas una die supra uno eodemque Altari celebratas, 22) Tres Missas lectas ab unico sacerdote die Natalis Domini, 23) Chirothecarum inter celebrandum sacris abusum, 24) Omissionem hebdomadae tyrophagiae in Ecclesia Latina [129].

Verum hisce omnibus, a litteris Michaelis Caerularii et ab *Opusculo contra Francos* mutuatis, silentio praetermissis, paucis agemus *de Processione* Spiritus Sancti, *de Primatu* Romano et *de Epiclesi* eucharistica, de qua lis hac nostra periodo oborta est.

---

et alterius *Exhortatio ad unionem;* R. Loenertz O. P., *La Société des Frères pérégrinants,* R 1937, 81-83.

[127] P. Risso, a. c.; Roma e l'Oriente 8 (1914-1916), 162-179.

[128] P. Risso, l. c., 175-176. Quis autem Dominicanus ille fuerit nescimus.

[129] Ibid., 278-280. Risso autem ad singula obiecta fontes, quibus Panaretos probabiliter usus est, adducit.

226. Contra Processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio varia sententia: Ut supra dictum manet [130], non defuere hoc tempore qui contra « Filioque » Latinorum scripto decertarent, ut ipse Barlaamus Calaber, Gregorius Palamas, Nilus Cabasilas, Theophanes Nicaenus, Iosephus Bryennios. Illis vero comune est studium solvendi argumenta a Divo Thoma allata in favorem sententiae catholicae, licet non una eademque ratione omnes usi sint.

Barlaamus, quaerens praemissas quasdam communes a quibus disputatio cum Latinis possit exordiri, sibi sumit illud: Filium esse *principium a principo,* uti occidentales retinent et iam S. Gregorius Nazianzenus edixerat [131]; quod sumit de aliqua habitudine ad ipsam originem Spiritus Sancti, non sine scandalo Palamae reputantis hac via verbo tenus Latinos refelli, re autem vera illorum sententiam probari [132]. E contra, Barlaamus sibi persuaserat facile demonstrare se posse ex his Latinorum — vel ut rectius loquar, S. Thomae, — praemissis minime inferri Processionem Spiritus Sancti a Patre Filioque.

Maiore acumine in sententiam Divi Thomae de Processione Spiritus Sancti fertur Nilus Cabasilas, qui « ordinem illum servat ut rationes omnes adducat ex quibus latini [lege Thomam] conclusionem educere videntur illam, quae in additione Symbolo facta continetur » [133]. Quapropter, convellere satagit nostra argumenta a Sacra Scriptura et SS. Patribus petita, praecipuam vero operam collocat in declarando « Latinos non posse ope syllogismorum Processionem Spiritus Sancti ex Filio demonstrare » [134]. Id ut assequatur, Nilus adversus Thomam ad Scotum confugit [135].

227. Nilus Cabasilas de Primatu Romani Pontificis: Nostram attentionem merentur nova argumenta contra Romanorum Pontificum Primatum adducta a Nilo Cabasila, bipartito

---

130 Cfr. supra ad nn. 217-219.

131 *Oratio in Sanctum Pascha;* PG, 36, 633 C: ἡ ἐκ τῆς ἀρχῆς ἀρχή, τὸ ἐκ τοῦ φωτὸς φῶς. Verbis autem Nazianzeni Barlaamus adhibuit dictum S. Epiphanii: ὁ πηγὴ ὢν ἐκ πηγῆς (*Ancoratus,* n. 19; PG, 43, 52 B); G. Schirò, *Barlaam Calabro,* Palermo 1954, 62, 77.

132 J. Meyendorff, *Les débuts de la controverse hésychaste*; Byz 23 (1953), 108-110.

133 Sic Nicolaus Cabasilas in Praefatione ad opus sui avunculi; PG, 149, 678.

134 Hanc tertiam totius operis partem accuratissime edidit, vertit et commentatus est M. Candal S. I., *Nilus Cabasilas et Theologia S. Thomae de Processione Spiritus Sancti*; StT n. 116 (Città del Vaticano 1945).

135 Iure id asserit M. Candal S. I., o. c., 179. J. Meyendorff, a. c., 103, not. (2) addit illud: iuxta Bessarionem « Barlaam aurait notamment fourni à Nil des arguments scotistes contre la théologie de S. Thomas »; Bessarion autem, loco adducto: PG, 161, 193 D - 196 A, id non asserit.

suo opere *De causis dissensionum in Ecclesia et de Primatu Papae* [136] praesertim altero libro, qui totus positus est in natura potestatis quae Romanis episcopis competit vi Primatus.

In primo libro ostendit necessitatem Concilii Generalis ut ecclesiasticum schisma e medio tollatur. In altero determinare satagit naturam, indolem et ambitum potestatis Sedis Romanae propriae.

Uti assolet, initio paucis et simul sinceris verbis compendiat Latinorum sententiam [137]. Tum suam mentem nobis aperit. In episcopo Romano, ait, duo sunt sedulo distinguenda: potestas nimirum quam obtinet ut Romae episcopus, quamque habet a S. Petro, cuius est in cathedra succesor, et potestas illa qua « sit primus episcoporum » quamque Romanae Sedi contulerunt Patres in Concilio coadunati et pii reges, minime vero Christus Dominus, neque S. Petrus, qui sane Primatu iure divino gavisus est, neque enim id Nilus negare audet. Attamen Romanus Pontifex S. Petro succedere dicendus est, ut episcopus, quin extraordinarias Petri praerrogativas sortiatur; sicut et reliqui episcopi dicuntur Apostolorum successores, etiamsi iura apostolica nulla obtineant [138].

Sua haec asserta ut roboret Nilus adhibet documenta *Conciliorum;* quae, ad mentem Catholicorum solummodo publice *agnoscunt* supremum illud et primatiale ius Petro et suis in cathedra successoribus divinitus collatum; iuxta Nilum vero haec decreta ius Primatus Romanorum Pontificum *condunt.* Tum per singula capita respondet ad argumenta Catholicorum, explicans proprio marte quae intercedunt discrimina inter S. Petrum et Romanos Episcopos; hi enim *fallibiles* sunt etiam *in fide,* quemadmodum Ecclesiastica Historia de Honorio aliisque Romanis Pontificibus testatur. Denique, explicationem quaerit cur omnes reliquae Ecclesiae ad Romanam semper *appellaverint;* nempe, ex ecclesiastica caritate et ex necessitate unum quendam determinatum ordinem in his rebus instituendi [139].

Clarissimum Jugie si audias [140], Nilus Cabasilas pleraque desumpsit ab opusculis antilatinis Barlaami Calabri; sed conferendi essent quoque tractatus Patrum Dominicanorum Constantinopolitanorum, quibus Nilus satis facere cupit.

228. Exordia controversiae de Epiclesi: In sacra eorum Liturgia, post verba dominica: *hoc est corpus* etc. iam prolata,

---

136 Editum est opus, una cum eiusdem refutatione, auctore Matthaeo Cariophyllo archiepiscopo Iconiensi, in PG, 149, 685-877.

137 PG, 149, 700 B-C.

138 PG, 149, 702 C-D, 704 C - 705 B.

139 PG, 149, 704-705, 709-724,, 726 D.

140 TDCO, IV, Pa 1931, 392-394. Reliquum, ne mireris de hac dependentia. Nam primo quidem tempore Nilus adversarius Palamae fuit acer valde.

Byzantini, nemine reclamante, utebantur prece, qua Patrem deprecabantur ut mitteret Spiritum Sanctum et dona oblata redderet Corpus et Sanguinem Christi [141]. Sed ecce, altera medietate saeculi XIV latinus nescio quem *reprehendere coepit* hunc liturgicum usum, cuius patrocinium suscepit NICOLAUS CABASILAS, Nili nepos. Sic nova exorta est *de Epiclesi* eucharistica controversia inter Byzantinos et Latinos [142]. Porro, controversia haec postea continuo agitatur, novamque induit speciem. Nam primis initiis agebatur de Epicleseos utilitate ad Ritum liturgicum perficiendum; mox vero Byzantini contendunt Epiclesin complere vim consecrativam verborum Domini.

Novam dicimus hanc controversiam penes Byzantinos. Nam armenus scriptor VARTANUS MAGNUS illam agitasse videtur medio

---

141 Epiclesis in *Liturgia S. Ioannis Chrysostomi* sic se habet: « Etiam offerimus tibi rationalem hunc et incruentum cultum, et rogamus, et oramus, et supplicamus ut emittas Spiritum Sanctum tuum super nos et super haec oblata dona ... Et fac quidem panem hunc pretiosum corpus Christi tui ... quod autem est in calice hoc pretiosum sanguinem Christi tui, ea transmutans Spiritu tuo sancto ... Ut fiat accipientibus in sobrietatem animae, in remissionem peccatorum, in communicationem sancti Spiritus, in plenitudinem regni caelorum: in fiduciam erga te ipsum, non in delictum aut damnationem »; I. GOAR, *Rituale Graecorum*, Venetiis 1730, 62. Ibid., 144 habes Epiclesin *Liturgiae S. Basilii* propriam. Atqui GOAR praebet Epiclesin productam valde, et quidem verbis quae consecratoria videri queunt. Sed, uti monet A. BAUMSTARK, *Le Liturgie Orientali e le preghiere « supra quae » et « supplices » del canone romano*, ed. 2, Grottaferrata 1913, 19-21, quum in versione armena saec. V iam perfecta, tum in codice Cryptoferratensi Γβ vii deest phrasis: « ea transmutans Spiritu tuo Sancto ». Textum hunc breviorem, carentem iis quae characterem consecratorium magis persuadere poterant, iam antea dederat F. E. BRIGHTMAN, *Liturgies Easter and Western*, I, Oxford 1896, 330, et recentius P. N. TREMPELAS, Αἱ τρεῖς λειτουργίαι κατὰ τοὺς ἐν Ἀθήναις κώδικας; Texte und Forschungen Byz. Neugr. Ph. 15 (A 1935), 183-184, et D. N. MORAÏTOS, Ἡ ἀρχαιοτέρα μορφὴ τῶν λειτουργιῶν τοῦ Μ. Βασιλείου καὶ τοῦ Χρυσοστόμου· Ἐπιστημονικὴ Ἐπετήρις ... τῆς θεολογικῆς σχολῆς, 2 (Thessalonicae 1957), 20. Hic ultimus utitur Paris. 93. 391 saec. XI sed dependente a Barber iii 55 a. 795. Trempelas autem animadvertit formulas illas: « ea transmutans ... » additas fuisse, et quidem altera recentiore manu, in codicibus atheniensibus saec. XV-XVI. Fortasse hac de causa NICOLAUS CABASILAS, neque adhibet *Liturgiam S. Basilii*, neque rubricas posteriore tempore inventas, ad urgendam necessitatem Epicleseos.

142 De *Epiclesi* vide, sis, L. A. HOPPE, *Die Epiklesis der griechischen und orientalischen Liturgien und der römische Consekrationskanon*, Sciaffuss 1864; S. SALAVILLE A. A., *Épiclèse eucharistique*; DTC V (1913), 194-300; TH. SPÁČIL S. I., *Quaestiones de forma Eucharistiae;* OC n. 14 (R 1929), 5-114; M. JUGIE A. A., *De forma Eucharistiae. De epiclesibus eucharisticis*, R 1943; et recentius *L'Epiclesi eucaristica. Controversie con l'Oriente bizantino-slavo*, in opere miscellaneo A. PIOLANTI, *Eucaristia*, R 1957, 425-439; G. C. SMIT, *Epiclèse et Théologie des Sacrements;* Mélanges de Science Religieuse 15 (1958), 95-136. Smit autem nihil aliud praestat praeter expositionem theseon hac de re propositarum in sua thesi magistrali a H. SCHILLEBEECKX O. P., Antwerpen 1952.

saeculo XIII[143]. Byzantii vero, qui ante NICOLAUM CABASILAM adducuntur, nempe, EUTHYMIUS ZIGABENUS et THEODORUS ANDIDAE episcopus reapse de hoc argumento silent[144]; THEODORUS autem MELITENIOTA, qui hac eadem opinione abundare videtur[145], suppar est nostri Cabasilae.

Quod vero Latini initium dederint controversiae, nobis dicit NICOLAUS CABASILAS: « Hic Latini quidam[146] nostra reprehendunt. Dicunt enim post Domini sermonem ' Accipite et manducate ' et quae sequuntur nulla oratione opus esse ad consecranda dona, utpote quae a verbo Domini perfecta sint. Unde qui posteaquam haec verba dixerint panem et vinum nominant et tamquam nondum consecratis precantur consecrationem, praeter quod infidelitate laborant, inquiunt, rem vanam et supervacaneam faciunt ... Qui suae orationi magis confidunt quam verbo Domini, primum quidem illud imbecillitatis arguunt; deinde sibi magis videntur confidere; et tertio rem tantam, nempe sacramentum, a re dubia, videlicet humana oratione, pendere volunt »[147].

Hisce ut respondeat NICOLAUS ostendit orationem in consecratione eucharistica locum habere suum, sicut illud habet *in aliis sacramentis,* nempe, in Ordine sacro, in Paenitentia, in Extrema Unctione[148]. Id vero roboratur vel ipsa *Liturgia Latina,* quae sacerdotes monet orare verbis illis « Suplices te rogamus », post verba Domini prolata[149].

Exinde sequitur *Epiclesin* Liturgiae sacrae *adhiberi licere.* Imo, et *necessaria* est, etiamsi alia omnino ratione ac necessaria sunt verba Domini, quae sola agunt et operantur transsubstantiationem. Necessitatem autem Epicleseos hac lege declarat CABASILAS:

Verba dominica, ad altare dicta, operantur non quatenus pronuntiata a sacerdote mere narrative, sed tamquam pronunciata *a*

---

[143] C. GALANUS, *Conciliationis Ecclesiae Armenae cum Romana,* Pars altera, II, R 1661, 542-543.

[144] *Comment. in Matthaeum,* cap. 44; PG, 129, 665 B; *Commentatio de divinae Liturgiae symbolis,* n. 27; PG, 140, 452 C-453 A. Similia habet anonymus auctor opusculo *De immaculato corpore, cuius participes sumus,* DAMASCENO falso adscripti; PG, 95, 405-412, ante saec. XI iam redacti. Cfr. J. M. HOECK O. S. B., in OCP 17 (1951), 20 s.

[145] *Ethicon,* VIII, c. 5-6; PG, 149, 953. THEODORI scripta ponenda sunt a. 1360-1368, iuxta G. MERCATI, *Notizie di Procoro e Demetrio Cidone ...,* 172. Ceterum, inter antiquiores scriptores byzantinos recta omnino reperitur sententia: lege, sis. S. SALAVILLE A. A., *Une explication du patriarche Michel l'Oxite (1143-1146) sur la formule de consécration eucharistique*; EO 16 (1913), 289-291.

[146] Alludit ut videtur ad Dominicanos Patres, fortasse ad Fr. PHILIPPUM A PERA, qui saepius disputavit cum quodam Byzantino, laico, nobili, valde erudito. R. LOENERTZ, O. P., *La Société des Frères Pérégrinants,* R 1937, 81.

[147] *Sacrae Liturgiae expositio,* c. 29; PG, 151, 428 C-D.

[148] PG, 151, 432 B - 433 B.

[149] PG, 151, 433 D - 436 B. Cfr. J. MATEOS S. I., *L'action du Saint-Esprit dans la liturgie dite de S. Jean Chrysostome*: Proche Orient Chrétien 9 (1959), 204 s.

sacerdote ut tali, id est, insignito sua sacerdotali potestate [150]. « Sed qualis est ista potestas? »; « Et quaenam est potestas? Spiritus Sanctus, qui ex alto Apostolos armavit ... Haec est sacerdotii potestas, hic est sacerdos » [151]. His positis, argumentatur: « Quod autem nunc dictus [sermo Domini] a sacerdote, eo quod ab ipso dicatur, hoc possit [dona transmutare] nullo loco *sciri potest* » [152]. E contra, prolata Epiclesi, *aperte novimus* sacerdotem velle induere suam potestatem, Spiritum Sanctum, inquam, quae illum reddit ministrum huius altissimi mysterii. Quae cum ita sint, Epiclesi iam recitata, « universa sacrificalis actio (πᾶν τῆς ἱερουργίας) absoluta et perfecta est » [153].

Hanc eandem sententiam de Epiclesi Eucharistica tuetur Simeon Tessalonicensis, et ipse commendans *necessitatem* Epicleseos, minime insistens verbis quibus sermo fit de conversione panis in Corpus etc., sed illis de *gratia sacerdotali* in ministro excitanda per missionem Sancti Spiritus.

Gratia enim sacerdotalis ad Sacrificium peragendum omnino requiritur: « Fac enim ut omnes reges aut omnes fideles per totum orbem terrarum verba Salvatoris millies proclament; si sacerdotio investiti non sint, nihil proficiunt nec ullum consecrationis effectum habent ab iis sic oblata, nec Corpus et Sanguis Christi fiunt. Non igitur homo aliquis, sed Deus qui per sacerdotem operatur, Spiritus Sancti gratia interveniente » [154]. Et paulo post ait: « Igitur Missae fundamentum Domini verba sunt in Cena prolata et per preces sacerdotis operantia. Quare, operans sacerdos, non ut homo sed ut Christus in Spiritu Sancto operatur per sacerdotalem dignitatem » [155].

Nonnihil vero discriminis adest inter sententiam Nicolai et Simeonis. Nicolaus enim ducit necessitatem Epicleseos ex natura publica et sociali Sacrificii eucharistici, reclamante ut omnes norint sacerdotem ut talem, Spiritus Sancti gratia, sacrum ritum peregisse, id quod nonnisi Epiclesi exprimitur; sed non tangit quaestionem de momento, quo Christus *fit praesens* super Altari. E contra Simeon, innixus *signo Crucis* a sacerdote facto, non cum verba Domini profert, sed post Epiclesin, necnon auctoritate *Liturgiae S. Basilii,* post verba Domini dona ἀντίτυπα vocantis [156] — neutrum vero argumentum adhibet Nicolaus — putat non nisi post Epiclesin transsubstantiationem peragi.

---

[150] PG, 151, 433 B.
[151] PG, 151, 428 A, B.
[152] PG, 151, 433 B.
[153] PG, 151, 425 C, antequam disputare incipiat cum Latinis.
[154] *Expositio de divino templo,* c. 87; PG, 155, 733 D - 736 A.
[155] PG, 155, 737 C.
[156] PG, 155, 736 D - 737 A.

Hoc pacto viam aperit posterioribus Byzantinis, qui ulterius progredientes, Epiclesi tribuunt *vim consecrativam* donorum, sive una cum verbis dominicis, quae fuit sententia quorundam Byzantinorum in Synodo Florentina, sive Epiclesi soli, absque Domini verbis, quemadmodum solemne est apud scriptores byzantinos et hellenos a fine saeculi XVII [157].

229. Doctrina mariologica Byzantinorum. Homiliae mariales: Iam a Photio Byzantini maxime delectantur homiliis de B. M. Virgine; quibus non solum selectas quasdam quaestiones agitant, pro festorum marialium natura et indole, verum etiam pleniorem nobis dant doctrinam de Virgine Theotoko. Age iam, hoc valet praesertim de hac nostra periodo, quae iure ducitur « Aetas aurea » Mariologiae Byzantinae.

Hac in provincia eminet Theophanes Nicaenus Metropolita, cuius est *Oratio in Sanctissimam Deiparam* recenter edita [158]. Maria Virgo, — sic ego paucis in compendium redigo suum tractatum — utpote Mater Dei futura, iam ab initio possidet omnes omnium creaturarum perfectiones, maxime in supernaturali ordine gratiae. Quippe Deiparae talis competit *gratiae plenitudo,* ut dona omnia et singula angelis hominibusque impartita cumulate et sine ulla mensura ei concedenda sint.

Hinc autem fit ut Maria, una cum Christo, sit *fons* nostrae aeternae salutis. Quamobrem, non solum similibus ac Christus Deipara privilegiis fruitur, verum etiam ipsa constituitur *Mediatrix* inter Deum et homines. Doctrina quidem pulcherrima est et praestantissima; quodsi aliquid reprehendere quis potest ac porro debet, est illa exaggeratio quam incurrit Theophanes, Palamitarum theorias secutus, circa habitudinem B. M. Virginis ad Personas divinas [159].

230. Praecipua Mariologiae Byzantinae capita: Iam si quaeras quanam cum amplitudine *doctrina mariologica* iis in documentis tradatur, dici debet praecipua B. M. Virginis privilegia a Byzantinis huius aetatis, praesertim a *Palamitis*, pro dignitate proponi, nimirum; *Immaculatum Conceptum,* divinam *Maternitatem, Virginitatem* perpetuam, *Mediationem* uni-

---

[157] Haec nova ratio Epicleseos declarandae initium habet a Patriarcha Dositheo, vigetque inter scriptores graecos, etiam nostrae aetatis. Cfr. *L'Epiclesi Eucaristica,* l. c., 437-438.

[158] M. Jugie A. A., *Theophanes Nicaenus. Sermo in sanctissimam Deiparam*; Lat 1, R 1934. Huius orationis commentarium dedit P. Aubron, *Le discours de Théophane de Nicée sur la très Sainte Mère de Dieu;* RSR 27 (1937), 257-279.

[159] Cfr. *Mariologia Orientalis*, R 1954, 51.

versalem, *Gratiae plenitudinem*, corpoream *Assumptionem* atque *Regalitatem*. Quinimo, paucis exceptis, haec argumenta explicantur ratione omnino consona nostrae mariologicae doctrinae.

Omissis aliis minoris vel nullius momenti, praecipuum discrimen respicit conceptum ipsum *Mediationis* marialis. Mediatio enim secum fert, de mente nostrorum Byzantinorum, *cooperationem B. M. Virginis ad opus « Deificationis »*. Quare, hoc munus sese extendit ad homines, angelos, ceterasque creaturas, quibus omnibus Christus Dominus eiusque Mater Virgo conferunt dona et privilegia propria « novae creationis »; minime vero restringitur ad reparationem hominum; imo, de *Corredemptione* stricte dicta minus Byzantini solliciti fuerunt [160].

231. Byzantini huius periodi de Immaculato Deiparae Conceptu: Praecipua vero attentione digna est sententia circa *Immaculatam Deipare Conceptionem.* Hoc enim tempore primam quandam levem suspicionem movit de hac veritate Nicephorus Callistus. Singularis vero fuit. Reliqui ad unum originalem B. M. Virginis munditiem unanimi consensu tradunt et pluribus declarare student.

Nicephorus Callistus in opere *Synaxaria in praecipuas Triodii festivitates,* troparium Τὴν τιμιωτέραν commentatus, meminit *purificationis* B. M. Virginis a Spiritu Sancto die Incarnationis Verbi, quam purificationem accipit de munditie a labe originali [161]. Hanc autem opinionem insinuavit, minime ut tutam, sed ut probabilem tantum; quinimo, illam proponit non sine formidine; « si forte haec labes adhuc in ipsa perseverabat », et veniam petens [162].

Ceterum, haec sententia nullos habuit asseclas ante finem saeculi XVI penes Byzantinos; quin et illam positive excludunt nostri auctores [163], qui non solum maxima *cum certitudine asserunt Immaculatam* Deiparentis Conceptionem, verum etiam alias quae-

---

[160] *Mariologia Orientalis,* 79-85. Unus autem fere est Nicolaus Cabasilas, qui de Corredemptione mariali expressis loquatur verbis.

[161] « Sancta et beatissima Virgo non genuit ex corruptione, sed verbo archangeli Gabrielis, posteaquam Spiritus Sanctus ei superveniens, illam purificavit ab originali labe »; apud M. Jugie A. A., *L'Immaculée Conception dans l'Écriture Sainte et dans la tradition orientale,* R 1952, 213.

[162] Haec dubitationis et excussationis verba consulto supprimit in sua editione C. Anastasiades, Ἑρμενεία εἰς τοὺς ἀναβαθμοὺς τῆς Ὠκτοήχου, Hierosolymis 1862.

[163] Cfr. ex. gr. Gregorium Palamam, *In Annuntiationem;* PG, 151, 176 B-C; et Nicolaum Cabasilam, *In Nativitatem;* PO, 19, 477. Palamae sententiam infirmare conatur J. Meyerdorff, *Introduction à l'étude de Grégoire Palamas,* Pa 1959, 319-322.

stiones tangunt cum hoc privilegio connexas, ut est illa de *statu iustitiae originalis* utrum et qua ratione concessus fuerit B. M. Virgini [164]. Et quidem in tota hac doctrina explicanda Byzantini, Palamitae praesertim, proxime abeunt a sententia a Patribus Franciscalibus recepta et propugnata [165].

Art. II

De litteris theologicis slavicis

232. Litterae theologicae apud Bulgaros: Saeculo XIV ecclesiasticae Scholae in Bulgaria florere pergunt [1], licet originales auctores paucos admodum numerent. Quinimo, unus fere est Ternoviensis Patriarcha Euthymius († 1393), qui proprio marte quaedam redegerit, licet praecipuam suam operam et ipse collocaverit in adornandis versionibus textuum liturgicorum [2].

Euthymius, antequam patriarchalem thronum conscenderet a. 1375 vel 1378, vitam monasticam egit variis in monasteriis Montis Athonensis, quo tempore adhuc in vivis erat Prochorus Cydonius, ac proinde lucta de Palamismo fervebat. Quare, et Patriarcha iam factus, Euthymius haereses Barlaami et Acindyni debellasse fertur [3].

Scripsit autem Euthymius, praeter quaedam opera hagiographica et Akolouthias, nonnullas epistulas ad Cyprianum futurum Kioviae Metropolitam, aliosque praesules. Eius vero laus maxime reponenda est in *translationibus librorum liturgicorum;* in linguam enim veteroslavicam vertit Liturgias S. Ioannis Chrysostomi, S. Basilii, Praesanctificatorum, S. Iacobi et S. Petri, una cum opere Philothei Kokkini, Patriarchae Constantinopolitani *de sacra Liturgia*.

---

164 Lege, sis, *L'Immacolata Concezione e lo stato di giustizia originale nella Mariologia dei Palamiti*; Virgo Immaculata. Acta Congressus Mariologici-mariani Romae a. 1954 celebrati, IV, R 1955, 170-184.

165 G. Eldarov O. F. M. Conv., *La dottrina dell'Immacolata nei maestri francescani e nei teologi palamiti dei secoli XIV-XV*; Ibid., 185-195.

1 P. Sirku, Къ исторіи исправленія книгъ въ Болгаріи въ XIУ в., t. I, Время и жизнъ патріарха Евѳиміа Терновскаго, P 1898, 411-551 de hoc agit argumento.

2 De Euthymio, praeter Sirku, vide Vl. Kočanovskii, Къ вопросу о литературной дѣятельности болгарского патріарха Евѳимія (1375-1393); ChC 1882, II, 216-232; 1883, I, 470-497; E. Kalužniacki, *Werke des Patriarchen von Bulgarien Euthymius (1375-1393)*, Wien 1901; St. Tsankov, Патріархъ Евтимій. S 1906; V. Sl. Kiselkov, Патріархъ Евтимій, S 1938.

3 V. Sl. Kiselkov, o. c., 36-38.

Hae vero translationes respondent communi Bulgarorum studio transferendi in proprium idioma et libros sacros et monumenta sacrae Traditionis.

Hoc enim tempore slavica facta sunt Scriptura Sacra et plura SS. Patrum et theologorum commentaria *theologica et ascetica,* auctoribus S. Basilio Magno, Isaaco Syro, Dorotheo, Gregorio Sinaita, Simeone novo Theologo, etc.

Una vero Bulgari translatores incumbunt operibus *polemicis* contra Latinos et Barlaamitas vertendis. Hoc autem pacto Slavis prae manibus esse incipiunt opuscula Nicetae Stethati et Patriarchae Constantinopolitani Germani II, necnon scripta Gregorii Palamae et Nili Cabasilae, quae Bulgaros, et Slavos in genere, *Palamismum* docuere, etiamsi Slavi videantur non nimium ponderis dare byzantinae controversiae de lumine Thaborico.

233. Kormčaja Kniga: Longe vero magis quam haec opera translata Slavicorum sententiis influit collectio canonica a Bulgaris hoc tempore perfecta, mox vero cum reliquis Slavis communicata qua, non solum dant leges ecclesiasticas, verum etiam plura alia documenta Latinis contraria.

Slavi gaudebant perantiqua *Nomocanonis* versione, quae nomen ferebat SS. Cyrilii et Methodii [4]. Modo autem Bulgari vacare coeperunt novae collectioni canonum concinnandae, cui adhibent *epistulas* Michaelis Caerularii et Leonis Achridensis, *Dialogum* Nicetae Stethati et *Opusculum contra Francum,* cuique titulum imposuerunt: *Kormčaja Kniga* [5].

Kormčaja Kniga nihil aliud est quam collectio canonum et documentorum canonicorum, tam veterum quam recentiorum, cum quibusdam commentariis. Huius autem collectionis, quam Iacobus Svjatoslav, Bulgariae despota, a. 1262 misit ad Metropolitam Kioviensem Cyrillum III, quattuor novimus vetustissimas redactiones, videlicet: Serbicam a. 1262, Novgorodensem a. 1280, Riazanansem a. 1284 et Volhyniensem a. 1286.

Hac collectione innititur Kioviensis Metropolita Cyrillus III († 1281), cuius notus est animus Catholicae Ecclesiae infensissimus [6]. Disciplinares abusus deplorans, eis ut mederetur, Synodum coegit ad Vladimir a. 1274, convenientibus episcopis Novgorodensi,

---

[4] Vide antea ad n. 115, 117.

[5] Haec autem collectio pluries typis data est. Vide, sis, editionem factam M 1653, vel illam: Книга Кормчая, напечатана съ оригинала Патріарха Іосифа 2 vol., M 1912. De hoc opere canonico vide G. A. Rozenkampf, Обозрѣніе Кормчей Книги въ историческомъ видѣ, M 1839 et C. Mitrovič, *Nomocanon der slawischen morgenländischen Kirche, oder die Kormtschaja Kniga,* Wien et L 1898.

[6] A. M. Ammann S. I., *Storia della Chiesa Russa,* Torino 1948, 49-50.

Rostoviensi, Perejaslaviensi et Połostkoiensi; Synodus vero probavit canones et commentaria, id est, *Kormčaja Kniga* et simul 9 addidit capitula de Simonia, de administratione Baptismatis — prohibuit nempe Baptismum per infusionem et iussit *triplicem immersionem retinendam* esse — de administratione aliorum Sacramentorum, deque aliis minoribus quaestionibus [7].

234. Russi scriptores: Ut iam innuimus initio huius capitis, frustra quaeres in Rus' theologos hac periodo; quae enim nobis mandata sunt, praeterquam quod paucissima sunt, morum correctionem, vel rem liturgicam omnia fere spectant. Neque de *polemica antilatina* quidquam habetur proprii; ad Latinos enim quod attinet, contenti sunt versione documentorum graecorum. Libentius ipsi dant operam intestinis discordiis tollendis, sive in causa *Strigolnicorum,* sive in causa de duplici vel triplici *Alleluia.*

Ex homiliis noti sunt septem breves sermones Serapionis episcopi Vladimirensis, qui a Latinis educatus fuerat, ad correctionem morum promovendam [8]. His vero addi possunt fragmenta quaedam Metropolitae Petri (1308-1326), quem russi sanctum honorant.

In provincia autem Liturgiae, nominandus est Daniel Zatočnik [9], et praesertim Metropolita Cyprianus (1390-1406) [10], cuius fertur *Euchologium,* exhibens tres Liturgias Byzantinas; auctor est etiam responsionum ad solvendas plures quaestiones de Sacramentorum ritibus, ex. gr. de infantium debiliorum Baptismate, quo *per infusionem* baptizari posse affirmat.

Relate ad Ecclesiam Latinam, originales tractatus prorsus desunt; e contra prae manibus habent documenta antilatina in *Kormčaja Kniga,* in *Trebnik* et in operibus Byzantinorum in slavicum idioma conversis, quae illos magis magisque abalienarunt ab Ecclesia Romana [11].

---

[7] Acta huius Synodi reperiuntur in opere Памятники древне-русскаго каноническаго права, t. I, ed. 2, edito a V. N. Beneševič, P 1908, 83-102. De hac Synodo agit A. M. Ammann S. I., *Storia della Chiesa Russa,* Torino 1948, 63-64.

[8] E. V. Pjetukhov, Серапіонъ Владимирскій, русскій проповѣдникъ XIII вѣка, P 1888.

[9] E. V. Pjetukhov, Русская литература, Sur'ev 1911, 151-162. Cfr. etiam Исторія русской литературы, II, Leningrad 1946, 32.

[10] I. Mansvetov, Митрополитъ Кипріанъ въ его литургической дѣятельности P 1882.

[11] A. Pavlov, Критическіе опыты по исторіи древнейшей греко-русской полемики противъ латинянъ, P 1878, 67-87 agit de controversia antilatina saeculis XIII-XIV.

Subtilitates enim *theologicas*, quibus Byzantini adeo delectantur, ipsi, philosophia nondum exculti, ignorare pergunt. Imo, neque eis licebat positiva SS. Patrum, quos imperfecte in versione slavica legere incipiunt, doctrina convenienter uti. Quare, ad Romanam Ecclesiam quod attinet, quam maxime commovebantur, non « Filioque », neque Primatu, sed discrepantiis liturgicis, praesertim illa, quod videlicet e graecis fontibus hauserant *tribus tantum idiomatibus* Latinos ferre ut Sacra peragerentur mysteria, ac proinde slavicum idioma in Liturgia obliteratum iri [12].

235. Motio Strigolnikorum: Praecipua autem religiosa actio in principatibus russicis respicit motum *Strigolnikorum*; qui, ducibus diaconis Nikita et Karp qui hac de causa in profluentem deiecti necati sunt, insurgunt contra dissolutos mores et contra simoniam cleri, postulantis ingentem pecuniarum summam ad sacra obeunda ministeria. Simul vero Strigolniki plures gravissimosque *errores* incurrerunt.

Nolumus ingredi quaestionem de *ortu* et progressu motionis *Strigolnikorum* [13], quam Theodorus Uspenskii tribuebat byzantino *Palamismi* influxui [14]. Quidquid sit, Strigolniki avaritiam clericorum reprehendentes, confundentesque hominum vitia cum sacri Instituti sanctitate, *Hierarchiam* et *Sacramenta*, quorum ministri sacerdotes esse debebant, plane *reiciunt*. Divino autem sacrificio orbati, consequenter *respuebant suffragia* pro defunctis, imo et ipsam mortuorum resurrectionem. Saltem sic nobis coniecturari licet, si fidem gerimus eorum adversariis et synodicis documentis [15]; Strigolnikorum enim scripta documenta remanent nulla.

Strigolnikorum impugnatores praecipui sunt Stephanus Permensis episcopus († 1396), Cyprianus Kioviensis Metropolita († 1406) et eius in cathedra successor Photius († 1433). Stephanus Permskii seu Permensis, zelo inter Slavos septentrionales illustris, sua dissertatione contra Strigolnikos non solum denuntiat illorum pravas opiniones, verum etiam argumentis roborat rectam doctrinam de Sacerdotio, de sacra Synaxi, de Confessione, de precibus pro de-

---

12 A. Pavlov, o. c., 5.

13 De illis, praeter generaliores tractatus de Historia Ecclesiae Russicae, lege E. Vorontsov, Сектантское движеніе на русскомъ сѣверѣ XIУ вѣка по его происхожденію; VR 1909, 341-370, 443-446; et J. Ledit S. I. *Russie* (*Pensée religieuse*); DTC, XIV, 239-242.

14 Hanc clarissimi professoris sententiam refert Историческое Обозрѣніе. 3 (1891), 244.

15 Haec dat V. N. Beneševič, Памятники древне-русскаго каноническаго права [2] (Русская Историческая Библіотека, 6, P 1908) 1ª pars, 191-198, 365-376, 475-488; 2ª pars, 183-188.

functis, quas commendat quoque ex legendis monasticis. Ceterum, ut ipse dicit, Strigolniki ostentabant vitam ad virtutum normam accommodatissimam, quam STEPHANUS hypocrisin ducit[16].

Stephanum imitati sunt Metropolita CYPRIANUS, qui suis epistulis ad Pskovienses, data opera vindicat legitimam esse consuetudinem *decimarum* et iusti stipendii ob sacras functiones persolvendi, et PHOTIUS pariter Metropolita, suis quattuor epistulis de hoc argumento. Age iam; si haeresis Strigolnikorum e medio sublata est, in causa fuit praesertim magnum illud excidium anni 1427, quod Strigolnikorum quamplures morti tradidit.

236. CONTROVERSIA CIRCA ALLELUIA INTRA MISSARUM SOLLEMNIA: Diuturnior, ac fortasse etiam molestior, fuit altera controversia, quae liturgicos usus directe respicit; controversia, inquam, de duplici vel triplici *Alleluia* in Missa decantando. Neque enim decretum Ecclesiae Constantinopolitanae triplex Alleluja penitus apud Slavos supprimere valuit, quorum plures maluerunt veterem illorum usum retinere.

Disceptatio de geminando vel triplicando *Alleluia* oborta est Novgorodii, ineunte saeculo XV. PHOTIUS autem Metropolita Kioviensis interrogatus respondit retinendum esse *triplex Alleluia,* quemadmodum plurium Rusjae ecclesiarum usus ferebat. Restiterunt alii; quos inter monachus EUPHROSINUS a suis sanctorum albo adscriptus. Euphrosinus autem iter fecit Constantinopolin, ubi Patriarcha IOSEPH II sancivit *duplex Alleluia,* iuxta Byzantinorum consuetudinem. Haec vero sententia minime arrisit fautoribus triplicis Alleluia, qui maluerunt dicere Constantinopolitanam Ecclesiam, vel hac sola de causa, ab Orthodoxiae tramite recesisse et Antichristi sigillum in fronte et in dextro brachio gestare coepisse[17].

Reliquum, haec de Alleluia controversia ad nostra usque tempora perdurat. Nam, licet MAXIMUS GRAECUS duplex Alleluia Sancto IGNATIO THEOPHORO revelatum fuisse dicat, triplex vero Latinorum foetum pronunciet, Synodi Niconianae sequentis saeculi XVII triplex Alleluia sollemniter sanciverunt, *Starovjeris* contradicentibus, qui mordicus retinent duplex Alleluia, quod credunt unum e praecipuis argumentis cur illos a patriarchali moscoviensi ecclesia recedere oportuerit.

---

16 A. KRASOV, Зыряне и просвѣтитель ихъ святый Стефанъ первый епископъ Пермскій и Устьвымскій (1383-1396), P 1886.

17 TDCO, I, 554-555.

Art. III

Nestoriani et Monophysitae

Labentibus saeculis XIII et XIV Ecclesia Nestoriana et variae Ecclesiae Monophisitarum plures numerant primi subsellii scriptores de re theologica. De singulis ex ordine paucis agemus.

§ 1. *Nestoriani*

237. Theologi Nestoriani. Ebediesu : Inter scriptores Nestorianos huius periodi eminet Metropolita Nisibenus Abdišo'Bar Berika, vel ut fert usus magis receptus Ebediesu († 1318)[1], qui suis editis operibus in compendium redegit quaecumque antea de re canonica et theologica a Syris Orientalibus conscripta fuerant.

Praeter *Collectionem librorum biblicorum et ecclesiasticorum* editam ab Assemani[2], ubi recenset praecipua quaeque opera saeculis anteactis a suis edita, scripsit *Nomocanonem*[3] et Summam sacrae Theologiae, cui nomen imposuit *Liber Margaritae*[4].

In hoc autem suo volumine Ebediesu ad Unionem duarum naturarum in Christo Domino declarandam adhibet formulas et doctrinam Theodori Mopsuesteni; in reliquis vero *moderatam* quandam sententiam tradit, ex. gr., quando agit de SS. Eucharistia vel de Processione Spiritus Sancti; qua in re a controversiis inter Byzantinos et Latinos, quas meminit, abstinere consulto maluit. *Liber* autem *Margaritae* perseverat, ad instar manualis operis theologici, in scholis ecclesiasticis Nestorianorum etiam hodiernorum.

Praeter Abdišo' alii noti sunt auctores, quorum duo tantum nostra referunt: Guiwargis Warda († ca. 1300) et Patriarcha Timotheus II († 1353).

---

1 GSL, 323-325; I. Ortiz de Urbina S. I., *Patrologia Syriaca*, R 1958, 205.

2 BO, III, Pars 1, 325.

3 *Collectio canonum synodicorum*; A. Mai, *Scriptorum veterum nova collectio*, t. X, 1, R 1838, 23-168; denuo latine edita a I. M. Vosté O. P. *Ordo iudiciorum ecclesiasticorum, collectus, dispositus, ordinatus et compositus a Mar 'Abdišo' Metropolita Nisibis et Armeniae* (Codificazione canonica Orientale. Fonti, Ser. II, Fasc. XV), Città del Vaticano 1940.

4 *Liber Margaritae de veritate christianae religionis*, syriace et latine editus ab A. Mai, *Scriptorum veterum nova collectio*, t X b, R 1838, 317-336.

GUIWARGIS — sive Georgius — WARDA plures concinnavit hymnos sacros, quos inter habetur *carmen in laudem B. M. Virginis*, a Syris Orientalibus cani solitum [5].

Patriarcha THIMOTHEUS II opus redegit, cui titulus *De septem fundamentis ecclesiasticorum Mysteriorum*, dilucidans varias quaestiones de Sacramentis. Id vero ut consequatur TIMOTHEUS non cunctatur plura desumere a scriptoribus syris Monophysitis, praesertim a BAR-HEBRAEO [6].

§ 2. *Monophysitae Syri*

238. THEOLOGI SYRO-ANTIOCHENI: Duo hac nostra periodo nominandi veniunt: IACOBUS BAR SHAKKO († 1241), dictus etiam 'Isâ b Mark, monachus monasterii Mar Mattai et postea, sub nomine Severi, Tagritensis episcopus, et GREGORIUS ABU'L FARAG († 1286) magis notus ut BAR-HEBRAEUS, a. 1225-1226 Melitene natus e familia iudaicae stirpis, a Patriarcha autem Ignatio renuntiatus episcopus Gubae et tandem eius Mamphrianus, quo munere ad mortem usque functus est. His potest addi DANIEL IBN AL-HATTAB, qui plura opera Bar-Hebraei in arabicum transtulit idioma.

IACOBUS BAR SHAKKO [7] scripsit *Librum thesaurorum*, id est, Summam universae Theologiae ad normam fere Scholastices occidentalis, in qua agit de Deo Uno et Trino, de Oeconomia salutis, de Providentia, et de Creatione [8]. Praeterea, alia reliquit scripta minoris molis, ut sunt *Symbolum fidei* et *Expositio divinorum Officiorum* [9].

BAR-HEBRAEUS nullum habet parem in cuncto Oriente, ita ut a quibusdam nostrum, neque iniuria, assimiletur S. Alberto Magno, Doctori, inquam, universali [10]. Eius *opera novimus* 31 [11], quae partim lucem adspexere, partim in archiviis inedita delitescunt. Haec autem opera versantur in re historica, grammatica, philosophica, canonica, ascetica et mystica [12]. Inter opera stricte theologica, quae

---

[5] GSL, 304-306. Ceterum, sunt qui putant hoc nomine WARDA venire plures hymnographos, quorum carmina retractavit vel sua propria fecit noster GUIWARGIS.

[6] W. DE VRIES S. I. *Timotheus II (1318-1332) über « die sieben Gründe der kirchlichen Geheimnisse »*; OCP 8 (1942), 40-94.

[7] GSL, 311-312.

[8] Huius operis contentum exhibet BO, II, 237-240.

[9] Cfr. BO, II, 240-241.

[10] A. BAUMSTARK, GSL, 312.

[11] Elenchus operum syriace scriptorum in BO, II, 268-272. Arabice autem exaravit Psychologiam et Historiam profanam; cfr. G. GRAF, *Geschichte der christlichen arabischen Literatur*, II, StT 133 (Città del Vaticano 1947), 275-281, ubi recensentur quoque arabicae versiones operum BAR-HEBRAEI.

[12] Vide, sis, de his operibus H. KOFFLER S. I. *Die Lehre des Barhebräus von der Auferstehung der Leiber*; OC n. 81 (R 1932), 18-20.

una nostra referunt, recolenda sunt Commentarium exegeticum, seu *Horreum mysteriorum*[13], et duo illa praeclarissima scripta, quae audiunt *Candelabrum Sanctorum*[14] et *Liber radiorum,* quod est Theologiae compendium[15].

Denique, mentio fiat oportet Danielis ibn al-Hattab, qui plura scripta Bar-Hebraei e syriaco in arabicum convertit et proprio marte quaedam minora opera nobis reliquit[16].

239. Doctrina theologica Bar-Hebraei: Suis autem theologicis commentariis Bar-Hebraeus Monophysitarum sententiam *de Unione* naturarum in Christo Domino nervose admodum et forma prorsus syllogistica — plerumque dilemmate utens — vindicat in Fundamento quarto operis *Candelabrum Sanctorum*[17], eandemque applicat quoque mysterio SS. Eucharistiae, docens *substantiam panis et vini,* una cum Corpore et Sanguine Domini in sacramento *perseverare*[18].

Praeter has doctrinas, quae Syrorum iacobitarum traditioni consonant, aliae penes Bar-Hebraeum sententiae recurrunt, in quibus apparet Byzantinorum influxus. Tales sunt sententiae *de Processione* Spiritus Sancti a Patre solo, silentio praetermissa olitana formula Antiochenorum: « a Patre procedit et a Filio accipit »[19], et illa *de Purgatorio,* licet Bar-Hebraeus de tertio statu mitiorem opinionem amplectatur[20]. Neque solum a Byzantinis Bar-Hebraeus petit asserta, verum etiam argumenta, quibus illa demonstrare conatur.

§ 3. *Armeni Scriptores*

240. Theologia Armenorum hac periodo. Intestinae luctae: In regno armeno Ciliciae, ubi praecipui quique armeni scriptores floruere, interna viget contentio inter fautores et adversarios *Unionis* iam peractae, et quidem maxima acredine.

---

13 W. C. W. Carr, *Gregory Abu'l Faraj commolly called Barhebraeus commentary on the Gospels from the Horreum mysteriorum,* Lo, 1925; M. Sprengling et W. C. Graham, *Barhebräus Scholia on the Old Testament,* Pars I, Chicago 1931.

14 J. Bakosh, *Le candélabre des sanctuaires de Grégoire Aboulfaraj dit Barhebraeus;* PO, XXII, XXIV; F. Graffin; PO, XXVII.

15 Cfr. BO, II, 297-299.

16 G. Graf, o. c., 281-284.

17 BO, II, 289.

18 *Candelabrum Sanctorum,* Fund. VI; BO, II, 293. De hoc argumento agit J. Lamy, *Dissertatio de Syrorum fide et disciplina in re eucharistica,* Lovanii 1859, 42.

19 *Candelabrum Sanctorum,* Fund. III; BO, II, 287.

20 *Liber Radiorum,* tract. V; BO, II, 22.

Fautores enim arma petunt a Latinis, agentibus praesertim sic dictis: « Fratres Unitores »; *adversarii* autem, quorum duces erant monachi Agragunenses et imprimis Dathevienses, ad Byzantinos confugiunt, quo citius pesum darent Unionem, quae de facto cessavit a. 1393. Quare, antequam de scriptoribus agam, quaedam praemittenda censeo de his sibi e regione oppositis theologorum factionibus.

Fratres Unitores [21], vel Uniti ut volunt documenta latina, exordiuntur versus a. 1330, opera Ioannis vartapedi et aradjnord (higumeni) monasterii ad Qrna, qui cum suis religiosis ad Catholicismum toto corde transivit et Regulam amplexus est propriam Fratrum Praedicatorum, ad instar Tertii Ordinis, sub Ministrorum Generalium potestate immediate positi. Hic autem *Armenorum Ordo Dominicanus* plura condidit monasteria sive in Magna Armenia, sive in Regno Ciliciae.

Fratribus autem Unitoribus communis est cum reliquis monachis Armeno-catholicis [22], vehemens *inclinatio erga Occidentem Latinum;* quae inclinatio sese prodit sive in quaestione de disciplina et ritu liturgico — Missale enim Latinum suum faciunt — sive etiam in ipsa Theologia, cui adhibent *Summam Theologicam Divi Thomae,* aliosque tractatus Fratrum Praedicatorum [23].

Rebus sic se habentibus, nihil mirum si *Fratres Unitores* difficultates quam maximas experiri incipiunt penes Armenos, qui proprios usus conservare student, praesertim in re liturgica, et penes monachos, qui hanc nacti sunt occasionem ut sub nationalismi specie, suos Armenos commoverent contra Ecclesiam Romanam; id quod ortum dedit factioni theologicae *Datheviensium.*

241. Scriptores armeni praecipui: Vel haec intestina animorum divisio plures compulit ad scribendum de re theologica,

---

21 F. Tournebize S. I., *Les Frères Uniteurs;* ROC, ser. II 2 (1921), 145-161, 249-279; M. A. Van den Oudenrijn O. P., *Annotationes bibliographicae Armeno-Dominicanae,* R. 1921; R. Loenertz O. P., *La Société des Frères Pérégrinants,* R 1937, 141-150.

22 Videlicet, magis adhuc Latino Ritui addicti videntur Armeni monachi in Italia degentes, qui ab Innocentio IV die 30 iun. 1356 in Ordinem coadunati sunt sub regimine Fratrum Praedicatorum; regulam vero profitentur S. Augustini, postea vero S. Basilii et S. Benedicti. Cfr. M. A. Van den Oudenrijn O. P., *Les Constitutions des Frères Arméniens de Saint Basile en Italie;* OCA n. 126 (R 1940); Id., *Die « Frati Armenì » und die Lauretanische Litanei;* Mus 64 (1951), 279-292; Id., *Notulae de domibus Bartholomitarum seu Fratrum armenorum citra Mare consistentium;* AFP 22 (1952), 247-267.

23 M. A. Van den Oudenrijn O. P., *Eine alte armenische Übersetzung der Tertia Pars der Theologischen Summa des hl. Thomas von Aquin,* Bern 1955; Id, *Notulae Armeno-Dominicanae;* AFP 25 (1955), 420-428; Cfr. etiam Id., *Das Offizium des hl. Dominikus des Bekenners im Breviar der ostarmenischen Fratres Unitores,* R 1935.

varia tamen mente. Praecipuum vero theologicarum litterarum domicilium haberi debet *schola ad Gaylejor*, cui hoc tempore praeerat Magister ESAYI, notus etiam ut institutor IOANNIS futuri Aradjnord monasterii Qrnecensis [24].

Inter eos qui bene afficiuntur erga Unionem et doctrinam catholicam nominandi sunt: IOANNES ERZIGHENSIS seu Bluzensis, qui plura concinnavit opera, estque primus inter scriptores armenos saec. XIII, et IOANNES VANAGANUS, cuius sententia usa est Synodus ad Siš congregata a. 1342 [25]. His vero addendi sunt plures *Fratres Unitores*, ut IACOBUS interpres, IOANNES ANGLIACUS, PETRUS AB ARAGONIA et NERSES BALIENTZ, postea Urmiensis episcopus.

In castris autem adversantium Unioni saeculo XIII veniunt VARTANUS MAGNUS († 1241), alter VARTANUS (seu Varkanus) et sacerdos MECHITAR, qui sunt auctores trium opusculorum contra Romanam Sedem, a Synodo Sisiensi graviter reprehensi hac de causa [26]. Primipili vero sunt in hac factione IOANNES ORODNIENSIS (saec. XIV), superior Monasterii Agragunensis, eiusque discipulus GREGORIUS DATHEVIENSIS († 1411), qui hoc appellatur nomine propter monasterium Eusthatii, cui praepositus fuerat, quique tanto cum fervore decertavit contra Armenos Unitos, ut ab illo omnes Unionis adversarii *Dathevienses* audiant. GREGORIUS autem, quem sui *Trismegistum* vocant, plura scripsit opera exegetica, theologica et liturgica [27].

242. ARMENORUM DOCTRINA. LIBELLUS « DE ERRORIBUS ARMENORUM »: Anno 1341 BENEDICTUS XII in Libello *Iam dudum* ad Armenos transmisso non minus quam 117 errores penes Armenos invenit [28], nulla facta distinctione; perinde ac si hae deviae opiniones communes essent in Armenorum Theologia. Fortasse haec persuasio aliena non fuit a Fratribus Unitoribus NERSETE BALIENTZ episcopo Urmiensi et SIMEONE BEG episcopo Garinensi, qui veri habentur auctores *Libelli* [29], sed certe id aegerrime

---

[24] M. A. VAN DEN OUDENRIJN O. P., *Eine alte armenische ...*, 21.

[25] P. SUKIAS SOMAL, *Quadro della Storia Letteraria di Armenia*, V 1829, 103-137.

[26] Ita vult P. SUKIAS SOMAL, o.c., 113, qui huic alteri VARTANO, quem a VARTANO MAGNO diversum vult, tribuit *Monita ad Armenos* et *Refutationem epistulae Romanorum Pontificum ad Haytonem regem*, MECHITARO autem prolixum alium tractatum contra Romanum Pontificem.

[27] Ex his *Liber interrogationum* et *Collectio concionum* armenicis typis in lucem prodierunt C 1727 et 1741.

[28] Quaedam in ES n. 532-549. Integer *Libellus* apud BARONIUS, *Annales Ecclesiastici*, ad 1341, n. 49 ss. et CC 25, 1185-1270, una cum responsionibus Synodi Sisensis.

[29] F. TOURNEBIZE S. I. *Histoire politique et religieuse de l'Arménie*, Pa 1900, 348.

tulerunt Armeni Uniti, putantes iniuria prorsus eis tribui falsas opiniones in Libello recensitas.

Sane *Libellus* loquitur in genere de sententia Armenorum, adhibens formulas: « Armeni communiter tenent », « Armeni credunt et tenent », raro distinctionem statuit, ut quando sermo fit de Processione Spiritus Sancti: « Antiqui magistri ». Haec autem scribendi ratio commovit Armenos Unitos Regni Ciliciae, qui, iussu regis LEONIS V, sequenti anno 1342 *ad Siš* Synodum egerunt praesentibus 6 archiepiscopis, 22 episcopis, 10 abbatibus monasteriorum et 7 sacerdotibus, una cum Catholico MECHITAR [30].

Porro; Synodus subicit responsionem ad singulos « errores »; quorum duo primi respiciebant Processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio, alii definitionem Concilii Chalcedonensis, peccatum originale, Purgatorium animarum, necnon Primatum Romani Pontificis, eiusdemque universalem potestatem, etiam supra Catholicum Armenorum, de quo *Libellus* ad numeros 84-91, 116-117 [31], ut alia omittam minoris momenti.

Patribus Sisensibus fidem si geras, neque illi, neque antiqui eorum magistri tale quid usquam docuerunt. Sed non inficiantur hos errores obtinere penes *quosdam armenos* scriptores, sub obedientia positos Catholici Albaniae Armenicae et Aghthamar [32].

243. DATHEVIENSIUM SENTENTIA: Et revera inter adversarios Unionis seu *Dathevienses,* non solum reviviscunt veteres *opiniones christologicae* dyophysismo chalcedonensi e regione oppositae, sed etiam aliae *propugnari incipiunt* ex Byzantinorum fontibus mutuatae.

Ad *Christologiam* quod attinet, Iulianismus propugnatur a VARTANO et a GREGORIO DATHEVIENSI, dum « incorruptionem » tuentur corporis Christi. VARTANUS enim pronunciavit Christum cibum quem comedebat non digerere, ut digerit homo; GREGORIUS vero dixit: « Christus non dicitur terrestris, sed semper caelestis, etiam secundum carnem ... non dicitur mortalis, sed semper immortalis, etiam secundum carnem » [33].

Sententia autem *de Processione* Spiritus Sancti ab uno Patre, quam quidam etiam Ciliciae doctores sustentabant, ut IACOBUS CLAIENSIS, secretarius LEONIS III regis [34], omnino regnat apud IOANNEM

---

30 CC. 25, 1185-1188.

31 CC. 25, 1188-1190, 1190-1192, 1192-1196, 1269-1270.

32 F. TOURNEBIZE S. I., o. c., 366.

33 C. GALANUS, *Conciliationis Ecclesiae Armenae cum Romana,* Pars altera, I, R 1658, 326-328.

34 P. SUKIAS SOMAL, o. c., 115.

ORODNIENSEM eiusque discipulos [35]. Idem quoque valet de doctrina *Purgatorium* veri nominis excludente.

Independenter vero a Monophysismi et Byzantinorum influxu, duo nobis obviam fiunt, alterum, *de Epiclesi*, improbandum, alterum, *de re mariologica,* laude dignissimum.

De SS. Eucharistia quaestiones Armenis moventur in *Libello* BENEDICTI XII, quae videntur directe respicere quaestionem *Epicleseos;* re tamen vera agitur potius de praesentia reali Christi Domini [36]. *De Epiclesi* contra Latinos disserit VARTANUS, cap. IV sui opusculi *Monita ad Armenos,* tribus innixus argumentis; quorum primum est non posse fieri transsubstantiationem, nisi ad recordationem Patris et Filii accedat invocatio Spiritus Sancti, cum omnis actio ad extra communis sit trium Personarum; secundum vero et tertium repetuntur a verbis ipsis Domini: *hoc facite...*, praecipientis ut postquam narrativo modo pronunciavimus eius verba: *Hoc est,* etc. illa ad effectum precibus reducamus [37].

In *Mariologiae* autem provincia, perseverat illa recta sententia de privilegiis Deigenitricis. Praesertim vero legendus est GREGORIUS DATHEVIENSIS, quinque suis orationibus de psychosomatica B. M. Virginis in caelum *Assumptione,* ubi sex in medium adducit rationes ut excludat placita quorundam Apocryphorum autumantium corpus Virginis mortuum elatum fuisse ab Angelis et sub albero vitae in Paradiso collocatum. Contra hanc opinionem statuit GREGORIUS: « Si quis asserit corpus assumptum esse sine anima respondemus hoc non posse intelligi sine anima [accipe, mediante veri nominis resurrectione], propter sex rationes », quas immediate subiungit [38].

---

[35] C. GALANUS, o. c., Pars altera, I, 393-395; et *Compendium Theologiae Orientalis* [3], R 1950, 255.

[36] Cfr. CC. 25, 1242-1243.

[37] C. GALANUS. o. c., Pars altera, t. II, R 1661, 542. Galanus autem scribit: « Ita, praeter alios, docet Vartanus ». Ceterum desideratur et textus ipse Vartani, et certitudo de eius persona et de tempore quo vixit; sunt enim qui illum confundunt cum Vartano Magno. Sic M. JUGIE A. A., TDCO, V, 486. Vid. not. 4. Antea vero CHOSROAS rectam sententiam docuisse ostendit S. SALAVILLE A. A., *La consécration et l'épiclèse d'après Chosrov le Grand*; EO 14 (1911), 10-16.

[38] *Liber praedicationis*, C 1741, II, 503 ss; iuxta B. TALATINIAN O. F. M., *L'Assunta nella Liturgia e Teologia della Chiesa Armena*; Atti del Congresso Assunzionistico Orientale, Gerusalemme 1951, 25-27. Cfr. *Mariologia Orientalis*, R 1954, 206.

§ 4. *Theologi Copti*

244. SCRIPTORES PRAECIPUI: Iam primis decenniis saeculi XIII litterae theologicae in Aegypto denuo florere incipiunt, et scriptores multiplicantur, qui Theologiae compendiis et commentariis libris in Sacras Scripturas concinnandis praesertim incumbunt, uti mox dicemus.

Patriarcha CYRILLUS IBN LAQLAD († 1243), praeter plura alia opuscula de re morali, canonica et liturgica, edidit *Librum Confessionis,* cui praefationem praemisit ABU 'L FARAG IBN AL-'ASSAL [39].

AR-RAŠID ABU 'L-HAIR IBN AT TAIYIB († c. 1250), cuius opus longe praecipuum audit *Illuminatio intelligentiarum circa scientiae fundamenta,* nobis etiam dedit *Responsionem ad Mahumedanos et Iudaeos* [40]. IBN AT-TAIYIB laudibus extollit ABU ISHAQ IBN AL-'ASSAL [41], e contra ABU 'L-BARAKAT notat illum reprehensum fuisse ob quaedam minus consona doctrinae Coptorum [42].

Eodem fere tempore BULUS AL-BUSI suum *in Apocalypsin* commentarium, quod absolvere nequivit, scribere coepit [43].

BUTRUS AS-SADAMANTI († post 1262) auctor est commentarii in narrationem evangelicam *de Passione Domini, Expositionis fidei et doctrinae moralis,* necnon *Introductionis ad dogmata,* cuius fragmenta dumtaxat nobis codices manuscripti servarunt [44].

AL-WAGIH YUHANNA AL-QALYUBI († post 1271) novam adornavit copticam versionem *Epistularum S. Pauli,* et commentatus est Epistulam ad Romanos [45].

IBN KATIB QAISAR, nobili loco natus [46], nobis mandavit libros commentarios *Epistularum Divi Pauli,* epistulae *Catholicae* et *Apocalypseos* [47].

Reliquorum vero famam longe superarunt tres fratres AULAD AL-'ASSAL, vel IBN AL-'ASSAL communiter dicti, quorum pater ABU BISR YUHANNA IBN AL-'ASSAL publicis et amplissimis

---

[39] G. GRAF, *Geschichte der christlichen arabischen Literatur,* II, StT 133 (Città del Vaticano 1947), 360-367.

[40] M. KHOUZAM, *L'Illumination des intelligences dans la science des fondements,* R 1941, 17-28; G. GRAF, o. c., 344-348.

[41] G. GRAF, o. c., 346.

[42] W. RIEDEL, *Der Katalog der christlichen Schriften in arabischer Sprache von Abu'l-Barakat*; Nachr. Kön. Ges. d. Wissens. zu Gottingen 1902, 661, 698.

[43] G. GRAF, o. c., 358-360.

[44] G. GRAF, o. c., 351-356.

[45] G. GRAF, o. c., 375-377.

[46] Sic ostendit eius nomen plenum: *Abu Ishaq 'Alam ar-Ri'asa Ibrahim Abu 't-Tana Safi ad-daula Abu 'l-Fadail 'Alam-al-din Qaisar.*

[47] G. GRAF, o. c., 379-387.

muneribus fungebatur [48], et Abu 'l-Barakat, qui praecedentium scriptorum doctrinam in unum theologicum corpus redegit.

Fratres Ibn al-'Assal altera medietate saeculi XIII vita functi sunt. Aetate provectus fuit As-Safi abu'l-Fadail ibn al-'Assal, cui tribuenda sunt opera *Firmae veritates, Liber medius, Apologia Revelationis Novi Testamenti, Compendiosae tractationes de Trinitate et de Incarnatione,* complures conciones et paraphrases, et tandem *Nomocanon.* Ex his vero quaedam typis edita sunt [49].

Al-Asa'ad abul 'l-Farag Ribatallah ibn al-'Assal, lucubravit *Grammaticam, Compendium iuris matrimonialis, Kalendarium liturgicum* et *Evangeliorum concordantiam,* cui textus adhibet graecum, copticum, arabicum et syriacum [50].

Al-Mu'taman abu Ishaq Ibrahim ibn al-'Assal auctor est cursus theologici *Summa fundamentorum Religionis,* cuius fragmentum Canonem Sacrarum Scripturarum et scriptorum christianorum seriem continens edidit Graf [51]. Huius autem magni sui operis *Compendium* ipse fecit [52]. Praeter haec, scripsit *Introductionem in S. Paulum* et *Lexicum copto-arabicum* [53].

Amplius adhuc nomen sibi conciliavit Abu'l-Barakat ibn Kabar († 1324) [54], inter magnos scriptores Ecclesiae Copticae ultimus, simulque celeberrimus. Edidit autem, praeter Grammaticam coptam dictam *Scala magna,* plures conciones, quarum 23 editae sunt, et praesertim maximum illud opus cui nomen *Lampas tenebrarum,* quod est totius copticae Theologiae aptissima summa [55].

His vero alii duo accensendi sunt: Abu Sakir ibn Butrus ar-Rahib, qui vixit tempore fratrum al-'Assal et redegit *Librum essen-*

---

[48] A. Mallon S. I., *Ibn al-'Assal. Les trois écrivains de ce nom*; JA X Ser. 6 (1905), 509-529; Id., *Une école des savants égyptiens au Moyen Âge*; Mélanges de la Faculté Orientale 2 (Beyrouth 1907), 213-264; G. Graf, *Die koptische Gelehrtenfamilie der Aulâd al-'Assal und ihr Schrifttum*; Orientalia 1 (1932), 34-56, 129-148, 193-204; Id., *Geschichte der christliche arabischen Literatur,* t. II, 387-414.

[49] Binos theologicos tractatus typis dedit Morcus Guirguis, Cairo 1643 aerae martyrum (1927), Nomocanonem vero Philotheus Awad, Cairo 1894.

[50] G. Graf, *Geschichte der christl. arab. Literatur,* II, 403-407.

[51] G. Graf, *Das Schriftstellerverzeichnis des Abû Ishâq ibn al-'Assal*; OrC Nov. Ser. 2 (1912), 205-227.

[52] Editum a P. Sbath, *Vingt Traités,* Le Caire 1929, 111-122.

[53] Hanc Introductionem habes apud P. Sbath, o. c., 122-131.

[54] Guirguis Philotheus Awad, *Dissertatio de Abu'l-Barakat Ibn Kabar* (arabice) Cairo 1930; E. Tisserant, *Kabar (Sams ar-Riassah abu'l-Barakat ibn Kubr)*; DTC, VII, 2293-2296; E. Tisserant, L. Villecourt, G. Wiet, *Recherches sur la personnalité et la vie d'Abû'l-Barakat ibn Kubar*; ROC 22 (1920-1921), 373-394; G. Graf, *Mitteilungen zur chronologie des Abu'l Barakat*; OrC III Ser. 6 (1933), 246-251; Id., *Geschichte der christl. arab. Literatur,* II, 438-445.

[55] Huius operis prodiere capita I-II, in PO 20, curantibus E. Tisserant, L. Villecourt et G. Wiet; cap. IV, curante A. Baumstark, in OrC 1 (1901) et 2 (1902), cap. VI a W. Riedel in Nachr. Ges. Göttingen 1902.

tiae et *Librum sanationis* [56], et YUHANNA IBN ABI ZAKARYA, IBN SABBA vulgo dictus († medio saec. XIV), auctor libri *Margarita pretiosa* [57].

245. QUAEDAM DOCTRINAE CAPITA: Ex iis omnibus lucubrationibus, praesertim vero ex compendiis theologicis ABU'L-BARAKAT et fratrum AULAD AL-'ASSAL, satis liquet genuina indoles scriptorum coptorum hac aetate, quibus nihil est antiquius quam accuratum religiosarum veritatum complexum nobis praebere, sese cohibentes a ratione polemica, neque facile indulgentes invalescenti Byzantinorum conceptuum influxui.

Ad *Monophysismum* quod attinet, absque dubio non recedunt a verbo: *una natura* post unionem; illam vero ita declarant ut mysterio quidem plena sit, sed absque ullo detrimento naturarum humanae et divinae, ad instar unionis inter animam et corpus [58].

De *SS. Eucharistia* vindicant realem Christi Domini praesentiam; sed nihil habent, saltem clare *de Epiclesi*. Etenim, si vim faciunt in oratione Epicleseos, ratio est similitudo mysterii eucharistici cum mysterio Incarnationis a Spiritu Sancto perfectae [59].

Denique, et *de Confessione* auriculari recta sententia frequentatur. Equidem scio ABU 'L-BARAKAT illam adhuc positive excludere [69]; sed rectam doctrinam tuentur et Patriarcha CYRILLUS IBN LAQLAD et AL-ASA'AD AL-'ASSAL [61], eiusque frater AL-MU'TAMAN ABU ISHAQ, capite 55 suae *Summae fundamentorum Religionis* [62]. Horum autem vestigia premit IBN SABBA in suo libro *Margarita pretiosa* [63].

§ 5. *Theologi Aethiopici*

246. PRIMA LITTERARUM AETHIOPICARUM INCUNABULA: Scriptores de re Aethiopica [64] plures norunt penes Aethiopes Lit-

---

[56] *Librum Sanationis* typis vulgavit MORCUS GUIRGUIS, Cairo (s. d.).

[57] Editus est liber a J. PERIER; PO, 16, 593-760; arabice autem a MORCO GUIRGUIS, Cairo 1898.

[58] Cfr. PO, 16, 714; 20, 648, 672-675.

[59] Ita Coptorum doctrinam compendiat M. KHOUZAM, o. c., 179.

[60] *Lampas tenebrarum*, cap. XVI, a quo textum sumit et vertit M. KHOUZAM, o. c., 181.

[61] G. GRAF, *Geschichte der christliche arabischen Literatur*, II, 367-368.

[62] Apud M. KHOUZAM, o. c., 182, not. 32.

[63] PO, 16, 723, 745.

[64] TH. NÖLDEKE, *Die äthiopische Literatur*, Be 1906; E. LITTMANN, *Geschichte der äthiopischen Literatur*, L 1909; A. BAUMSTARK, *Das christlicharabische und das äthiopische Schriftum*, (*Die christliche Literatur des Orients, I*), L 1911; J. M. HARDEN, *An Introduction to Ethiopic Christian Literature*, Lo-New York 1926; I. GUIDI, *Storia della letteratura etiopica*, R 1932; E. CERULLI, *Storia della Letteratura Etiopica*, Milano 1956.

teraturae religiosae diversas periodos, quarum antiquissima est illa *Axumita* dicta, saeculis V-VII.

Hac vero tempestate *versiones* fiunt ex lingua graeca [65] in linquam ge'ez. Primo vero tempore translata sunt Biblia Sacra, et quidem aucta quibusdam libris apocryphis [66]. Mox etiam habetur *Fisalgos* — sive *Physiologus* — *Regula S. Pachomii* et tandem *Kerillos*, sive congeries locorum SS. Patrum de Christologia, incipiendo a libro *De recta fide* S. Cyrilli Alexandrini, qui nomen dedit volumini. In his vero translationibus, imprimisque in illa S. Pachomii, iam sese prodit *libertas* qua Aethiopes utuntur in convertendis libris; quibus plura adhibent additamenta, pluresque correctiones [67].

247. Exordia Theologiae Aethiopicae: Post saeculum VII nihil fere notatu dignum invenimus [68] usque ad saeculum XIII, quando Yekuno Amlak (1270), primus e dynastia Salomonidum, regnum obtinuit. Hac autem altera periodo non solum versiones impense fiunt, verum primi theologici tractatus ab aethiopicis *debterà* exarantur, non sine aliquo Occidentalium influxu.

Sine *aliquo,* inquam, *influxu* saltem mediantibus monachis aethiopicis hierosolymitanis [69]. Sunt etiam qui asserant iam ad finem saeculi XIII quosdam Patres Minores et Praedicatores in Aethiopia pedem fixisse [70]; sed nonnisi levia habemus indicia, et quidem solummodo ad asserendum quendam Latinum Patrem tunc temporis in Aethiopia vixisse, quin ultra indicare valeamus cuius religiosi Ordinis ipse fuerit [71].

Inter versiones hoc tempore perfectas, habentur plures *libri Liturgici,* ut Horologium, Rituale et Synaxarium, necnon *Acta Mar-*

---

[65] E. Cerulli, o. c., 31-32 excludit versiones aethiopicas e lingua coptica; aethiopes enim textus copticos — sicuti etiam *Physiologum* syrum — ex translatione graeca in propriam verterunt linguam.

[66] Cfr. supra ad n. 15.

[67] E. Cerulli, o. c., 13.

[68] Videlicet, saec. IX-X adhiberi coepit *Weddâsê Mârjâm,* seu translatio aethiopica Theotokiae copticae, ad singulos hebdomadae dies. Aethiopice et germanice edidit K. Fries, *Weddase Maryam,* L 1892.

[69] E. Cerulli, o. c., 11-12; cfr. eiusdem opus *Etiopi in Paestina,* 2 vol., R 1943. 1947.

[70] Hanc retinet sententiam Mario da Abiy-Addi' O. F. M. Cap., *La dottrina della Chiesa Etiopica dissidente sull'Unione Ipostatica*; OCA n. 147 (R 1956), 70-72, secutus J. B. Coulbeaux, *Histoire politique et religieuse d'Abyssinie,* Pa 1928, I, 290-291 et Mauro da Leonessa O. F. M. Cap., *Santo Stefano Maggiore degli Abissini,* Città del Vaticano 1929, 124-130.

[71] C. Conti Rossini, *Sulle Missioni Domenicane in Etiopia nel secolo XIV*; Reale Accademia d'Italia, Rendiconti Sc. Mor. e Stor., Ser. VII, 1 (1940), 71-98. Cfr. finem articuli.

tyrum, et quorundam *Sanctorum Vitae*, quae viam muniunt litteraturae *hagiographicae*, qua Aethiopes quam maxime delectantur [72].

Ad *Theologiam* quod attinet, una cum versionibus S. IOANNIS CHRYSOSTOMI et IACOBI SARUGENSIS, opere *Gebra Hemânât* collectis, attendenda est versio SEVERI AL-MUQAFFA *De Synodis* [73], redactio aethiopica *libri Miraculorum Mariae*, qui audit *Taamera Marjam* [74], et collectio *Senodos* dicta, tempore ABBA SALÂMÂ, ante a. 1425, iam perfecta [75].

Eodem fere tempore, videlicet die 16 iunii 1424, GEORGIUS SAGLENSIS absolvit primum, quod novimus, theologicum opus, sub nomine *Mashafa Mestir*, seu Liber Mysterii [76]. Agit vero de Trinitate et de Incarnatione, necnon de consecratione eucharistica, contra quendam francum vocatum « Messer Zan », quem CONTI-ROSSINI italum fuisse suspicatur [77]. Ceterum GEORGIUS quasdam male sonantes opiniones profert, postea a ZAR'A JAKOB damnatas.

248. CYCLUS THEOLOGICUS ZAR'A JAKOB IMPERATORIS AETHIOPIAE: Litterae vero aethiopicae maxime florent medio saeculo XV, sub Imperatore ZAR'A JAKOB (1434-1478), cuius palatium fit bonarum artium domicilium, ita ut ZAR'A JAKOB, saepius dictus « Constantinus », a quibusdam conferatur cum Carolo Magno [78]. ZAR'A JAKOB nomen sibi amplissimum conciliavit sua opera reformationis ecclesiasticae et liturgicae [79], simul vero libris editis quamplurimis, qui huius Imperatoris nomen ferunt.

ZAR'A JAKOB imperante, divulgantur aethiopicae plures *Sanctorum vitae*, imprimisque illa *Takla Hâymânot*, celeberrimi inter omnes sanctos Aethiopiae [80].

Simul vero impense colitur *hymnologia sacra*, praesertim in honorem B. M. Virginis; hoc enim tempore plures feruntur hymni

---

[72] I. GUIDI, o. c., 25-29.

[73] Arabice et aethiopice prodiit: *L'Histoire des Conciles de Sévère ibn al-Moqaffá*; ed. L. LEROY et S. GRÉBAUT, PO, 6, 469-639.

[74] E. CERULLI, *Il libro etiopico dei Miracoli di Maria e le sue fonti nelle letteratura del Medio Evo Latino*, R 1943.

[75] I. GUIDI, *Der äthiopische Sénodos*; Zeitschr. d. detsch. Morgenl. Gesellschaft 55 (1901) 495-502. Senodos autem praebet Constitutiones et Canones Apostolorum, Concilia Nicaenum, Gangrense, Sardicense, Antiochenum, Neo-Caesareense, Ancyranum et Laodicaenum, simul ac breves quosdam tractatus de SS. Trinitate adversus Iudaeos.

[76] Partim editus a C. CONTI ROSSINI, *Due capitoli del Libro del Mistero di Giyorgis da Saglà*; Rassegna di Studi Etiopici 7 (1948), 13-53.

[77] C. CONTI ROSSINI, a. c.; E. CERULLI, *Storia della Letteratura Etiopica*, Milano 1956, 195.

[78] E. COULBEAUX, *Éthiopie (Église d')*; DTC, V, 949.

[79] A. DILLMANN, *Über die Regierung insbesondere die Kirchenordnung des Königs Zar-a-Jakob*, Be 1884.

[80] I. GUIDI, o. c., 57-62.

mariales, quorum praecipuus ducitur *Mahlêta Segê*[81]. In honorem B. M. Virginis, versus a. 1440, GEORGIUS ARMENUS, uti ferunt, exaravit *Arganona Dengel* — seu Harpa Mariae — praestantissimum pietatis marialis inter Aethiopes documentum[82].

Nostra maxime referunt scripta ZAR'A JAKOB in provincia Theologiae, sive ad doctrinam rectam suis tradendam subditis, sive ad devias opiniones convellendas, nimirum:

Mashafa Berhân, sive Liber lucis, sic dictus propter Christum, qui est lux mundi; et *Mashafa Milâd,* sive Liber Nativitatis, legendus singulis mensibus die 29, Nativitati Domini Nostri Iesu Christi recolendae sacro[83]; quae sunt duo opera theologica maxime attendenda, contra *Stephanitas, Mikaelitas* et *Eustathionitas* directa.

Theologiam *sacramentariam* respiciunt duo minores tractatus; *Mashafa Bâhrey,* seu Liber essentiae, circa rationem Extremae Unctionis conferendae, et *Ta'âqebo Mestir,* seu Custodia Mysterii, de administratione et custodia SS. Eucharistiae[84].

Denique, contra usus magicos et superstitiones ZAR'A JAKOB edidit *Kehdata Saytân,* seu Abnegatio daemonis, et *Tomârâ tesbe'et,* seu Liber de incantationibus[85].

Hisce vero operibus sub Imperatoris nomine divulgatis addendum est opus cui titulus: *Mashafa Mestir zasamây wamedr,* sive Liber Mysterii Caeli et Terrae, auctore BAHÂYLA MIKAEL[86]. Tertia vero pars operis posita est in quaestionibus de Deo et de creaturis declarandis.

249. IMPERATORIS ZAR'A JAKOB DOCTRINA THEOLOGICA: Suis voluminibus ZAR'A JAKOB non egit perpetuam quandam et bene adaptatam tractationem de singulis argumentis; sed libenter miscet minas contra perduellionem monitis ad pietatem fovendam et vindiciis rectae doctrinae *contra haereses* tunc temporis in Aethiopia grassantes[87]. Ut de hoc ultimo argumento tantum agamus, omnia bene comprehenduntur iussione illa ab

---

[81] A. GROHMANN, *Aethiopischen Marienhymnen,* L 1919, 25-36, 66-157; G. NOLLET, *Le Culte de Marie en Éthiopie,* IV-V: L'hymnologie mariale étiopienne; in opere *Maria,* I, Pa 1949, 395-112.

[82] Edidit aethiopice P. LEANDER, *Argânôna Weddase,* Göteborg 1922; germanice S. EURINGER, *Die Marienharfe* (Arganôna Weddâsê); OrC, Ser. III, 2 (1927), 120-145, 338-355; 3-4 (1930), 79-108, 248-278; 5 (1930), 202-231; 6 (1931), 60-89, 209-239.

[83] De his libris disserit, eosdemque partim aethiopice et germanice edidit K. WENDT, *Das Mashafa Berhân und Mashafa Milad*; Orientalia 3 (R 1934), 1-30, 147-173, 259-293.

[84] I. GUIDI, o. c., 51.

[85] I. GUIDI, o. c., 52-55.

[86] Aethiopice et gallice ediderunt J. PERRUCHON et S. GRÉBAUT; PO 1, Pa 1903, 1-102; 6, Pa 1911, 361-464.

[87] E. CERULLI, *Storia della Letteratura Etiopica,* Milano 1956, 135.

Imperatore lata ut omnes sibi subditi gererent fronte incisa verba: « Sum Patris. Filii et Spiritus Sancti », dextro brachio: « Renuntio Satanae propter Christum Deum », sinistro autem: « Renuntio maledicto Dask et sum servus Mariae, matris Creatoris totius mundi » [88].

Ad doctrinam *de Trinitate* quod attinet, ZAR'A JAKOB impugnat haeresin ZA-MIKAEL, cui ASQÂ, GAMALIEL aliique adstipulantur. Za-Mikael autem adeo longe abest a ratione loquendi propria Aethiopum personis divinis « faciem » tribuentium, ut unam tantum in divinis Personam unamque hyspotasin admittat, Deumque prorsus incognoscibilem hominibus dictitet; qua de causa, illum redarguit ZAR'A JAKOB in Synodo a. 1439, ut nobis dicit in libro *Mashafa Berham* [89]. Reliquum, haec secta anathemate quidem perculsa fuit, minime vero extincta; reviviscit enim saec. XVI, imo et favorem praestat Imperatori ad tuendum Monophysismum [90].

In alium haud minus gravem errorem inciderunt *Stephanitae;* quos si audias, in unaquaque Persona SS. Trinitatis Logos unus et unus Spiritus reperitur; ita ut in Trinitate *tres sint Logoi, tres Spiritus, tres essentiae* [91].

Monophysismum vero profitentur Aethiopes *nominalem* tantum ac severianum; quare, cum certi quidam monachi ex Aegypto formulas eutychianas docere coepissent, coacta Synodo, a ZAR'A JAKOB reprehensi et damnati sunt [92]. Non defuere scriptores asserentes Aethiopes etiam *veri nominis Monophysismo laborare,* vel ab omni Monophysismi, etiam nominalis, specie illos *immunes* perseverasse, etiamsi ob inopiam terminorum videantur a recto Orthodoxiae tramite deflectere [93]; neutra vero sententia satis argumentis demonstrari posse videtur.

---

[88] Ibid., 140, iuxta Chronicum editum a J. PERRUCHON, *Les Chroniques de Zar'a Yakob et de Ba'eda Mâryâm,* Pa 1893.

[89] Cfr. K. WENDT, a. c., 18, 264-270.

[90] Lege, sis, de lucta Imperatoris contra Mikaelitas E. CERULLI, *Il Libro etiopico dei Miracoli di Maria,* R 1943, 107-121. Idem auctor edidit tractatum *Fekare Malakot,* sive Interpretatio divinitatis, a quodam membro huius sectae lucubratum saec. XVI. E. CERULLI, *Scritti teologici etiopici dei secoli XVI-XVII*; StT n. 198 (Città del Vaticano 1958), 3-63, 67-152.

[91] K. WENDT, a. c., 164, 287-289. De hac secta lege E. CERULLI, *L'Etiopia nel secolo XV in nuovi documenti storici*; Africa Italiana 5 (1933), 99.

[92] H. M. HYATT, *The Church of Abyssinia,* Lo 1928, 99-100.

[93] Generatim nostri recentiores contendunt Aethiopes eutychianos minime esse, ut tenent V. V. BOLOTOV, *Qualche pagina della storia ecclesiastica dell'Etiopia*; trad. dal russo, R 1890, 15-16; E. DOLGANEV, Современная Абиссинія; BV 1895, II, 281-285; I. GUIDI, *La Chiesa Etiopica*; Enciclopedia Italiana XIV (1923), 483: M. JUGIE A. A., TDCO, V, 543, contra veterem rigidiorem sententiam. Ulterius progrediuntur Abba IALOU SOQUAR, *La Chiesa Etiopica è monofisita?*; L'Oriente Cristiano e l'Unità della Chiesa 4 (1939), 97-99 et MARIO DA ABIY-ADDI' O. F. M. Cap., *La dottrina della Chiesa Etiopica sull'Unione ipostatica*; OCA n. 147 (R 1956); cfr. 159-162: Conclusione generale.

Denique, *ad B. M. Virginem* eiusque cultum commendandum, praeter innumeros fere locos ab hymnologia praesertim petitos, duo sunt animadvertenda in documentis huius aetatis; alterum nempe est damnatio erroris *Stephanitarum*, qui B. M. Virgini et Cruci Domini honorem ferre nolebant[94]; alterum vero est illud quod de eximia ac singulari prorsus et *totali Virginitate Deiparae* nos docet auctor *Libri Mysterii Caeli et Terrae*[95].

Quodsi Zar'a Jakob adeo fuit sollicitus de internis haeresibus debellandis, minime agere omisit *contra Mahumedanos et Iudaeos,* quibus circumdabatur Aethiopia; nullum vero verbum dixit *adversus Latinos* eorumque dogmata, quidquid sit de commercio Imperatoris cum Pontifice Eugenio IV et cum Florentino Concilio.

94 K. Wendt, a. c., 164.
95 PO 6, 453-454.

CAPUT IX

DE CONTROVERSIIS THEOLOGICIS IN SYNODO FLORENTINA

250. DE PRODROMIS UNIONIS FLORENTINAE: CONAMINA FACTA ANTE A. 1438: Neminem latet *momentum Unionis Florentinae* in hac nostra provincia Theologiae comparatae. Florentiae enim sancita fuit uniformitas in doctrina non solum inter Ecclesiam Romanam et Byzantino-slavicam, verum etiam inter Romanos et omnes ad unum Orientis Christiani coetus dissidentes. Reliquum, *Unio Florentina* ex inopinato minime evenit; plura enim *viam pararunt ad reconciliationem,* praesertim cum Byzantinis, nimirum: et frequens Legatorum missio, et animorum amicalis dispositio, et tandem ipse dogmatum et Theologicorum studiorum progressus in Occidente Catholico.

Ut de labore per missos facto primum dicamus [1], Constantinopolitanus Imperator IOANNES V Palaeologus egit apud INNOCENTIUM IV, MANUEL autem II, non obstante magno illo occidentali schismate, causam Unionis ecclesiasticae, quam moriens filio commendavit suo [2], per se vel per suos Legatos perorare atque promovere non cessavit, sive in Concilio Constantiensi, sive coram Pontifice MARTINO V; sicut postea eius filius IOANNES VIII praestitit erga EUGENIUM IV et Basileense Concilium [3].

Quodsi imperiales oratores bene merentur de Unione ecclesiastica, haud sane minore pondere dare oportet operam Legatorum

---

[1] J. ZHISMAN, *Die Unionverhandlung zwischen der orientalischen und römischen Kirche seit dem Anfange des XV Jahrhundert bis zum Concil von Ferrara,* Wien 1858; C. MARINESCU, *Sinodul de la Florența și cele mai insemnate însemnate de unire anterioare,* B 1900; M. VILLER S. I., *La Question de l'Union des Églises entre Grecs et Latins depuis le Concile de Lyon jusqu'à celui de Florence*; RHE 17, 18 (1921, 1922); A. N. DIAMANTOPOULOU, Αἱ κατὰ ιε' αἰῶνα ἀποπεῖραι πρὸς ἕνωσιν τῶν 'Εκκλησίων; Th 1 (1923), 99-108, 202-217; 2 (1924), 21-45, 121-147. Hisce vero discordiam fuisse auctam putat L. GAFTON, *Agravarea schismei prin incercările di unire in secolele XI-XV*; Ort 8 (1956), 397-416.

[2] M. JUGIE A. A., *Le schisme byzantin,* Pa 1941, 248-249.

[3] Has omnes Legationes historice recenset J. GILL S. I., *The Council of Florence,* Cambridge 1959, 16-84.

Romanorum Pontificum, qui ad id operis usi sunt prae aliis Patribus Dominicanis et Franciscalibus in Oriente vitam agentibus, quibus magis erat integrum de reconciliatione sermonem miscere, disputationesque pacifice agitare [4]. Nec sine fructu, ut ostendunt res gestae a S. PETRO THOMA Ordinis Carmelitarum medio saeculo XIV [5], et labores suscepti ab ANDREA CHRYSOBERGA O. P. ineunte saec. XV [6].

Religiosorum autem operositati tribui debet si plures magnates et principes pacem inierunt cum Ecclesia Romana, cuius fidem professi sunt.

Sub URBANO V, anno 1370, LATZCO Moldaviae princeps iam cogitaverat de fide romana amplectenda, id quod de facto praestitisse videtur ante diem 25 ianuarii a. 1372, quo die litteras gratulatorias ad eum misit GREGORIUS IX, ei simul vires addens ne cedat precibus uxoris, Unionem respuentis. URBANUS autem V laudat CLARAM viduam Nicolai Alexandri principis Valachiae, propterea quod filiam reginam Bulgariae ad Catholicismum perduxerit et illam rogat ut idem suis tentet consiliis apud alteram filiam, regi Serbiae matrimonio copulatam [7]. Constantinopoli vero IOANNES PALAEOLOGUS professionem fidei catholicae, quam spoponderat iam mense decembri a. 1355 [8], ratam habuit et sacra Communione suscepta obsignavit coram Legato Pontificio S. PETRO THOMA.

Quae cum ita se habeant, nemo sane mirabitur si plures in Occidente de Unione iam iam ineunda cum Ecclesia Byzantina verba faciant spei plena, ut sunt illa prolata a Cancellario IOANNE GERSON [9]. His vero omnibus cordi erat celebratio Concilii Oecumenici, Latinis coalescentis et Graecis, in quo dubia omnia ac controversa componi posse sperabant.

Hoc consilium propugnavit coram BENEDICTO XII Constantinopolitanus Legatus BARLAAMUS CALABER, cuius argumenta refert

---

[4] M. VILLER S. I., l. c., RHE 18 (1922), 52-58.

[5] Cfr. eius biographiam a PHILIPPO DE MEZIERES, qui eius fuerat socius, in *Acta Sanctorum Ianuarii*, II, 995-1022.

[6] M. H. LAURENT O. P., *L'activité en Orient d'André Chrysobergès O. P. sous le pontificat de Martin V (1418-1431). Étude et documents*; EO 34 (1935), 417-438; R. LOENERTZ O. P., *Les Dominicains Byzantins Théodore et André Chrysobergès et les négotations pour l'Union des Églises de 1415 à 1430*; AFP 9 (1939), 5-61.

[7] A. THEINER, *Vetera monumenta historiam hungaricam sacram illustrantia*, II, 97-101; C. AUNER, *La Moldavie au Concile de Florence*; EO 7 (1904), 322-323.

[8] A. THEINER - F. MIKLOSICH, *Monumenta spectantia ad unionem ecclesiarum graecae et romanae*, Vindobonae 1872, 29-30.

[9] J.-B. MONNOYER, *Sermon du chancelier Jean Gerson pour le retour des Grecs à l'Unité*; Ir 6 (1929), 721-766.

ipse BENEDICTUS in epistula ad ROBERTUM Siciliae regem data[10]. Neque aliud sentiunt hoc eodem saeculo XIV NILUS CABASILAS, DEMETRIUS CYDONIUS et Imperator IOANNES CANTACUZENUS, exoptans ut Concilium coadunetur in civitate aeque distante a Roma et a Byzantio[11].

211. SCHOLAE THEOLOGICAE IN OCCIDENTE: Nostrum non est dicere quantum momenti hoc in negotio obtineant politici eventus. Quidquid sit, negari nequit Ecclesiam Occidentalem, licet rebus secundis non utatur, aptiorem reddi ad opus Unionis aggrediendum, ob *scholas theologicas* iam magis perfectas, quae in Universitatibus occidentalibus regnant.

Saeculo enim XIV *Schola franciscana* plures numerat insignes scriptores, quos inter B. IOANNEM DUNS SCOTUM, a quo tandem nomen sumpsit[12]. *Schola* autem *Aquinatis*, superatis difficultatibus adversus eam motis a dominicano R. KILWARDBY et a franciscano IOANNE PECKAM, utroque archiepiscopo Cantorberensi[13], iam pace omnium obtinet; praesertim cum a. 1309 Patres Praedicatores Caesaraugustae coadunati S. THOMAE patrocinium aperte susceperunt. Denique, contradictio omnis generis prorsus evanuit a. 1323, cum THOMAS Sanctorum albo adscriptus fuit[14].

Haec autem Aquinatis hegemonia maximae fuit *utilitati* Concilio Florentino; quod a Sancto THOMA petit plura insignia documenta, ut *Decretum Unionis Armenorum,* ad verbum respondens opusculo Angelici Doctoris *De fidei articulis et de septem sacramentis.* Quare, optimo sane iure super mensa Concilii, una cum opere S. IOANNIS DAMASCENI *De Fide Orthodoxa,* et AQUINATIS *Summam Theologicam* Patres collocari voluerunt.

212. DOGMATIS PROGRESSUS IN OCCIDENTE: Quo tempore Ferrariam Byzantini sunt ingressi ut Concilio interessent, Ecclesia Catholica, quae a lugendo illo occidentali schismate vix convaluerat, denuo interna scissione laborare coeperat, opera *Concilii Basileensis*; quod, sub praesidio Cardinalis Arelatensis, ausum est deponere EUGENIUM IV et antipapam creare AMADEUM A SABAUDIA, sub nomine Felicis[15]. Verumtamen haec mi-

---

10 PG, 151, 1332-1334.

11 Vide eius consilia data suis Legatis ad CLEMENTEM VI a. 1350 in PG, 154, 61-77. Plura tibi dabit M. VILLER S. I., a. c., 25-28.

12 P. RAYMOND O. F. M. Cap., *Duns Scot*; DTC, IV, 1865-1947.

13 P. GLORIEUX, *Comment les thèses thomistes furent proscrites à Oxford*; Revue Thomiste 10 (1927), 259-291.

14 A. BACIC, *Ex primordiis scholae thomisticae,* R 1928.

15 HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des Conciles,* VII, Pa 1916, 1068-1078.

nime impediunt quominus dogmata legitimos progressus faciant, non sine commodo controversiae cum Orientalibus rite sedandae.

Unitatem Ecclesiae *et naturam potestatis supremae* ecclesiasticae illustravit Bonifatius VIII, Bulla edita *Unam Sanctam* (8 novembris 1302), apertis verbis alludens ad dissidium cum Byzantinis [16].

Plura doctrinae capita denuo exhibet Libellus *Iam dudum* de erroribus Armenorum, auctore Benedicto XII (a. 1341), agens de Processione Spiritus Sancti, de Purgatorio et retributione animarum, de Romano Pontifice, etc. [17].

Concilium Constantiense (Oecumenicum XVI) reprobavit errores Ioannis Wiclefii et Ioannis Hus, qui reiecerant supremam Romanorum Pontificum auctoritatem [18], quam etiam conciliaristae Basileenses in discrimen adducunt [19].

His vero utuntur primi *auctores Summarum de Ecclesia,* vindicantes *supremam Romanorum Pontificum auctoritatem,* sive contra abusum civilis potestatis, sive contra placita systematis Conciliarismi. Quin, et novis definitionibus large utens, Escobar suum lucubravit tractatum de opinionibus deviis Byzantinorum.

Ut potestatem civilem intra proprios limites coarctaret [20], Iacobus a Viterbo scripsit librum *de regimine christiano,* iure habitum ut antiquissimam Summam de Ecclesia [21]. Mox vero Iacobum imitati sunt Augustinus Triumphus ab Ancona, qui a. 1320 vulgavit opus *Summa de potestate Ecclesiastica,* Henricus Cremonensis, Ptolomaeus a Luca et franciscanus hispanus Alvarez Pelayo.

Contra theoriam conciliarem, propugnatam a Petro de Iliaco († 1420) in opere *De auferibilitate Papae ab Ecclesia* et a Ioanne Gerson († 1429) in libro *De potestate ecclesiastica,* Primatum Ro-

---

[16] « Si ergo Graeci — ait — sive alii se dicant Petro eiusque successoribus non esse commissos; fateantur necesse est se de ovibus Christi non esse, dicente Domino in Ioanne: unum ovile et unicum esse pastorem »; ES, n. 468.

[17] Cfr. infra ad n. 242.

[18] Cfr. errores Wiclefii 9, 41; ES, nn. 589, 621; errores Hus 7, 9, 12, 27, 28; ES, nn. 633, 635, 638, 653, 654; interrogationes Wiclefitis et Husitis propositas 16, 23, 24; ES, nn. 666, 673, 674.

[19] N. Valois, *La crise religieuse du XVe siècle. Le Pape et le Concile (1418-1450)*, Pa 1909.

[20] Cfr. J. Rivière, *Le problème de l'Église et l'État au temps de Philipe le Bel,* Louvain-Paris 1926.

[21] H. X. Arquillière, *Le plus ancien traité de l'Église. Jacques de Viterbe, De Regimine christiano,* Pa 1926.

manum tuentur, inter alios, ANDREAS A SANCTA CRUCE [22] et IOANNES A TURRECREMATA [23].

Adeundus vero est praesertim ANDREAS ESCOBAR, qui a. 1437, e Concilio Basileensi redux, et sententiis conciliaristis depositis [24], Bononiae, die 15 decembris a. 1438 absolvit suum tractatum *De Graecis errantibus et ipsorum erroribus,* quem EUGENIO Papae IV dicatum voluit [25]. Opus autem concinnavit in commodum laborum Concilii Florentini, cui interfuit, ut videre est in subscriptionibus Bullae Unionis Graecorum.

ESCOBAR, doctrinam catholicam de Trinitate, Incarnatione, fide, Romano Pontifice, Azymis, Purgatorio, quibus alias addit quae nostra minus referunt, 51 articulis disgestam proponit. Postea recenset totidem propositiones Byzantinorum illis oppositas. Denique, harum singulis respondet, usurpans praesertim Aquinatis opusculum *Contra errores Graecorum,* quod ad verbum transcribit, illud complens *Summa contra Gentes* aliisque operibus Angelici Doctoris, necnon propriis lucubrationibus de Azymis et de Purgatorio [26].

ART. I

Concilii Unionis Acta. Theologi Florentini

233. DE CONCILIO FLORENTINO DOCUMENTA ET SCRIPTA: De Concilio Florentino diversa prorsus ratione tractant scriptores catholici et orientales separati, quibus Florentinum Concilium molestum valde est.

---

[22] U. MANNUCCI, *Andreae de Sancta Cruce dialogus de Ecclesiae Primatu in Ludovicum Pontanum*; Bess 30 (1914), 153-194.

[23] Iam anno 1437 redigerat opusculum: *Flores sententiarum Beati Thomae de potestate Summi Pontificis,* typis primum vulgatum Lugdunii 1496. Anno vero 1439 ad finem vergente, nempe post Bullam EUGENII IV *Moyses* contra Basileenses, datam 4 septembris 1439, habuit suam Orationem de Primatu, cuius extat recens critica editio: IOANNES DE TORQUEMADA O. P., *Oratio Synodalis de Primatu*; ed. Emm. CANDAL S. I., in CF, IV, fasc. 2, R 1954. Tandem scripsit suum opus *Summa de Ecclesia,* saepius editum; ex. gr. V. 1561.

[24] L. WALTERS, *Andreas von Escobar, ein Vertreter der Konziliarentheoria am Anfang des 15 Jahrhunderts,* Münster 1921.

[25] ANDREAS DE ESCOBAR O. S. B., *Tractatus polemico-theologicus de Graecis errantibus et ipsorum erroribus,* ed. Emm. CANDAL S. I., in CF, IV, fasc. 1, R 1952. Verus autem titulus sonat: « Tractatus copiosus contra quinquaginta errores graecorum Sanctissimo Domino nostro Eugenio quarto unico et indubitato papae Romano sanctissimo intitulatus perpetuo. Amen ».

[26] In his autem omnibus ESCOBAR tenet sine dubio doctrinam Divi THOMAE; sed non eius moderationem et caritatem in loquendo. Ceterum, facile quis coniecturari potest ANDREAM, durante Concilio Basileensi, plura didicisse de Byzantinorum sententia.

Horum historicae commentationes dependent ab opere Silvestri Syropouli: *Historia Synodi Florentinae* [1], quam latinam fecit et notis auxit Robertus Creyghton [2]. Syropouli vestigiis inhaeret Alexander Gorskii, suo de Concilio Florentino opere [3] in linguam graecam et anglicam translato [4], necnon alii recentiores, ut Mihail Popescu inter Rumenos [5], et inter Hellenos Callistus Blachos et Archiepiscopus Atheniensis Chrysostomus Papadopoulos [6].

E contra, nostri auctores sequuntur Leonem Allatium in sua refutatione Roberti Creyghton [7]. Recentiore tempore historiam florentinam scribere coepit Eugenius Cecconi, qui tamen opus suum absolvere nequivit [8]. Magis compendiose de hoc eodem argumento egit Georgius Hofmann, quum aliis in articulis infra suo quoque loco adducendis, tum duabus lucubrationibus a. 1937, 1938 in lucem datis [9]. Novissime vero omnium, simul vero fundatissime, nobis dedit *Historiam Concilii Florentini* Iosephus Gill [10], cui tandem licuit documentis florentinis ad normas critices editis uti.

Documenta enim ipsa Concilii Florentini habere si cupias, dolendum sane est ipsum *Protocollum* Concilii hactenus frustra quaesitum esse. Collectanea autem Conciliorum nobis dant [11], quum *Practica graeca,* tum etiam notitias sub forma dialogi a consistoriali advocato Andrea a Sancta Cruce nobis

---

1 Ἱστορία τῆς ἐν Φλωρεντίᾳ Συνόδου. De hoc labore cfr. A. N. Diamantopoulos, Σίλβεστρος Συρόπουλος καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα αὐτοῦ τῆς ἐν Φλωρεντίᾳ Συνόδου; NS 18 (1923), 241-277, 337-353, 434-440, 528-546, 578-597.

2 R. Creyghton, *Vera historia unionis non verae inter Graecos et Latinos,* Haga Comitis 1660. Haec autem versio et commentatio posterioribus dissidentium lucubrationibus influit, magis quam ipsa narratio Silvestri Syropouli, qui sincere scripsit, saltem plerumque, ut contendit professor Universitatis Illinois, Geno J. Geanakoplos, *The Council of Florence (1438-1439) and the problem of union between the Greek and Latin Churches*; Church History 24 (1955), 324-346, adhibens Iosephum Gill S. I., aliosque auctores.

3 A. Gorskii, Исторія Флорентійскаго Собора. M 1847.

4 Graecam versionem dedit ephemerides Εὐαγγελικὸς Κῆρυξ, 3, 4 (1860, 1861); anglicam vero B. Popov, *The history of the Council of Florence,* Lo 1861.

5 M. Popescu, *Conciliul de la Florentia*; BOR 20 (1896-1897), 987-1003; 21 (1897-1898, 405-418, 529-542, 721-730, 979-994; 22 (1898-1899), 13-22, 153-166, 391-397, 647-662, 753-761, 902-910.

6 C. Blastos, Δοκίμιον ἱστορικὸν περὶ του σχίσματος τῆς Δυτικῆς Ἐκκλησίας ἀπὸ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς etc., A 1896; Chr. Papadopoulos, Τὸ πρωτεῖον τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης, A 1930, 244-263.

7 L. Allatius, *In Roberti Creyghtoni Apparatum, Versionem et Notas ad Historiam Concilii Florentini exercitationes,* R 1665.

8 E. Cecconi, *Studi storici sul Concilio di Firenze,* I, Firenze 1869. Brevem Concilii notitiam dare intendit V. Vanutelli O. P., *Il Concilio di Firenze,* R 1899.

9 G. Hofmann S. I., *Die Konzilarbeit in Ferrara*; OCP 3 (1937), 110-140, 403-455; Id., *Die Konzilarbeit in Florenz*; OCP 4 (1938), 157-188, 372-422.

10 J. Gill S. I., *The Council of Florence,* Cambridge 1959.

11 Adi Mansi CC, 31 A, 31 B.

mandatas et sic dicta *Acta Concilii* auctore HORATIO IUSTINIANO[12]. Haec autem[13] completa sunt opera LUDOVICI PETIT, et GEORGII HOFMANN, qui plura nova documenta florentina ab ipsis reperta typis dederunt[14]. Denique, accuratiorem Concilii Florentini *editionem* in lucem edere coepit GEORGIUS HOFMANN, una cum EMMANUELE CANDAL, IOSEPHO GILL, aliisque Professoribus Romani Pontificii Instituti Orientalium Studiorum[15].

His autem in voluminibus reperies, una cum critica documentorum editione, etiam argumenta in favorem ponderis et authenticitatis, quum *Actorum Graecorum,* THEODORO MILYTENENSI tribuendorum[16], tum etiam *Dialogi* ANDREAE A SANTACROCE, qui iure meritoque *Acta Latina* appellari possunt ac porro debent[17]. Utrumque vero documentum agit dumtaxat de *Unione Graecorum,* cui ANDREAS praemittit *tractatum de Primatu* adversus Basileenses, et ad quam adiicit notitias de *Unione Armenorum*[18].

224. CONCILII UNIONIS ADUNATIO: Primo quidem tempore Romani Pontifices Byzantinis Concilium exposcentibus morem gerere noluerunt, arbitrantes totum hoc negotium definitum iam esse in Concilio Lugdunensi II. Sed demum, Orientalium votis annuens, EUGENIUS PP. IV, Bulla *Doctoris gentium,* die 18 septembris 1437 data, Concilium Generale a Basilea Ferrariam migrare iussit et illud etiam Orientalibus separatis patere voluit, ita ut veri nominis fieret *Concilium Unionis.*

---

12 Horatius IUSTINIANUS, *Acta Sacri oecumenici concilii Florentini,* R 1638.

13 De illis A. WARSCHAUER, *Ueber die Quellen zur Geschichte der Florentiner Concile,* Breslau 1881, et pluribus A. PELLEGRINI O. S. A., *La raccolta degli atti del Concilio di Firenze di Angelo Maria Bandini*; Bess 29 (1913), 72-103.

14 L. PETIT A. A., *Documents rélatifs au Concile de Florence*; PO 15 (1927), 1-168; G. HOFMANN S. I., *Concilium Florentinum,* I-III; OC nn. 57 (1929), 59 (1930), 68 (1931). Uterque autem illustravit potissimum quaestionem de Purgatorio.

15 *Concilium Florentinum. Documenta et Scriptores,* R 1940 ss. Hucusque in lucem data sunt volumina septem, videlicet: *Epistolae Pontificiae ad Concilium Florentinum spectantes,* ed. G. HOFMANN S. I., 3 vol., R 1940, 1944, 1946; *Quae supersunt Actorum Graecorum Concilii Florentini,* ed. I. GILL S. I., R 1953; *Andreas de Sanctacroce, advocatus consistorialis. Acta Latina Concilii Florentini,* ed. G. HOFMANN S. I., R 1955; *Fragmenta protocolli, diaria privata, sermones,* ed. G. HOFMANN, R 1951; *Orientalium documenta minora,* ed. G. HOFMANN S. I., T. O'SCHAUGHNESSY S. I., J. SIMON S. I., R 1953. Praeter haec ad res gestas conciliares stricte pertinentia, alia edita sunt scripta occasione Concilii, quae opportune indicabuntur.

16 Hanc sententiam commendat J. GILL S. I., AG, lxiv-lxix, exclusa illa altera quae auctorem ducebat BESSARIONEM.

17 Cfr. AL, xiii-xiv.

18 Ibid., 1-24, 266-269.

Hac de causa EUGENIUS IV litteras multiplicavit ad Constantinopolitanum Imperatorem, ad Patriarcham, aliosque praesules et theologos, illos comiter et paterne invitans ad Concilium [19]; id quod postea praestabit quoque erga Principes et Patriarchas Monophysitas ac Nestorianorum duces [20].

Concilium autem Ferrariense, praeside Cardinali NICOLAO ALBERGATI, inauguratum fuit die 8 ianuarii a. 1438. Sed Byzantini non adventarunt Ferrariam nisi ineunte mense martio — nempe, Imperator IOANNES VIII die 4 mensis, Patriarcha IOSEPHUS die 7 — ita ut prima communis et sollemnis sessio habita sit die 9 aprilis a. 1438 [21]. Ferrariae autem Concilium adunatum perseverat usque ad diem 10 ianuarii a. 1439. Labores conciliares prosequuntur Florentiae a die 26 februarii a. 1439 ad diem 22 aprilis 1442, et Romae, ubi Concilium absolvitur die 4 augusti a. 1445, posteaquam Byzantini, Armeni, Iacobitae, Aethiopes, Syri e Mesopotamia, Bosnenses, Chaldaei et Maronitae insulae Cyprii pacem inierunt cum Ecclesia Romana [22].

235. UNIONIS FLORENTINAE INDOLES: Ex iis documentis, licet adhuc mancis, liquido patere censeo qua ratione ventum sit ad Unionem ecclesiasticam; quae sane varia pro variis christianorum orientalium coetibus fuit, constanter vero *moderationi* et *caritati* diligentissime consuluit.

Nimirum, in causa Armenorum, Coptorum, Aethiopum, Syrorum, Chaldaeorum et ceterorum minorum coetuum res *sine difficultate* processisse videtur; quare, neque opus fuit Unioni disputationes praemittere.

Longe vero secus evenit in causa Byzantinorum, ita ut diuturnae atque *negotiosae disputationes* instituerentur inter Byzantinos et Latinos. Quo vero colloquia maiore cum fructu haberentur, decretum fuit ut ex utraque parte certi quidam Patres ac theologi deputati eligerentur, generatim sex byzantini et totidem latini, qui reliquorum nomine, alternatim, loquebantur etiam in sessionibus plenariis, ubi ex adverso ad invicem sedebant, dum inter illos medii aderant secretarii quattuor — duo byzantini et duo latini — et interpres NICOLAUS SAGUNDINUS [23].

Sed magis quam prudens haec aptissimaque disputandi ratio, ad Unionem contulit *ratio prorsus irenica,* quae sese prodit tam ipsis colloquiis, quam definitionibus doctrinalibus, procla-

---

19 *Epistulae Pontificiae*; CF, I, nn. 65, 82, 113; pp. 81-82.
20 *Epistulae Pontificiae*; CF, II, nn. 144, 191, 208, 209; pp. 38, 40, 85, 100-101.
21 J. GILL S. I., *The Council of Florence,* 99-109.
22 Quid sibi velint hae Uniones dicetur infra, Articulo III huius Capitis.
23 G. HOFMANN S. I., *Documenta de theologis Concilii Florentini,* II; AAV 15 (1939), 181; J. GILL S. I., o. c., 114-115.

mantibus doctrinam uniformiter ab omnibus tenendam, quin ulla damnationis verba in alterutram partem proferantur [24]. Hanc Concilii Unionis indolem prae aliis propugnavit Camaldulensium Generalis Magister Beatus AMBROSIUS TRAVERSARI [25].

TRAVERSARI, omnium latinorum eruditissimus graecis litteris, multum valuit suis consiliis penes EUGENIUM IV, cuius conscientiam moderatus fuerat, ut hanc pacificam prorsus rationem iniret. Quippe secum ipse reputabat, suam faciens sententiam Constantinopolitani Patriarchae IOSEPHI, negotium Unionis magis pendere a caritate quam a controversiis [26]; quamobrem, moerore afficiebatur audiens verba minoris saltem erga Byzantinos existimationis [27]. Porro, huic *irenismo* Concilii debetur si illi qui ab hac mitiore ratione alieni erant, a publicis discussionibus arcebantur, quemadmodum expertus est Metropolita Ephesi MARCUS EUGENICUS, qui partes habuit in primis deputationibus Byzantinorum, sed postea ab eis fuit exclusus [28].

256. LATINI THEOLOGI FLORENTINI IN CAUSA UNIONIS CUM BYZANTINIS: Concilio autem interfuere plures latini theologi, etiamsi de facto pauci publice disseruerunt, iique maxima ex parte *Sancti Thomae doctrinae* addictissimi.

EUGENIUS IV magna cum sollicitudine litteras dedit ad Superiores Generales religiosorum Ordinum; videlicet, die 23 septembris

---

24 Lege, sis, *Il contributo dommatico del Concilio Fiorentino;* L'Oriente Cristiano e l'Unità della Chiesa 3 (1938), 164-168.

25 De illius sententia circa Unionem cfr. *Il programma di Unione del Concilio di Ferrara;* L'Oriente Cristiano e l'Unità della Chiesa 3 (1938), 38-45. De Traversari lege A. DINI-TRAVERSARI, *Ambrogio Traversari e i suoi tempi,* Firenze 1912. Eius litterae luci datae sunt a L. MEHUS, *Ambrosii Traversari ... latinae epistolae,* 2 vol., Firenze 1759.

26 « Collegi ex sermonibus illius cautis valde atque prudentibus, iudicio suo rem totam dilectione potius ac pace quam disputatione terminandam ». Epistula Traversari ad Cerviae episcopum data Venetiis 21 februarii 1438; apud E. CECCONI, *Studi storici sul Concilio di Firenze,* I, Firenze 1869, DLX. Experienta priorum colloquiorum edoctus, TRAVERSARI scribit ad florentinum Abbatem S. Salvatoris « confidimus illos ratione et lenitate superandos »; Ibid., DLXXXII. Vel ut suadet EUGENIO IV, paucis post diebus (13 aprilis); « Lenitate et mansuetudine agendum cum illis, iudicio meo est ... ut qui nos veluti superbos et immites et intractabiles exhorruere praeventi opinione fallacissima, sentiant tandem se ... diligi atque observari a nobis »; ibid., DCIII.

27 Amicum episcopum Cerviae certiorem facit: « Multa saepe in corona dicta sunt quae animum meum valde cruciarent, quia non aestimari hunc eorum [Byzantinorum] adventum aperte a plerisque deprehendi »; ibid., DLIX.

28 Videlicet, nomine Graecorum locutus est tantum in controversia de Purgatorio, de additione Filioque et initio controversiae de Processione Spiritus Sancti, ut sequenti dicemus articulo. Pari de causa fortasse aliqui Latinorum, licet valde parati, silere debent, ut ANDREAS ESCOBAR, qui suo libello *de Graecis errantibus* non sine acredine Byzantinos refutare intendit.

a. 1437 scripsit Ministris Generalibus Ordinis Praedicatorum et Ordinis Minorum ut unusquisque quantocius ad Concilium se conferret, una cum 12 magistris proprii Ordinis. Idem petit a Moderatoribus Generalibus Heremitarum, Carmelitarum, Humiliatorum, Servorum Mariae et Camaldulensium, ut secum ducant « aliquos insignes viros » [29]. Hisce minime contentus Romanus Pontifex quosdam magis eximios directe accersivit, ex. gr. IOANNEM a MONTENIGRO O. P., Provincialem Lombardiae, cui EUGENIUS die 18 octobris a. 1437 iniungit et mandat in virtute sanctae obedientiae ut iter ad Concilium arripiat [30].

Hoc pacto, ex *Fratribus Minoribus* praesentes aderant 3 episcopi, nempe Fr. LUDOVICUS A PIRANO Foroliviensis, Fr. GUNDISALVUS DE BALBOA Grantensis, Fr. ELIAS A VISCONTI Perighensis, 3 Sancti, nempe, S. BERNARDINUS SENENSIS, S. IOANNES A CAPISTRANO, S. IACOBUS A MARCHIS, quibus accedunt Fratres ANGELUS A PERUGIA, IACOBUS A TOLENTINO, IACOBUS TESTORI, AUGUSTINUS A FERRARIA, PETRUS PERQUERII, LUCAS SENENSIS, FRANCISCUS A RIMINI et Beatus ALBERTUS A SARTEANO [31].

E *Dominicanis* Acta Concilii Florentini saepius nominant Archiepiscopum Rhodensem ANDREAM CHRYSOBERGES, IOANNEM A MONTENIGRO Provincialem Lombardiae, et IOANNEM DE TORQUEMADA, etsi plures alii praesentes fuerint.

Adde alios doctos viros e Religiosis Ordinibus, ex Episcopis, ex Cardinalibus, ut sunt IOANNES DE S. THOMA O.E.S.A., archiepiscopus Cretensis FANTINUS VALLARESSO, qui, absoluto Concilio, opus redegit de eius deliberationibus [32], ac praesertim AMBROSIUS TRAVERSARI et Cardinalis IULIANUS CESARINI, qui, post suam cum EUGENIO IV reconciliationem, conciliares disputationes moderatus est [33].

Sed licet hi omnes in laboribus Concilii partes sumpserint, Acta nobis demonstrant publicis in sessionibus causam Latinorum egisse Cardinalem CESARINI, episcopum FORLIVIENSEM et imprimis tres illos Fratres Praedicatores ANDREAM CHRYSOBERGES et utrumque IOANNEM, PROVINCIALEM, inquam, ac DE TORQUEMADA.

---

29 *Epistulae Pontificiae*; CF, I, fasc. 1, 104-105.

30 Ibid., 106. Episcopus autem Coronensis CHRISTOPHORUS GARATONI, Pontificis Legatus in Graecia, iubetur praecipere, etiam virtute sanctae obedientiae, quoscumque viros doctos, « cuiuscumque status, ordinis, conditionis, dignitatis et praeeminentiae » Concilium adire; E. CECCONI, o. c., ccclxxix-ccclxxx.

31 B. BUGHETTI, O. F. M., *I Francescani al Concilio di Firenze*, Firenze 1938, 4.

32 A. PALMIERI, *Un'opera inedita di Fantino Vallaresso, Arcivescovo di Creta sul Concilio di Firenze*; Bess 29 (1913), 1-26, 285-295; FANTINUS VALLARESSO, *Libellus de ordine generalium conciliorum et de unione Florentina*, ed. B. SCHULTZE S. I., R 1944 (CF, t. II).

33 VESPASIANO DA BISTICCI, *Vite di uomini illustri. Giuliano Cesarini*, Bologna 1892.

His omnibus communis est *cultus thomisticae doctrinae*, quam vindicat suis scriptis antipalamiticis ANDREAS CHRYSOBERGES [34]. IOANNES autem A MONTENIGRO, qui in Basileensi Concilio Mendicantium iura tuitus est [35], in Concilio Florentino adlavoravit in favorem Unionis [36], simul vero ostendens eximiam suam doctrinam [37], quam iam antea Beatus AMBROSIUS TRAVERSARI EUGENIO IV commendaverat [38]. Denique, IOANNES A TURRECREMATA, inter theologos latinos florentinos facile princeps fuit [39], et *Decretum Unionis Graecorum* « Laetentur caeli » commentatus est [40].

257. THEOLOGI BYZANTINI: Cum primum Byzantinos Venetiis salutavit, AMBROSIUS TRAVERSARI iure animadvertit illos valde esse faciendos, sive propter ingenium quo pollebant, sive etiam propter eruditionem; secum enim Constantinopoli Ferrariam attulerant magnam librorum ecclesiasticorum copiam [41]. Id autem de tribus illis Metropolitis MARCO EPHESINO, BESSARIONE NICAENO et ISIDORO KIOVIENSI, necnon de theologo laico GEORGIO SCHOLARIO, e comitatu Imperatoris [42], praesertim valet.

MARCUS EPHESIUS, dictus quoque EUGENICUS, a Byzantinis inter sanctos relatus, habendus est ut antesignanus adversantium Unioni [43]; magnum siquidem nomen sibi iam conciliaverat multis editis operibus polemicis, liturgicis, exegeticis et philosophicis [44].

---

34 Emm. CANDAL S. I., *Andreae Rhodensis O. P. inedita ad Bessarionem epistula (de divina essentia et operatione)*; OCP 4 (1938), 329-371.

35 G. MEERSSEMAN O. P., *Giovanni di Montenero, O. P., difensore dei Mendicanti*, R 1938.

36 G. HOFMANN S. I., *Documenta de theologis Concilii Florentini*, I; AAV 15 (1939), 65-73.

37 M. MINCUZZI, *La dottrina teologica di Giovanni di Montenero O. P.*, Bari 1941.

38 Cfr. E. CECCONI, o. c., ccccIV.

39 S. LEDERER, *Der spanische Cardinal Johann von Torquemada, sein Leben und seine Schriften*, Freiburg i. Br. 1879; H. JEDIN, *Juan de Torquemada und das Imperium Romanum;* AFP 12 (1942), 247-278; I. F. STOCKMANN, *Ioannis de Turrecremata vita eiusque doctrina de Corpore Christi Mystico;* Bononiae 1952.

40 IOANNES DE TORQUEMADA Cardinalis S. Sixti, *Apparatus super decretum Florentinum Unionis Graecorum*; CF, II, fasc. 1, R 1942.

41 Cfr. apud E. CECCONI, o. c. dlxxxii.

42 Imperatorem IOANNEM VIII comitabantur tres archontes, omnes GEORGIUS nomine, videlicet, SCHOLARIOS, MEGISTOS PLETHO et AMIRUTZES.

43 Hac de causa extollitur a K. ZOGRAPHOS, Βιογραφία καὶ τὰ ἐν τῇ Φλορεντίνῃ ψευδοσυνόδῳ κατὰ τῶν λατίνων ὑπερφυὴ κατορθώματα τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Μάρκου Ἀρχιεπισκόπου Ἐφέσου τοῦ Εὐγενικοῦ. A 1887; N. KALOGERAS, Μάρκος ὁ Εὐγενικὸς καὶ Βησσαρίων ὁ Καρδιναλις, A 1893; A. PAPADOPOULOS-KERAMEUS, Μάρκος ὁ Εὐγενικὸς ὡς Πατὴρ ἅγιος τῆς Ὀρθοδόξου καθολικῆς Ἐκκλησίας; BZ 11 (1902), 50-69; K. G. MAMONIS, Μάρκος ὁ Εὐγενικός; Th 25 (1954), 377-404, 521-575.

44 Elenchum eius operum tibi dabunt L. PETIT A. A., *Marc Eugénicos;* DTC, IX, 1968-1986; V. GRUMEL, A. A., *Marc d'Éphèse, Vie, écrits, doctrine*; Estu-

In his vero, ut reliqui Palamitae, alienus est a S. Thoma, quem tamen et novit et intelligit, quemadmodum ostendunt suae disputationes florentinae de rationibus theologicis ad Processionem Spiritus Sancti declarandam.

Bessarion Nicaenus Metropolita, eloquentia, ingenio et in rebus agendis dexteritate clarissimus iure habetur [45]. Platonismum quidem ante et post Concilium impense fovit, ut ostendit eius opus *Contra calumniatores Platonis* [46]; sed haec non obstant quominus Aristotelismum, ad normam scholae thomisticae, debita semper veneratione prosecutus sit. In Concilio autem Bessarion utriusque Ecclesiae conciliationis studiosissimus exstitit [47].

Isidorus Kioviensis Metropolita, de cuius litteris dimisse admodum plures senserant [48], et ipse commendatur multis laude dignissimis lucubrationibus, ut ostendit Mercati [49].

Denique, attentione est dignissimus Georgius Scholarios, qui, etsi publicis in colloquiis non dixerit, multum penes Imperatorem et Byzantinos Metropolitas valuit, sive mira sua eruditione [50], sive etiam de Latinorum theologia accuratissima scientia, praesertim secundum S. Thomam, cuius opera denuo in graecum convertit, et cui fidelis semper fuit, etiam cum, relicta Unione, Photianorum placita propugnare coepit, volens probare *concordiam quandam* inter Thomam et Photianos vel in ipsa doctrina de Processione Spiritus Sancti [51].

---

dis Franciscans 36 (1925), 433-438; A. Schmemann, *Une oeuvre inédite de St. Marc d'Éphèse* Περὶ ἀναστάσεως; Th 22 (1951), 51-64.

45 H. Vast, *Le Cardinal Bessarion* (1403-1472), Pa 1878; A. I. Sadov, Виссаріонъ Никейскій. Его дѣятельность на Ферраро-Флоренстійнскомъ Соборѣ, P 1883; V. Banu, *Visarion al Niceii, Viața și activitatea sa la Sinodul Ferraro-Florentin*, B 1902; L. Mohler, *Kardinal Bessarion, als Theologe, Humanist und Staatsmann*, 2 vol., Paderborn 1923, 1927; U. Lamprides, *Zu Bessarions Lobrede auf Trapezunt;* BZ 35 (1935), 15-17; Arch. Parthenius, Βησσαρίων ὁ Καρδινάλιος, Alexandriae 1957; Emm. Candal S. I., *Bessarion Nicaenus, Oratio dogmatica de Unione;* CF, VII, 1, Cfr. Introductionem.

46 Hoc opus editum est V 1503.

47 Praeter opera supra relata vide Emm. Candal S. I., *Bessarion Nicaenus in Concilio Florentino;* OCP 6 (1940), 417-466.

48 Lege ex. gr. P. Pierling S. I., *La Russie et le Saint Siège*, I, Pa 1896, 36; Quin, et P. Martinus Jugie A. A. magno suo opere de *Theologia Orientalium* nostrum Isidorum semel tantum et quasi per transennam citatum voluit; cfr. TDCO, I, 459.

49 G. Mercati, *Scritti d'Isidoro il Cardinale Ruteno e codici a lui appartenenti che si conservano nella Biblioteca Apostolica Vaticana*; StT 46 (R 1926). Mercati autem studiosos invitat ad scribendum de Isidoro ut scriptore, ut erudito et humanista, ut theologo ac Patre Concilii, ut strenuo Unionis patrono, ac denique ut patriae suae et gentis slavicae defensore; o. c., 105.

50 Eius opera edita sunt octo voluminibus a L. Petit - L. Sideridès - M. Jugie, *Oeuvres complètes de Gennade Scholarios*, Pa 1928-1936.

51 J. Dräseke, *Zu Georgios Scholarios;* BZ 4 (1895), 561-580; G. Mercati, *Appunti Scolariani;* Bess 36 (1920), 109-143; S. Salaville A. A., *Un thomiste à Byzance au XVe siècle;* EO 23 (1924), 135-146; M. Jugie A. A., *Géorges Scholarios et Saint Thomas d'Aquin;* Mélanges Mandonet, Pa 1930, t. I, 423-440.

258. FLORENTINI THEOLOGI IN CAUSA ARMENORUM ALIORUMQUE ORIENTALIUM: Praeter Byzantinos, reliqui Orientales, pacem cum Ecclesia Romana ut inirent, venerunt Florentiam et Romam opera et studio Fratrum Minorum, quibus id muneris EUGENIUS IV commendatum voluit.

Iam a. 1437, iubente Pontifice, ad Armenos se contulit IACOBUS A PRIMADIZI, una cum Fratribus FRANCISCO et LUDOVICO. Mensibus autem julio et augusto a. 1439, EUGENIUS IV mittit ALBERTUM DE SARTEANO [52] ad Coptos et Aethiopes, quos ALBERTUS ad Concilium duxit, non sine omnis generis laboribus; ei vero aderant socii Fr. BARTHOLOMAEUS PELACANE et Beatus THOMAS BELLACCI [53], qui cum aliis tribus Fratribus Aethiopiam petivit et in dirissimam servitutem abreptus est. Denique, Fratres ANTONIUS TROIANUS et PETRUS FERRARI, Summi Pontificis Legati ad Syros et Chaldaeos, Orientem profecti sunt [54].

Ii vero Fratres Minores Florentiam et Romam reversi sunt cum delegationibus Orientalium, qui tamen non disputare sed doceri parati sunt. Quare, disputationes proprie dictae habitae sunt nullae ante illorum Unionem; nihilo tamen minus Concilium eorum causam suis theologis examinandam commisit.

Videlicet, *ad componendas res cum Armenis* Cardinalibus ANTONIO CORRER, NICOLAO ALBERGATI et IULIANO CESARINI adsistebant THOMAS PARENTUCCELLI DI SARZANA et IOANNES A MONTENIGRO, una cum IACOBO A PRIMADIZI et Fratre BASILIO O. F. M., interprete. Ad *Unionem Coptorum et Aethiopum* adlaborarunt Cardinalis IULIANUS CESARINI, IOANNES MORICENSIS et IOANNES DE TORQUEMADA. De aliis res incerta manet [55].

Verumtamen, non agebatur de quaestionibus discutiendis; neque enim pauci illi Armeni, neque Abbates ANDREAS et NICODEMUS, neque ABDALLAH archiepiscopus Edessae pares erant hisce theologicis disceptationibus. Potius dices Fratres Minores iam omnia praestitisse ad concordiam; Patres vero Concilii ultimam apposuisse manum decretis, quibus varii Orientalium religiosi coetus rectam docebantur fidem.

---

52 F. HAROLDO O. F. M., *B. Alberti a Sarthiano ... vita et opera*, R 1687.

53 S. MENCHERINI O. F. M., *Vita e Leggenda del B. Tommaso Bellacci da Firenze*, Arezzo 1916.

54 B. BUGHETTI O. F. M., *I Francescani al Concilio di Firenze,* Firenze 1939, 4-5.

55 G. HOFMANN S. I., *Documenta de theologis Concilii Florentini;* AAV 15 (1939), 189-192.

ART. II

Latinorum et Byzantinorum disceptationes [1]

256. NOSTRA PROCEDENDI RATIO: Concilium Florentinum, ad discrimina omnia Orientales inter et Catholicam Ecclesiam penitus tollenda [2], singulorum coetuum unionem sollemni Bulla sancivit. Ad *Unionem* autem *Byzantinorum* die 6 iulii 1439 Florentiae lata est Bulla *Laetentur caeli* ab EUGENIO IV, ab Imperatore IOANNE VIII et a Patribus Concilii obsignata [3]. Haec Unionis Bulla viam nobis demonstrabit ad quaestiones theologicas in Synodo discussas brevi illustrandas commentario.

Ad *Bullae redactionem* deputati sunt 12 latini et 12 byzantini, qui a die 28 iunii ad diem 4 iulii quotidie, mane et vespere, ad S. Francisci conveniebant. Praecipuas vero partes in hoc labore habuere AMBROSIUS TRAVERSARI et Metropolita BESSARION, uterque pacis sectator eximius [4].

Bulla vero *Laetentur caeli* primum agit de Processione Spiritus Sancti, secundo de Filioque Symbolo addito, tertio de Azymo et Fermentato, quarto de Purgatorio et de Novissimis, et tandem ultimo loco de Primatu Romani Pontificis. Ab hoc autem rerum ordine nos recedemus, ut sequamur disputationum chronologicum gressum [5].

Ad rerum agendarum ordinem statuendum, auctore EUGENIO IV, deputatorum conventus fieri incipiunt die 13 aprilis 1438 in sacrario S. Francisci. Et quidem Latinorum praesul Cardinalis CESARINI maluit exordiri a Processione Spiritus Sancti. Sed tandem ini-

---

1 In hoc articulo siglis utor: AG - *Quae supersunt Actorum Graecorum Concilii Florentini,* ed. I. GILL S. I., R 1953 (CF, V); AL - ANDREAS DE SANTACROCE, *Acta Latina Concilii Florentini,* ed. G. HOFMANN S. I., R 1955 (CF, VI); App. - IOANNES DE TURRECREMATA, *Apparatus super Decretum Florentinum Unionis Graecorum,* ed. Emm. CANDAL S. I., R 1942 (CF, II, fasc. 1).

2 A. PALMIERI, *Le divergenze dommatiche, disciplinari e liturgiche tra le due Chiese al Concilio ecumenico di Firenze;* Bess 29 (1913), 145-153.

3 Bullam recole in CC 31-A, 1035-1040; *Epistulae Pontificiae,* CF. I fasc. 2 (R 1944), 68-79 (hic datur etiam subscriptio slavica ABRAHAMI episcopi Suzdalensis); AG, 459-467; AL, 260-266.

4 G. HOFMANN S. I., *Documenta de theologis Concilii Florentini;* AAV 15 (1939), 187-189.

5 Chr. PAPADOPOULOS, Χρονολογικὸν σημείωμα περὶ τῆς ἐν Φλωρεντίᾳ ληστρικῆς συνόδου; NS 2 (1905), 414-419, in pluribus corrigendus est iuxta novam *Actorum* editionem, quam sequor, et iuxta articulos G. HOFMANN S. I. et Emm. CANDAL S. I., mox citandos.

tium fit a Purgatorio, rogantibus Byzantinis [6], et sane non sine commodo; hoc enim pacto valuerunt sese mutuo cognoscere in quaestione de qua facilis apparebat opinionum collatio et compositio.

§ 1. *De Purgatorio et de Novissimis*

26. Decretum Florentinum: Bulla *Laetentur caeli* circa *Purgatorium et immediatam retributionem*, paucissimis exceptis, iterat ea omnia quae habentur in Professione fidei Michaelis Palaeologi, oblata Concilio Lugdunensi II [7]. Ait enim:

« Item, si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari (Καθαρτικαῖς τιμωρίαις καθαίρεσθαι): et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta.

Illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eiusdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in caelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas » [8].

Ut rite animadvertit Ioannes de Torquemada [9], plures hisce de Novissimis verbis quaestiones declarantur respicientes animas separatas, quarum prima est *de Purgatorio*. Cum autem Byzantini nullum post hanc vitam Purgatorium « veraciter ponerent », non sine diligenti discussione ad definitionem ventum est, ait Ioannes; id quod apprime respondet documentis ad nos transmissis de hac prima controversia ferrariensi.

---

[6] Cfr. de hoc argumento G. Hofmann S. I., *Concilium Florentinum*, I: OC n. 57 (1929), 285.

[7] ES, n. 464.

[8] AG, 463; AL, 261; ES, n. 693.

[9] App. 71; cfr. 72-96.

Acta Concilii pauca nobis dant [10]. Illa vero complere possumus documentis editis a PETIT, qui tres orationes MARCI EPHESII et alteram BESSARIONIS de hoc argumento, necnon primam *cedulam* a Latinis oblatam et Latinorum *responsionem* ad Marcum et Bessarionem nobis praebuit [11]. Haec autem Latinorum documenta denuo maiore adhuc cura edita sunt a HOFMANN [12], qui omnia postea collegit et aptissime disposuit [13] illustrans cunctae tractationis ordinem.

261. PRIMA DE PURGATORIO COLLOQUIA: Primus omnium dixit Cardinalis IULIANUS CESARINI die 4 iunii 1438, exponens doctrinam catholicam de Purgatorio [14]. Decem elapsis diebus, Byzantinorum nomine respondit Metropolita BESSARION [15], corrigere intendens Latinorum interpretationem *de purgatorio igne*; ignis enim accipi debet aeternus, non temporarius, etiam locis a Latinis allatis. BESSARIONI autem Latini opponunt scriptum illud: *Replicationes Latinorum ad responsa Graecorum* [16], a IOANNE DE TORQUEMADA lucubratas, si fidem geras SILVESTRO SYROPOULO [17].

CESARINI autem exhibuit summam doctrinae catholicae de Purgatorio, utens professione fidei MICHAELIS PALAEOLOGI, eandemque

---

[10] AG, 19-26; AL, 32 allusio tantum fit ad hanc quaestionem: « disputationes plurimae factae sunt, an purgatorium sit, quove loco animae resideant usque ad diem quo ' iudicaturus vivos et mortuos ' Deus noster Redemptor advenerit; et, posito quod purgatorium foret, an poena ignis ibidem sit, anne igne materiali animae ibidem puniantur, plurimaque alia, quae, quia locis privatis discussa sunt et suis loco et tempore in publicum deducentur, omittam ». Ad finem vero, inter alia documenta, AL dant cedulam Cardinalis CESARINI de Purgatorio; l. c., 225-230.

[11] PO 15, 39-60, 108-168 habentur tres lucubrationes MARCI EUGENICI; 61-79 Oratio BESSARIONIS; 25-38, 80-107 documenta *Latinorum*. His freti articulos scripsere M. JUGIE A. A., *La Question du Purgatoire au Concile de Ferrare-Florence;* EO 20 (1921), 269-282; A. D'ALÈS S. I., *La Question du Purgatoire au Concile de Florence en 1438;* Gr 3 (1922), 9-50.

[12] G. HOFMANN S. I., *Concilium Florentinum, I: Erstes Gutachten der Lateiner über das Fegfeuer*; OC n. 57 (1929); Id., *Concilium Florentinum, II: Zweites Gutachten der Lateiner über das Fegfeuer*; OC n. 59 (1930).

[13] G. HOFMANN S. I., *Formulae praeviae ad definitionem Concilii Florentini de Novissimis*; Gr 18 (1937), 337-360. Adi quoque E. CANDAL S. I., *Processus discussionis de Novissimis in Concilio Florentino;* OCP 19 (1953), 303-349.

[14] PO 15, 25-38; OC n. 57, 285-298; AL, 225-230.

[15] Sic notant AG, 21. Novimus etiam dissertationem MARCI EPHESII, quam tamen ignorasse videntur Latini, qui BESSARIONIS argumentis postea satis facere satagunt. Ceterum, scriptum BESSARIONIS notum iam erat, sed tribuebatur NILO CABASILAE, NICOLAO CABASILAE, BARLAAMO CALABRO — ut fert titulus operis P. ARCUDII, *De Purgatorio Igne adversus Barlaam* — vel cuidam protestantico, quae fuit sententia LEONIS ALLATII. Cfr. L. PETIT, PO 15, 8-11.

[16] PO 15, 80-107; OC n. 59, 217-243.

[17] Huius vero suspicionem in certitudinem convertit Emm. CANDAL S. I., App, xviii-xix.

argumentis roborat mutuatis a S. THOMA in *IV Sententiarum* et in Opusculo *contra errores Graecorum,* quibus adhibuit *tractatum Patrum Praedicatorum Constantinopolitanorum* a. 1252. Ab his fontibus proveniunt quaedam testimonia, ut illa THEODORETI et S. AUGUSTINI, quae authentica minime sunt. Praeterea, etiamsi in propositione doctrinae sermo fiat *de poenis purgatoriis* in genere, in argumentis, tam Sacrae Scripturae quam Sanctorum Patrum et rationis theologicae, agitur magis concrete *de igne purgatorio;* id quod difficultatibus ansam praebuit.

BESSARION hisce conclusam voluit suam responsionem: « Primum quidem quaerendum venit an quorundam peccatorum remissionem post obitum hominibus Creator largiatur. Secundo, utrum punitione adhibita, an simpliciter pro divina sua benignitate Ecclesiaeque precibus placatus. Si autem per punitionem, utrum alia quapiam expiatione, an etiam necessario per ignem, atque eum quidem corporeum, qualem vos affirmatis » [18]. Hoc ultimum tantum directe excludit, solvens Latinorum argumenta. Nam, reiecto, uti spureo, loco THEODORETI, reliqui loquuntur de efficacia precum pro defunctis, praeter unum GREGORIUM NYSSENUM, qui fortasse cessit hac in re magistro suo ORIGENI, apokatastasin propugnanti. Scriptura autem ignem veri nominis nonnisi aeternum novit. Denique, contra argumenta dialectica proponit syllogismos decem contra *ignem Purgatorii.*

His vero acceptis, Latini, auctore IOANNE DE TORQUEMADA, in conventu diei 27 iunii, sententiam iterum vindicant suam [19], licet maiore moderatione, ad ignem quod attinet. Distinguunt vero inter Purgatorium et falsam Origenis opinionem de apokatastasi; neque enim de inferno igne agitur, quando sermo est de *igne purgatorio.* Graecorum et Latinorum Patrum testimonia denuo urgent; illa applicans poenis in genere, etiamsi retineant convenientiam — non necessitatem — ut poena luatur per ignem [20]. Tandem ad decem Byzantinorum argumenta rationis solutionem adhibent.

262. DISPUTATIONES DE BEATITUDINE ET DE IMMEDIATA RETRIBUTIONE: Verum age; tam ex silentio quod Byzantini servant de conditione animarum separatarum, quam ex indole quorundam argumentorum [21], Latini suspicati sunt discrimen adesse quoque in aliis de Novissimis quaestionibus. De his igitur Byzantinos sententiam rogant, pluribus oblatis interrogationibus.

---

[19] PO 15, 80-107; OC n. 59 (1930), 217-243, quam sequor edtionem.
[20] OC n. 59 (1930), 223-233.
[21] Recole, ex. gr., argumentum octavum; PO 15, 78; OC n. 59 (1930), 241.

Quaenam illae fuerint scimus e responso MARCI EPHESII [22]. Porro, quaestiones numerantur ad 14; versantur autem in explicanda sorte Sanctorum ante commune iudicium, et in immediata post mortem damnatione reproborum; necnon in natura poenarum, quas Byzantini in medio statu admittebant.

Videlicet, si stemus MARCO, Byzantini putabant *Beatitudinem differri* ad diem generalis Iudicii; eandemque reponebant in *fruitione luminis Thaborici*, non in visione Dei intuitiva; *damnati* vero ante resurrectionem Inferni poenis non sunt adscripti. Denique, licet animae *in medio illo statu* laborent incertitudine temporis liberationis, pudore, tristitia etc., hae poenae non induunt speciem « satispassionis » [23].

Haec autem accipe tamquam privatam MARCI EUGENICI sententiam. Nam, ut *Acta Graeca* conceptis verbis dicunt, his de quaestionibus Byzantini privatim egerunt coram Imperatore die 16 iulii, et iterum die 17 eiusdem mensis, *varia proferentes*: alii enim maluerunt dicere Beatitudinem statim post mortem Sanctis concedi, et quidem illam esse ducendam *visionem intuitivam Dei;* alii e contra plenitudinem gaudii Sanctorum post resurrectionem tantum admittebant, etiam quoad animam, et non Dei essentia, sed solummodo eius *lumine Thaborico* Sanctos beari dicebant. De hac Byzantinorum discordia *Acta* nos certiores reddunt [24]; silent vero novum, Latinis praesentibus, consessum. Quapropter, hanc dissertationem MARCI sume ut suo proprio marte lucubratam, non byzantinorum theologorum nomine Concilio propositam.

263. BYZANTINORUM ET LATINORUM CONCORDIA: Cum vero EPHESIUS, qui hanc deviam opinionem propugnabat, ad finem Concilii, non amplius suis consiliis valeret [25], Latini vero ab igne Purgatorii — de quo definitio silet — praescinderent, nihil mirum si, exclusa sententia palamitica, veri nominis concordia facile obtenta fuit circa immediatam post mortem retributio-

---

[22] PO 15, 152-168.

[23] De hoc argumento in genere cfr. A. BUKOWSKI S. I., *Die Genugtuung für die Sünde nach der Auffassung der russischen Orthodoxie,* Paderborn 1911; M. NIECHAJ, *Oratio liturgica pro defunctis in Ecclesia Russa Orthodoxa,* Lublin 1933.

[24] AG, 25-26.

[25] Ceterum, MARCUM EUGENICUM rigdiore sententia contra Purgatorium, retributionem immediatam et visionem beatificam divinae essentiae abundare satis superque ostendunt eius orationes. Primam enim hisce absolvit: « Iisdem igitur de causis propositum quoque dogma de igne purgatorio exterminandum videtur ab Ecclesia »; PO 15, 60. Alteram vero incipit indicans dilationem retributionis; ibid., 109-117, quae ultima ratio est cur nullum amplius locum detur Purgatorio; ibid., 117. Denique, in tertia, visionem intuitivam Dei positive excludit; ibid., 157-161.

nem, visionem beatificam et poenas temporales Purgatorii, seu medii status.

Verba definitionis florentinae de his tribus argumentis commentati sunt IOANNES DE TORQUEMADA [26] et FANTINUS VALLARESSO [27], qui praesentes aderant Ferrariae; etsi hic ultimus et quaedam omittat, et a moderatione, uti solet, aliquantulum discedat [28].

§ 2. *De additione « Filioque » ad Symbolum Fidei*

264. DEFINITIO FLORENTINA: Oportunitatem additionis vocis « Filioque » Concilium non solum argumentis vindicat, verum etiam stricte definit, aiens: « Diffinimus insuper explicationem verborum illorum 'Filioque', veritatis declarandae gratia et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam » [29].

Quaenam huic definitioni disputationes viam pararent multis nos docent *Acta Concilii.* Dum enim de Purgatorio actum est congressibus privatis delegatorum; de *additione « Filioque »* sermo est sessionibus plenariis quindecim Ferrariae habitis, a die 8 octobris ad diem 8 decembris [30].

Et quidem, tum Latini, tum Byzantini deputati aderant 6, nempe; e Latinis: Cardinalis S. Sabinae IULIANUS CESARINI, Archiepiscopus Rhodensis ANDREAS CHRYSOBERGES, Episcopus Forliviensis LUDOVICUS DE PIRANO, Provincialis Lombardiae IOANNES DE MONTENIGRO, PETRUS PERQUERII O. F. M. et IOANNES DE S. THOMA O.E.S.A.; e Byzantinis autem: Metropolita Ephesi MARCUS, ISIDORUS Metropolita Russiae, Metropolita Nicaenus BESSARION, quidam saecularis et duo clerici S. Sophiae, scilicet GEORGIUS GEMISTOS PLETHO, THEODORUS XANTHOPOULOS et MICHAEL BALSAMON. Porro, sermo copiosus fuit ex utraque parte, agentibus praesertim MARCO, BESSARIONE, RODHENSI et Cardinali CESARINI.

---

26 App, 71-96.

27 FANTINUS VALLARESSO, *Libellus,* ed. B. SCHULTZE S.I.; CF, II, fasc. 2, R 1944, 69-76.

28 Nihil dicit FANTINUS de quaestione *palamitica,* quam e contra TORQUEMADA discutit; l. c., 86-89; praeterea, verba adhibet minus temperata: « stulta ergo et erronea fuerat illa barbarica eorum opinio »; « ea omnia falsa, erronea et penitus reprobanda »; l. c., 73, 76. Reliquum, de *theoria ipsa Palamismi* tandem aliquando Concilium silere maluit, non sine gaudio Byzantinorum, ut advertunt *Acta Graeca.* Cum enim, soluta iam quaestione de Epiclesi, Latini quaesivissent *de divina essentia et operatione,* delegati byzantini respondent: « Hoc nostrum non est, sed totius Synodi Orientalis ». Synodus vero, posteaquam reliqua admisit, ait: « ad illud de divina essentia et operatione nihil plane respondemus »; AG, 442, 443. Sicque res tandem infecta mansit.

29 CC 31-A, 1039; AG, 462; AL, 261; ES, n. 691.

30 AG, 49-218; AL, 40-132.

265. CONCERTATIONES FERRARIENSES DE ADDITIONE « FILIOQUE »: Disputationum autem obiectum praecipuum fuit *Decretum Concilii Ephesini* de Symbolo absque additione vel substractione ulla retinendo [31]; quod ut est planum, Byzantini urgent.

Ad illud provocat MARCUS EPHESIUS, qui huic controversiae initium fecit [32]. Posteaquam duabus sessionibus plura ad modum exordii protulisset, tertia sessione, die 16 octobris habita, legi iussit decreta Conciliorum Ephesini et Chalcedonensis de integritate Symboli; quibus accedunt testimonia S. CYRILLI ALEXANDRINI, IOANNIS PATRIARCHAE Constantinopolitani, VIGILII Papae et S. AGATHONIS; ut tandem concludat: « Nos ergo patres nostros venerantes ... quod est in symbolo additamentum admittere non possumus » [33].

Videlicet, Synodorum Generalium decreta de Symboli integritate accipienda sunt — iuxta Byzantinos — etiam *de verbis* et de syllabis ipsis, quemadmodum BESSARION explanavit sessionibus VI et VII (diebus 1 et 4 novembris) maiore sane usus moderatione, sed simul retinens interpretationem de verbis et syllabis et molestas Latinis movens quaestiones: « Dicimus enim sanctorum patrum decreta prohibere in universum, et illos, quando nec addendum aut detrahendum nec quidquam aliud agendum docent, de syllaba et verbo loqui ... Quaerimus ergo ex vobis: statuta haec et interdicta spectant ad fidei symbolum, an ad aliud quidpiam externum? Interrogamus; respondete nobis ad hoc » [34].

Si fidem geras *Actis Graecis,* Latinorum deputati collocuti sunt cum Pontifice, et satis visum est nihil habere quod responderent. RHODENSIS enim maluit tempus infinitis fere verbis terere [35]. Verum age; argumentum contra additionem « Filioque » a decretis synodalibus petitum ANDREAS RHODENSIS, LUDOVICUS FORLIVIENSIS et tandem Cardinalis CESARINI varia ratione solvere studuerunt.

RHODENSIS, sessionibus IV et V, 20 et 25 octobris, contra Ephesium circa « Filioque » statuit: « primo, non esse additionem, sed explanationem; secundo, non esse interdictam explanationem; tertio. Deo adiutore, conabimur demonstrare utile esse et necessarium et verum. Quarto, multis et necessariis rationibus probabimus omnem

---

31 « Statuit sancta Synodus alteram fidem nemini licere proferre aut conscribere aut componere praeter definitam a sanctis Patribus, qui in Nicaea cum Spiritu Sancto congregati fuerunt »; ES, n. 125.

32 AG, 51-88; AL, 40-45, sermones compendians.

33 AG, 86; AL, 45.

34 AG, 159-160; AL, 51.

35 Ita habent AG, 160. E contra AL, 51-55 plura referunt de hac oratione ANDREAE RHODENSIS; sed scriptor *Actorum* iam antea nos monuit Rhodensem in hac sessione iterasse quae dixerat sessionibus IV et V.

christianum debere omnino vera amplecti » [36]. Argute autem ostendit impossibile esse Decretum Ephesinum sumi etiam de syllabis, vel propterea quod, si ita res se haberet, versiones Symboli forent prohibitae. Suam vero sententiam ANDREAS CHRYSOBERGES fulcit dictis SS. Patrum et Scriptorum, quos inter « et doctor vester GREGORIUS PALAMAS, quem vos magni facitis, hoc idem ait » [37].

Sessione autem VIII et IX, diebus 8 et 11 novembris, dixit FORLIVIENSIS episcopus [38], ut satis faceret BESSARIONI. Pluribus vero utens ostendit nusquam fuisse prohibitum « declarationem » seu « explicationem » germanae sanctorum Patrum fidei adhiberi, sed tantum eidem contrarium quid depromere. Adeo autem modeste simul et concinne locutus est, ut eius expositio, si stemus relationi ANDREAE A SANTACROCE, pergrata evaderet BESSARIONI aliisque byzantinis Praesulibus: « gratias agimus vestrae Paternitati et pro his quae dixisti et per quem modum, quoniam omnia fuere auditui nostro gratissima » [39].

Cum vero hac via parvi gressus ad concordiam fierent, Cardinalis CESARINI vim Decreti Ephesini historice et canonice enucleavit [40] in sessioni IX, plaudentibus vel ipsis Byzantinis hanc orationem scripto habere cupientibus. Cardinalis, qui de repente dixerat, his votis cessit [41].Videlicet, « cum agitur de intellectu verborum alicuius legis, ante omnia recurrendum est ad intentionem legislatoris, quae tum *ex causa* legis condendae, tum *ex intentione,* tum *ex verbis* prolatis, tum *ex processu rei* comprehendi potest » [42]. Verum age; causa fuit damnatio Nestorii, intentio reicere Fidei Symbolum Nestorianum recte fidei contrarium; quemadmodum CESARINI ostendit, quum verbis quibus prohibitio effertur, tum etiam adiunctis in quibus lata est et declaratione circa hoc decretum facta in Concilio Generali VI [43].

266. DISCUSSIONUM EXITUS: Hisce non obstantibus, tam apud Byzantinos quam apud Latinos plerique sentiunt totam hanc quaestionem de additione « Filioque » pendere ab ipsa doctrina de Processione Spiritus Sancti, quae ventilanda prorsus erat, antequam quidquam de additione communi consilio statueretur.

Quid post tot disputationes putarent Byzantini scimus ex *Graecis Actis*: « Nec illi persuadebunt nobis, neque nos illis ». Tum Iulia-

---

[36] AG, 92. Oratio vero integra exhibetur paginis 91-136; illam vero omittunt AL, 46.

[37] AG, 102, 103.

[38] AG, 161-176; AL, 56-63. Bene tamen nota *Acta Graeca* ignorare Forliviensem initio sessionis IX dixisse quoque.

[39] AL, 67, ad finem sessionis VIII.

[40] AG, 176-186; AL, 73-76 .

[41] Textum integrum huius orationis invenit et edidit G. HOFMANN S. I., *Concilium Florentinum, III*: *Denkschrift des Kardinals Cesarini über das Symbolum;* OC n. 69 (1931), Hanc sequor pleniorem editionem.

[42] L. c., 23.

[43] L. c., 23-27, 27-41.

nus Cesarini, contra Ephesium proponentem ut vox « Filioque » retineretur in definitione sed tolleretur ex Symbolo, rogavit ut examinaretur ipsa doctrina de Processione a Patre Filioque, « et si quidem vox illa ' Ex Filio ' cognita fuerit blasphema, neque in Symbolo sit neque alibi reponatur ... si vero pia, ubique recipienda et in Symbolo summe necessaria est » [44]. Quare, cum labores resumuntur Florentiae, omissa additione, de ipsa Processione agere maluerunt Byzantini [45].

Ne tamen dicas disputationes fuisse inutiles; nam, de facto e medio sustulerunt difficultatem circa *liceitatem* additionis, imo et circa *naturam huius* additionis, quae est potius *explicatio;* ita ut, semel ac circa ipsam doctrinam de Processione Spiritus Sancti unanimitas obtenta fuit, nullo iam negotio « Filioque » licite ac rationabiliter Symbolo fuisse adiunctum definiatur.

Ceterum, uti patet, Concilium verbis fere utitur S. Anselmi [46], quin ingrediatur — neque enim opus erat — quaestionem historicam de loco et tempore additionis [47]. Ioannes autem de Torquemada, in suo ad Bullam Unionis commentario, ad haec illustranda recurrit ad S. Anselmum, et praesertim ad S. Thomam, qui ab Anselmo dependet [48]. Fantinus vero multus est in determinando tempore additionis, quam factam fuisse putat, sed aperte falso, tempore S. Damasi [49].

§ 3. *De processione Spiritus Sancti a Patre et Filio*

267. Definitio Florentina: Iam, si veniamus ad alteram de Spiritu Sancto controversiam, quae ipsam doctrinam *de Processione* Spiritus Sancti respicit, quaeque retinebatur longe praecipua atque cardo totius dissidii, definitio Florentina sic se habet:

« In nomine Sanctae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, hoc sacro universali approbante Florentino Concilio, diffinimus,

---

44 AG, 218; AL, 120-132, plura dant a Cesarini et Ephesio in causa additionis prolata sessione XII, die 13 decembris habita.

45 Ita denuo statuunt Florentiae, sessione I, die 26 februarii 1439, Cardinalis Cesarini et Imperator Ioannes VIII; AG, 239-250. De exitu disputationum circa additionem, cfr. J. Gill S. I., o.c., 170-173.

46 Cfr. supra ad n. 165.

47 E. Buri S. I., *La questione storica nella controversia del « Filioque »*; La Civiltà Cattolica 21 settembre 1929, 495-508.

48 App, 63-66.

49 Fantinus Vallaresso, *Libellus,* ed. B. Schultze S. I.; CF, t. II, fasc. 2, 49-60.

ut haec fidei veritas ab omnibus Christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit; declarantes, quod id quod sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem. Et quoniam omnia quae Patris sunt Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo etiam aeternaliter genitus est » [50].

En tibi verba definitionis huius, de qua Florentini Patres egerunt novem publicis sessionibus plenariis, a die nempe 2 ad 26 martii, necnon aliis quinque deputatorum congressibus inter dies 17 et 29 aprilis habitis, et tandem productis deliberationibus durante mense iunio [51]. Deputati vero a Latinis et a Byzantinis iidem sunt ac antea. Sed incunte iunio, cum iam quaestio esset de parando textu definitionis, novi delecti sunt deputati, quos inter habebantur ex Latinis episcopus Cretensis Fantinus Vallaresso, Christophorus Garatoni episcopus Coronensis, magister Thomas Parentuccelli de Sarzana, Ioannes a Montenigro et Cardinalis Cesarini; e Byzantinis vero Metropolitae Isidorus, Bessarion, Dorotheus Mitylinensis et Dorotheus Trapezuntius, excluso, ut videtur, Marco Ephesio.

268. Labores in Concilio ante definitionem: Quemadmodum Bulla *Laetentur caeli* expresse dicit [52], licet non penitus omittatur argumentum e Sacra Scriptura, praecipue Florentini incumbunt testimoniis SS. Patrum discutiendis, ut tandem pro-

---

[50] AG, 462; AL, 261; ES n. 691.

[51] G. Hofmann S. I., *Formulae praeviae ad definitionem Concilii Florentini de Processione Spiritus Sancti;* AAV 13 (1937), 81-105, 237-260; cfr. 82-86.

[52] « Prolatis vero testimoniis ex divinis Scripturis, plurimisque auctoritatibus sanctorum Doctorum Orientalium et Occidentalium, aliquibus quidem ex Patre et Filio, quibusdam vero ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum Sanctum, et ad eandem intelligentiam adspicientibus omnibus sub diversis vocabulis; Graeci quidem asseruerunt quod id quod dicunt: Spiritum Sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt, ut excludant Filium; sed quia eis videbatur, ut aiunt, Latinos asserere Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere tamquam ex duobus principiis et duabus spirationibus, ideo abstinuerunt a dicendo quod Spiritus Sanctus ex Patre procedat et Filio. Latini vero affirmarunt non se hac mente dicere Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere, ut excludant Patrem, quin sit fons ac principium totius deitatis, Filii scilicet et Spiritus Sancti, aut quod id quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio Filius a Patre non habeat, sive quod duo ponant esse principia seu duas spirationes; sed ut unum tantum asserant esse principium, unicamque spirationem Spiritus Sancti, prout hactenus asseruerunt. Et cum ex his omnibus unus et idem eliciatur veritatis sensus ... »; AG, 461-462; AL, 260-261.

nuntient utrique formulae: « *ex Patre per Filium* » et « *ex Patre Filioque* » eundem sensum subesse. Id autem demonstratur plurimis allatis testimoniis.

Florentinam Synodum levitatis accusat Theophanes Prokopovič [53], perinde ac si tempus omne consumpserit in perpendendo uno loco S. Basilii, libro *III contra Eunomium*, in quo Spiritus Sanctus dicitur suum a Filio esse habere [54]. Sic nempe legebatur in codicibus, quibus utebantur Latini. Marcus autem Ephesius contendebat textum fuisse interpolatum. Attamen etiam Byzantinorum codices, uno excepto codice Patriarchae Iosephi, lectionem Latinis faventem exhibebant. Hac vero occasione apparuit quanta fuerit audacia Marci Ephesii in tractandis testimoniis SS. Patrum; voluit enim Marcus Concilio monstrare codicem suam mutilam lectionem praebentem; sed eius servus inconsiderate quaedam verba delevit, non loco a Marco indicato, sed alio folio, relicto integro testimonio S. Basilii, uti post Concilium dicunt Bessarion [55] et Ioseph Methonensis [56].

Ceterum, licet de hoc S. Basilii testimonio multa dicta sint in Concilio, videlicet sessionibus plenariis florentinis II-VII [57], quum in his sessionibus, tum etiam in colloquiis et deliberationibus post has sessiones habitis, satis liquet theologos florentinos aliorum quoque Patrum dicta diligentissima trutina examinasse.

Vel in ipsa concertatione inter Ioannem a Montenigro et Marcum Ephesium, qui uni in sessionibus plenariis locuti sunt, una cum Basilio alii veniunt Patres, praesertim in oratione Ioannis a Montenigro, diebus 21, 24 martii prolata, in qua citantur e Latinis, S. Leo Magnus, S. Hilarius Pictaviensis, S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Gregorius Magnus et S. Isidorus Hispalensis; et Graecis autem S. Basilius, S. Epiphanius, Didymus et S. Cyrillus Alexandrinus, de quo multus fit sermo [58].

---

[53] Th. Prokopovič, *Tractatus de Processione Spiritus Sancti*, Gothae 1772, 119 ss.

[54] PG, 29, 653 B, 656 A, 657 C. Quibus discriminetur textus adhibitus a Latinis a textu Byzantinorum cfr. AG, 262, not. 12.

[55] *Epist. ad Alexin Lascarin*; PG, 161, 319 s.

[56] *Refutatio libelli Marci Ephesini de Synodo Florentina*; PG, 159, 1048.

[57] AG, 262-266, 286-287, 301-306, 318-320, 325-335, 352-363, 383, 386-389; AL, 140-142, 150-151, 154-159, 161-165, 168-172, 174-176, 193-196, 209. Porro, his in locis plura invenies dicta sive de integritate textus iuxta diversos codices, sive de mente S. Basilii.

[58] AL, 200-221. Ceterum, ne mireris testimoniorum copiam; nam, si Byzantini librorum copiam secum tulerant, his minime carebant Latini, qui Florentiam, Unionis causa, convenerant. Cfr. I. Ortiz de Urbina S. I., *Un codice fiorentino di raccolte patristiche;* OCP 4 (1938), 423-445; vid. ibid., 165-167. Omnia autem SS. Patrum documenta Florentiae allata recenset G. Hofmann S. I., *Die Konzilsarbeit in Florenz;* OCP 4 (1938), 170-187.

His consonat Metropolita Nicaeae BESSARION, in Oratione habita coram Imperatore et Praesulibus ac theologicis byzantinis diebus 13, 14 mensis aprilis, quae audit *Oratio de Unione* [59], quaeque tota est posita in argumento patristico. Praeiacta oportuna introductione methodologica — nempe, necesse est SS. Patres in doctrina concordes ostendere, quae magis obscura occurrunt per ea quae sunt clariora dilucidando — omissis Patribus Latinis, necnon illis Patrum Graecorum testimoniis quae « calumniam patiuntur » [60], demonstrat formulam « ex Patre per Filium », ad mentem SS. ATHANASII, BASILII, MAXIMI Confessoris, GREGORII NYSSENI, CYRILLI ALEXANDRINI. GREGORII NAZIANZENI et IOANNIS DAMASCENI, Filium veri nominis causam Spiritus Sancti inducere [61]; imo, iuxta S. CYRILLUM ALEXANDRINUM — cui primas in sua argumentatione BESSARION tribuit — dicendum est Spiritum Sanctum « ex Filio quoque » procedere [62].

BESSARIONIS autem sententiam roboravit GEORGIUS SCHOLARIOS, tribus orationibus prolatis [63]; sed non omnes probarunt. Byzantinorum enim Synodus in duas partes divisa est [64], praeeuntibus BESSARIONE NICAENO, ISIDORO KIOVIENSI, DOROTHEO MILYTINENSI ex altera parte, ex altera vero ANTONIO HERACLEENSI, DOSITHEO MONIMBASIENSI et MARCO EPHESIO [65]. Cum vero Imperator et Patriarcha unionistis faverent, via tandem patere coepit ad Unionem.

269. — VARIAE DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI FORMULAE: Nec tamen res sine difficultate processit, cum Byzantini congressibus et deliberationibus habitis mensibus aprili-iunio nihil intentatum relinquant, ut viam quandam mediam, saltem verbo tenus, sibi retinerent [66].

Id vero hisce compediat Cardinalis CESARINI die 27 iunii [67]: « Primo dicebant Graeci ut definiretur quod Spiritus Sanctus procederet a Patre per Filium; per deputatos fuit reiecta illa via per multas rationes [68].

Fuit proposita alia, quod ibi confiterentur bene tenere et nos et

---

59 PG 161, 531-542. Recenter critice prodiit: BESSARION NICAENUS, *Oratio dogmatica de Unione*, ed. Emm. CANDAL S. I.; CF, t. VII, fasc. 1, R 1958.

60 *Oratio dogmatica di Unione*, ed. E. CANDAL S. I., 49.

61 Ibid., 24-25.

62 Ibid., 49-58.

63 De his tribus libellis a se exaratis verba facit ipse SCHOLARIOS in Byzantinorum conventu; AG, 428; cfr. ibid., 408.

64 AG, 411.

65 AG, 400-401, 434.

66 De iis lege, sis, J. GILL S. I., o. c., 224-268.

67 AL, 254.

68 Cfr. AG, 411-412. Innitebantur autem auctoritate et formula S. MAXIMI, *Epistula ad Marinum*; PG, 91, 133 D - 136 A.

quod ipsi bene tenerent secundum suum intellectum. Ista via fuit reiecta per nos, quia veritas non capit divisionem [69].

Deinde data est alia, quod declararetur quod Spiritus Sanctus profluit a Patre et Filio, abhorrentibus Graecis verbum *procedere;* et per nos fuit reiecta haec via, quia verba haec haberent dubitationem, et ideo non esse ponenda in definitione ... [70].

Deinde fuit propositum ut definiretur quod procedit a Patre et Filio et a Patre per Filium; et haec via non visa est bona; quia posset fieri mala interpretatio » [71].

Sed tandem Byzantini obviam venerunt Latinis et illorum cedulam admissere, id quod Cardinalis CESARINI Deo acceptum reddit; ait enim:

« Et post multos labores aliquando fuimus propinquiores desperationi quam conclusioni; sed quia Deus vult cognosci quod a se cuncta procedunt, cum magis eramus discordes, isti domini Graeci assenserunt cedulae deputatorum; unde habemus reddere gratias Deo, quod ita simpliciter assenserunt cedulae nostrae » [72].

Quae vero dicta manent confirmari facile possunt, tum *Actis* Concilii, tum commentariis libris IOANNIS DE TURRECREMATA, pluribus disserentis de argumentis quibus haec fidei veritas demonstratur [73], et FANTINI VALLARESSO [74], qui hisce ultimis theologicis concertationibus, iubente EUGENIO IV, interfuit [75].

§ 4. *De Azymo pane et de Epiclesi*

270. DEFINITIO FLORENTINA DE PANE AZYMO ET FERMENTATO: Ad hanc definiendam quaestionem Bulla *Laetentur caeli* hisce utitur: « Item, in azymo sive in fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini

---

[69] AG, 412-413, adducentes auctoritatem S. TARASII Patriarchae, Epistula *ad Patriarchas*; CC 12, 1122 D.

[70] AG, 415-416, 418-419. Maluerunt enim Byzantini Spiritum ad Patrem et Filium referre utentes verbis: ἀναβλύζει ὁ Υἱὸς τὸ Πνεῦμα, πηγάζει, προχεῖ, contra primam et alteram cedulam Latinorum; AG, 415.

[71] Hanc Graecorum formulam concordiae dat G. HOFMANN S. I., o. c., 102-103, secutus SYROPOULON, CREIGHTON, 243-244.

[72] AL, 254.

[73] App, 25-56, praesertim a pagina 37, ubi incipit declarare verba: « ut haec fidei veritas ». Porro, talem esse doctrinam de Processione Spiritus Sancti a Patre et Filio confirmat Sacra Scriptura, unanimi SS. Patrum sententia et auctoritate Sedis Romanae.

[74] *Libellus de ordine generalium Conciliorum et de Unione Florentina*, ed. B. SCHULTZE S. I.: CF, II, fasc. 2, R 1944, 69-76.

[75] Cfr. AG, 440.

corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem »[76].

Haec autem definitio difficultates maioris saltem momenti experta non fuit. *De Azymis* enim in Concilio vix disputatum fuisse tradunt JUGIE[77] et SPÁČIL[78] suis de Theologia Orientalium operibus. Verumtamen documenta nonnulla adsunt a HOFMANN in unum redacta[79], e quibus erui potest Byzantinorum et Concilii mens de hac quaestione.

MARCUS EPHESIUS, rogatu Cardinalis IULIANI CESARINI[80], ineunte mense maio 1438, litteras dedit ad Pontificem EUGENIUM IV[81], petens ut Latini recederent ab usu azymorum, quem panem gravissimis verbis damnat: « At vero si Azymus scandalo sit minusque ad sacrificium idoneus reputetur, et imperfectus et mortuus, panisque nequitiae in Scriptura appelletur (I Cor, 5, 8), cur non suscipiendus fermentatus, azymus vero repellendus? Quoniam *unus panis unum corpus multi sumus* ait divinus Apostolus (I Cor, 10, 17), *nam omnes de uno pane participamus*. Ubi igitur de uno pane haudquaquam participamus, constat ne unum quidem nos corpus esse »[82].

Hanc opinionem suos in Concilio sectatores habuisse testatur Cardinalis CESARINI[83], licet de veri nominis controversia sermo esse nequeat[84].

Certum sane est de SS. Eucharistia bis dixisse in Concilio IOANNEM DE TORQUEMADA diebus 18 et 20 iunii[85]; sed solummodo primis paragraphis primae orationis TORQUEMADA sermonem miscet de Azymis; res enim erat omnibus clara atque perspecta. In *Apparatu* autem ad Decretum Unionis legitimitatem utriusque panis declarat, utriusque convenientiam extollens, licet magis aptum dicat azy-

---

76 CC 31-a, 1031; AG, 463; AL, 261.

77 TDCO, III, 235.

78 TH. SPÁČIL S. I., *Doctrina Theologiae Orientis separati de SS. Eucharistia*, II; OC n. 50 (R 1929), 120-121.

79 G. HOFMANN S. I., *De praeparatione definitionis Concilii Florentini de SS. Eucharistia*; AAV 14 (1938), 45-54.

80 Silvester SYROPOULOS, *Historia Concilii Florentini*, ed. CREIGHTON, 113-115.

81 Edita est haec epistula a L. PETIT A. A., *Documents relatifs au Concile de Florence, II: Oeuvres anticonciliaires de Marc d'Éphèse*; PO 17, 336-341. Iuxta MARCUM, quaestio de Azymis una est e duobus longe praecipuis.

82 L. c., 339-340.

83 « Alia differentia fuit in azymis; quia etiam apud Graecos aliqui volebant quod non conficeretur in azymo, dicentes Deum usum esse pane fermentato »; AL, 255. Bene nota argumentum de pane quo usus est Dominus in Ultima Cena non fuisse allatum a MARCO.

84 Ceterum, ut est notum, Unione reiecta, lis de Azymis vires resumit, ut ostendit *Officium reconciliationis Latinorum* a Synodo Constantinopolitana a. 1484 probatum, ubi quaeritur: « Detestaris omnino tanquam haereticos qui Iudaeorum vel Apollinistarum more azyma sacrificant? »; RHALLI-POTLIS, Σύνταγμα τῶν θεἰων καὶ ἱερῶν κανόνων, V, A 1855, 145.

85 Ita existimat Emm. CANDAL S. I., in introductione ad *Apparatum*; App, xxviii. De azymis quid in Concilio dixerit habent AL, 236-237.

mum, ut fert usus Latinorum [86]. A Ioanne autem proxime abest Fantinus Vallaresso [87].

271. De verbis consecrationis eucharisticae et de Epiclesi: Ioannes de Torquemada praecipue egit de verbis quibus SS. Eucharistia conficitur, nempe de verbis Domini, excludens theoriam *de Epiclesi* [88]. Imo, in prima Bullae redactione sermo expresse fiebat de hac quaestione [89], quae suscitata fuit a Latinis quaerentibus quid Byzantini putarent de vi consecratoria verborum Dominicorum [90].

Quod si audias *Acta Graeca*, Byzantini facile admisserunt totam efficacitatem Epicleseos reponendam esse *in effectu sacrae Communionis;* quare, vacabat prorsus agitare controversiam de re qua omnes conveniebant [91].

Quosdam vero aliter sentire constat ex scripto Marci Ephesii [92], dicentis: « Nos qui a sacris apostolis et eorum successoribus, doctoribus Ecclesiae, mysticae liturgiae expositionem accepimus, apud eorum nullum reperimus ab ipsis Domini verbis et solis sanctificari et perfici Eucharistiae donum et in ipsum Dominicum Corpus et Sanguinem transmutari » [93].

Verum haec privata Marci opinio habenda est [94]. Quae autem Concilii mens fuerit apparet ex duabus illis orationibus Ioannis de Torquemada, quibus ostendit *Epiclesin* in id tendere ut « communicantes ... remissionem peccatorum et hereditatem regni consequantur ». Hac vero sententia Latini utentes, satis fecerunt Graecis, ut ostendit declaratio a Bessarione coram Pontifice perlecta [95], quam idem Bessarion operibus post Concilium editis magis evolvit [96].

---

86 App, 66-71.

87 Fantinus Vallaresso, *Libellus*, ed. B. Schultze S.I., CF, II, fasc. 2, 60-69 immoratur sive in declarandis testimoniis pseudo-Chrysostomi et pseudo-Gregorii Magni, sive in concordantia Evangeliorum stabilienda de tempore Ultimae Cenae.

88 AL, 237-239, 248-250.

89 Textum primigenium ignoramus. Sed Ioannes de Torquemada nobis dicit: « Venio ad particulam, ubi tangitur forma consecrationis, ubi dicitur sic in cedula: *Quod verba Salvatoris in confectione prolata,* etc. »; AL, 237.

90 AG, 441-442. *Acta Graeca* omittunt orationes Ioannis de Torquemada, et pleraque alia documenta quorum meminerunt *Acta Latina.*

91 « De divino item sacrificio quaesitum est, quomodo prolatis Christi verbis: *Accipite et comedite* ... postea hanc orationem additis: dicentes: *Et fac panem hunc* ... Hoc etiam soluto ... »; AG, 441-442.

92 *Libellus de consecratione eucharistica*; PO, 17, 426-434.

93 Ibid., 426.

94 De sententia Marci cfr. F. Lukman, *Markos Eugenikos o epiclezi*; BoV 7 (1927), 196-202; E. Boulaland, *L'Épiclèse au Concile de Florence*; BLE (1959), 241-273.

95 AL, 258-259.

96 *De Sacramento Eucharistiae et quibus verbis Christi corpus conficiatur*; PG, 161, 493-526.

Quae cum ita se haberent, Concilium satius fore existimavit si e Decreto *tollerentur verba de hac circa Epiclesin controversia,* annuens votis Isidori Kioviensis, id enixe petentis [97].

Duo vero animadvertas velim. Alterum nempe, etiam in ultima redactione Bullae doctrinam de verbis dominicis implicite contineri verbis illis « veraciter confici », secundum declarationem Ioannis de Torquemada [98]; alterum vero rationem cur omnis mentio Epicleseos omissa sit illam adduci, quod videlicet Isidorus Kioviensis, qui abundat sensu Nicolai Cabasilae, putat hanc sententiam nihilo differre a sententia Latinorum, neque populares quidquam de hoc discrimine suspicatos unquam esse [99].

§ 5. *De Primatu Romani Pontificis*

272. Definitio Florentina: Ultima quaestio solvenda mansit illa de potestate suprema Romani Pontificis, quam Bulla *Laetentur caeli* clarissimis et planis verbis exhibet, tradens *Romanum Pontificem* esse *successorem Beati Petri* et *Christi Vicarium, universalem* quoque christianorum *patrem et magistrum,* cui *universa pascendi cura,* una *cum plenitudine potestatis* supra totam Ecclesiam, a Christo Domino commissa fuit:

« Item diffinimus sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem ac doctorem exsistere; et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur » [100].

---

97 « Et quoniam in omnibus his sumus concordes ... non est necessarium hoc poni in definitione ». Ad haec Torquemada: « Ego cum magno gaudio audivi sapientiam tanti patris, quia audivi paternitatem suam confitentem, quod verbis Salvatoris conficitur sacramentum et solis verbis Salvatoris »; AL, 251.

98 « Confici. Non quidem verbis Basilii, Chrysostomi — clara fit allusio ad Liturgiam Byzantinam iis Doctoribus tributam — Augustini aut cuiuscumque alterius Sancti; sed verbis Salvatoris »; App, 69.

99 Isidorus aiebat: « Si putarem aliquam contrarietatem ... Sed quoniam puto ... esse concordes [nos] ... Unde credimus per hoc esse vobiscum concordes ... et dico quod esset [necessaria definitio de Epiclesi], si haec difficultas esset contraria; sed non est mota ut fuerint disputationes; et ideo cum non fuerint controversiae, quare debet deduci in dubium? »; AL, 251. Adde quaestionem de Epiclesi ignorari, quum ab Andrea Escobar suo libro *De Graecis errantibus* (vid. supra ad n. 248), tum a Fantino, in suo *Libello.*

100 CC 31-b, 1666; AG, 464; AL, 262; ES, n. 694. Haec vix differunt a

Haec autem definitio non sine festinatione quadam fuit expedita, urgentibus Byzantinis ad propria redire cupientibus. Praeterea, plures Latinorum Patrum antea Concilio Basileensi intererant, neque a systemate Conciliarismi semper alieni fuerant; quos inter et Cardinalis Sanctae Sabinae Iulianus Cesarini [101]. Quodsi hac fuit sententia Cesarini, etiam Ferrariae, initio Concilii, illi certo valedixerat cum die 27 iunii 1439 coram Pontifice locutus est de Decreto Unionis iam ferendo, propugnans aperte genuinam Primatus Romanorum Pontificum rationem [102].

279. Disputationes conciliares de Primatu Romani Pontificis: Quid brevi trium hebdomadarum lapsu temporis conclusum fuerit satis nobis innotescit ex *Actorum Graecorum* et *Latinorum* narratione [103].

Et quidem *Acta Graeca* nos docent res gestas, negotiationesque habitas antequam concordia hac de re fieret [104]; *Acta* vero *Latina* documenta nobis conservarunt [105].

Videlicet, cum iam fuisset sancitum de hoc articulo quoque deliberandum esse, de mandato Eugenii IV, Ioannes a Montenigro de Primatu agere coepit, verba singula definitionis declarans, usus documentis Conciliorum Oecumenicorum, imprimisque Chalcedonensis et Nicaeni II, agnoscentium supremam Romanorum Pontificum auctoritatem et munia [106].

Haec cum essent relata Imperatori et eius synodo, Byzantini quasdam movent difficultates, quas ipse Imperator Eugenio IV significavit [107]. Igitur die 20 iunii Ioannes a Montenigro denuo verba fecit plenius explicare satagens ambitum et naturam potestatis primatialis; nimirum, non esse ducendam specialem quandam reverentiam Romano Pontifici debitam, sed *veri nominis potestatem iu-*

---

prima cedula Latinorum, quam commentatus est Ioannes a Mentenigro; AL, 232-235.

[101] Cfr. Emm. Candal S. I., App. xxxiv, not. 1-2.

[102] Ita dicendum videtur ex AL, 255, necnon ex notitia Ioannis de Segovia, *Historia gestorum generalis Synodi Basileensis*; apud N. Valois, *La crise religieuse du XVe siècle. Le Pape et le Concile,* II, Pa 1909, 304. Videlicet, ut vult Ioannes de Segovia, Cesarini Florentiae dictitabat « firmissime tenere Concilia Generalia subesse iudicio Summi Pontificis ». De mente vero Emm. Candal, hanc sententiam Cesarini sibi persuasit post disputationem illum inter et Ioannem de Torquemada in Concilio Florentino habitam die 4/20 septembris 1439. Ioannes de Torquemada O. P., *Oratio synodalis de Primatu,* ed. Emm. Candal S. I.; CF, II, fasc. 2, R 1954, xxxii-xl.

[103] G. Hofmann S. I., *Quomodo formula definitionis Concilii Florentini de potestate plena Papae praeparata fuerit*; AAV 14 (1939), 138-148; J. Gill S. I., o. c., 273-283.

[104] AG, 450-453.

[105] AL, 231-236, 241-247.

[106] AL, 232-235.

[107] AG, 451.

risdictionis, qua Romanus Pontifex valet Ecclesiam convocare, seu Generale Concilium agere, quod munus neque Imperatori, neque Patriarchis simul sumptis competit, et causas omnes maioris momenti ad se avocare; non enim Romanis Pontificibus, sicut Metropolitis, limitata quaedam potestas inest [108]; quas tres interrogationes IOANNES VIII per BESSARIONEM Nicaenum proposuerat, testante nostro IOANNE.

Ut refert auctor *Actorum Graecorum* [109], Imperator « his auditis, desperavit », simulque omnes Byzantini contristabantur « quod spes nulla erat unionis ».

Byzantini vero, magis quam privilegiorum Romanae Sedis amplitudine, commoventur formidine amittendi propria patriarchalia privilegia, uti conceptis verbis scripto dixere EUGENIO IV:

« De Primatu Papae fatemur ipsum summum Pontificem et procuratorem, locum-gerentem ac Vicarium Christi, pastorem et doctorem omnium christianorum, regentem et gubernantem Dei Ecclesiam, salvis privilegiis et iuribus Patriarcharum Orientis; et Constantinopolitanum quidem secundum esse post Papam, deinde Alexandrinum, post hunc esse Antiochenum, postremo Hierosolymitanum » [110].

Byzantinorum autem votis morem gerens Concilium, Decreto adhibuit confirmationem iurium patriarchalium; « Renovantes insuper ordinem traditum in canonibus ceterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus et quintus Hierosolymitanus, salvis videlicet privilegiis omnibus et iuribus eorum » [111].

Et quidem rectissime; cum nihil sit antiquius Romanae Sedi quam singulis Ecclesiis iura sarta tecta servare, ut scribit IOANNES DE TORQUEMADA, verbis utens S. GREGORII MAGNI: « Ita nempe Apostolica Sedes proprium vigorem retineat, ut a se concessa aliis iura non minuat » [112].

---

[108] AL, 243-246, respondet tribus obiectis Imperatoris; postea vero agit de sedibus Patriarchalibus; ibid., 246-247.

[109] AG, 452.

[110] AG, 453.

[111] CC, 31-b, 666; AG, 464; AL, 262; De sedibus patriarchalibus egerat iam Concilium Lugdunense II; ES, n. 466; licet ratione quadam magis generali.

[112] App. 114. Cfr. S. GREGORIUS M., *Epistula ad Ioannem Subdiaconum*; PL, 77, 627 C.

Art. III

Unio Armenorum, Coptorum, Aethiopum et Syrorum

Unio Latinos inter et Byzantinos Florentiae inita valde influit reliquorum omnium Orientalium unioni praeparandae. De his iam conciliaribus laboribus agemus ex ordine.

§ 1. *Unio Armenorum*

274. Bulla « Exultate Deo »: Die 22 novembris 1439 Concilium Florentinum promulgavit Bullam Unionis Armenorum *Exultate Deo,* quae generatim audit *Decretum pro Armenis* [1]. Hoc vero documentum praebet Symbolum fidei, Concilii Chalcedonensis et Constantinopolitani III decreta de duabus naturis et de duabus voluntatibus in Christo, doctrinam de materia et forma Sacramentorum, Symbolum pseudo-Athanasianum seu « Quicumque », integrum Decretum Unionis cum Graecis et quaedam de festis celebrandis edicta.

Vel ex hac congerie argumentorum facile patet difficultas in determinando pondere dogmatico huius *Decreti pro Armenis* [2], cuius fontes assignantur plures, nimirum, Aquinatis opusculum *De articulis fidei et Ecclesiae sacramentis,* quo iam usa fuerat Synodus Armenorum ad Siš, epistulae S. Nicolai I, S. Gregorii VII et Innocentii III, necnon Catalogus *de erroribus Armenorum* a Benedicto XII confectus, licet Decreti pro Armenis compilator abstineat ab omni falsa imputatione, fortasse habitis prae oculis responsionibus Synodi Sisiensis [3].

275. Unionis Armenorum ratio et ambitus: Ceterum, haec Armenorum cum Ecclesia Catholica Unio, cito et sine ullo fere negotio conclusa fuit. Armeni enim doctores, qui Florentiam ingressi sunt die 13 augusti, tribus mensibus vix elapsis, pacem

---

1 Editionem criticam huius Decreti, addita nova armena versione, dedit A. Balgy, *Historia doctrinae catholicae inter Armenos unionisque eorum cum Ecclesia Romana in Concilio Florentino,* Viennae 1878, 102-155; qua usus est G. Hofmann S. I., *Documenta Concilii Florentini de Unione Orientalium II, De Unione Armenorum,* R 1935, 22-47. Recentius vero editum est a G. Hofmann S. I., *Epistulae Pontificiae*; CF I, fasc. 2, R 1944, 123-138.

2 J. de Guibert S. I., *Le décret du Concile de Florence pour les Arméniens. Sa valeur dogmatique*; BLE 10 (1919), 197-208.

3 Cfr. supra ad n. 242.

cum Ecclesia Romana pepegerunt, quare nullum discussionibus locum amplius dabatur [4].

Armenorum enim delegati, ut notat BARTHOLOMAEUS A GIANO scribens ad Beatum ALBERTUM A SARTEANO [5], et quemadmodum experti sunt IOANNES A MONTENIGRO aliique theologi a Concilio Florentino huic negotio peragendo deputati [6], paratissimos sese ostendunt ad Unionem; nam quaecumque praecipua erant, discussa iam fuerant Kaffae, in Synodo ab episcopo Armeno MALACHO convocata, agente Fr. IACOBO PRIMADIZI.

Unio vero Florentina non omnes Armenorum Ecclesias respicit, sed tantum coetus *Armenorum ad Kaffam* in peninsula Crimeae, *ad Peram* in Constantinopoli, et in Patriarchatu *Vagsabaretensi;* necnon, uti ferunt, *Armenos Leopolienses*, regi polonorum subiectos.

Bullam obsignarunt duo tantum Armeni Doctores, nempe, Vartaped SARGIS et Vartaped THUMAJ, qui tamen personam gerebant, non solum episcopi Kaffae, sed etiam Katholici Vagsabaretensis, cuius litterae perlectae sunt in Concilio Florentino. In his autem Katholicos GREGORIOS iubet SARGIM et THUMAJ « ut eant ad Synodum, et Spiritus Sanctus illustret eos, et per virtutem Spiritus Sancti, sicut Sanctus Silvester et Sanctus Gregorius fuerunt concordes, ita Deus concordet vos in pace, in amore et unione ... etiam quidquid Spiritus Sanctus illustraverit Sanctam Synodum, prompti sumus ei obedire » [7].

Leopoli vero asservatur epistula EUGENII IV ad quendam Armenorum archiepiscopum, nomine GREGORIUM, quem Leopoliensem fuisse quidam existimant [8]; res tamen dubia manet.

§ 2. *Copti et Aethiopes*

276. COPTORUM ET AETHIOPUM DELEGATIONES IN CONCILIO FLORENTINO: Florentina Unio Coptorum et Aethiopum [9] feliciter

[4] G. HOFMANN S. I., *Die Einigung der armenicshen Kirche mit der Katholischen Kirche auf dem Konzil von Florenz*; OCP 5 (1939), 151-185; J. GILL S. I., o. c., 305-310.

[5] PG, 158, 1057 A.

[6] G. HOFMANN S. I., a. c., 158-161. Deputati quinam fuerint vide supra ad n. 258.

[7] AL, 267. Epistula data est die 25 iulii 1438.

[8] *Epistulae Pontificiae*; CF, t. I, fasc. 2, 147-148. Illam vindicat S. OBERTYNŠKI, *Die Florentiner Union der polnischen Armenier und ihr Bischofskatalog*; OC n. 96, R 1934. Rationes dubitandi congerit J. GILL S. I., o. c., 309, not. 1.

[9] G. HOFMANN S. I., *Kopten und Aethioper auf dem Konzil von Florenz*; OCP 8 (1942), 5-39; J. GILL S. I., o. c., 321-327.

cessit opera et studio praesertim Beati ALBERTI A SARTEANO, ab EUGENIO IV commendatitiis muniti litteris ad Patriarchas et Principes Orientis [10]. Verum sane est ALBERTUM aditu ad Aethiopiam impeditum fuisse a mahumedanis Aegypti; sed tandem ei licuit secum Florentiam ducere legatos Patriarchae Copti Alexandrini, necnon Ecclesiae Aethiopicae.

Coptorum delegationi praeerat Abbas monasterii S. Antonii ANDREAS, locum tenens Patriarchae Coptici IOANNIS XI [11]; delegationis autem Aethiopum dux erat PETRUS diaconus, qui tamen Concilium adivit nomine NICODEMI, Abbatis monasterii Hierosolymitani Aethiopum [12], non Imperatoris, etiamsi NICODEMUS confidenter asserat Imperatorem toto corde assensurum iis quae Florentiae decreta fuerint [13].

Uterque vero, ANDREAS, inquam, die 31 augusti 1441, et PETRUS, die 2 septembris 1441, Concilium salutavit, illibatam in Primatum Romanorum Pontificum fidem profitens [14].

Ex his amplissimis salutationis verbis satis iam apparet tam Coptos quam Aethiopes bene affici erga doctrinam Romanae Sedis. Id vero clarius adhuc elucet in epistula NICODEMI ad EUGENIUM IV, mense novembri 1440 data, ubi legere est: « Praesentes autem filii mei non ad Te veniunt de fidei unitate disputaturi; sed tuam sententiam audientes recepturi, veritatique fidei quam statueris consensuri » [15].

277. COLLATIONES FLORENTINAE: Verum age; licet delegati omnes proni fuerint ad amplectendam Unionem, quaedam habita sunt *colloquia* inter Coptos et Aethiopes et specialem commissionem ab EUGENIO IV nominatam, in qua aderant Cardinales IULIANUS CESARINI et IOANNES DE TORQUEMADA, Theruaen-

---

[10] Praeter nominationem ALBERTI in Legatum in partibus *Indiae, Aethiopiae, Aegypti et Ierusalem*: *Epistulae Pontificiae*; CF, I, fasc. 2, 98-100, EUGENIUS IV suum Legatum commendavit Patriarchae Iacobinorum IOANNI, Imperatori Aethiopum IOANNI et Imperatori Indorum THOMAE; ibid., 86-87, 100. Bene nota his nominibus Papam uti iuxta morem receptum de magno sacerdote Aethiopum Ioanne et de christianis S. Thomae.

[11] Litteras Patriarchae habes in *Orientalium documenta minora*; CF, III, fasc. 3, R 1953, 53-58.

[12] NICODEMI epistulam reperit et edidit E. CERULLI, *La partecipazione italiana al Concilio di Firenze nel 1441 e due bassorilievi del Filarete*; Africa Italiana 5 (1933), 58-70. Textui aethiopico adjicitur elegans latina versio, cui CERULLI adhibuit versionem italicam. A CERULLI hanc epistulam desumit G. HOFMANN S. I., *Orientalium documenta minora*; CF, III, fasc. 3, R 1953, 59-62.

[13] « Cum [rex] audiverit quod vis, non tibi recusabit; quidquid velis audiet et faciet ... Etenim quidquid ad ecclesiasticos christianos pertinet rex noster amanter amplectitur »; CF, III, fasc. 3, 61.

[14] CC 31-b, 1732-1733, 1744-1745; CF, III, fasc. 3, 62, 63.

[15] CF, III, fasc. 3, 61.

sis episcopus IOANNES, THOMAS PARENTUCELLI DA SARZANA et probabiliter B. ALBERTUS A SARTEANO [16].

De his colloquiis ea tantum scimus quae nobis mandavit BLONDUS FLAVIUS [17]. Videlicet Copti a Latinis interrogati dixerunt, praeter alia minoris momenti, se *ignorare Sacramenta Confirmationis* et *Extremae Unctionis,* servare vero *usum Circumcissionis* et *observantiam Sabbati;* Symbolum, Graecorum more, *absque* « *Filioque* » recitare; Dioscorum ut sanctum colere, sed Eutychetem ignorare; in causa vero cur ipsi a Catholica et recta fide deciderint fuisse quendam MACARIUM, qui post quintum Generale Concilium eos seduxit; denique ab illis Romanum Pontificem, non solum ut Christi Vicarium haberi, sed ipsum pro Christo Deo in terris accipi.

278. BULLA UNIONIS, SEU DECRETUM PRO IACOBITIS: Ut fructus horum colloquiorum prodiit die 4 februarii 1442 Bulla *Cantate Domino,* communiter dicta *Decretum pro Iacobitis* [17], quo nomine veniunt imprimis Copti alexandrini.

Bulla autem denuo reprobat *errores circa SS. Trinitatem et Incarnationem Domini;* excludit *Legalium usum* (quia etsi omnia licent non omnia expediunt); commendat sex priores Synodos Oecumenicas; his vero subdit integra Decreta Unionis Graecorum et Armenorum; et ad finem quaedam subiungit de *verbis consecrationis* eucharisticae et de *quartis nuptiis.*

Cave tamen, dum haec legis, ne illico leviter inferas illa omnia dirigi ad correctionem errorum de facto penes Coptos invalescentium; magna enim ex parte catechetica sunt [18].

Huius Bullae unum tantum repertum fuit exemplar latino-arabicum ab ANDREA Copto obsignatum. Veri autem simile est hanc eandem Bullam, in alia Concilii sessione, *ab Aethiopibus* fuisse receptam, etsi, inspectis iis quae scripsit EUGENIUS IV quando Concilium e Florentia Romam transtulit [19], id dubium maneat.

Ad confirmandam Aethiopum Unionem Florentiae factam, sermo fit de quadam epistula EUGENII IV ad Imperatorem ZAR'A JAKOB, ei mittens decretum Unionis; id quod incertum valde est [20].

---

16 BLONDUS FLAVIUS, *Historiarum ab inclinatione Romanorum quartae decadis libro secundo,* ed. B. NOGARA, StT, n. 48 (R 1927), 24-26; CF III, fasc. 3, 65-66.

17 CC 31-b, 1734-1743; *Epistulae Pontificiae*; CF, I, fasc. 3, R 1946, 46-65.

18 J. LUSKA, *Errores Coptorum tempore Concilii Florentini*; AAV 16 (1940), 203-215.

19 In hac Bulla, die 24 februarii 1443 Florentiae lata, dicit se expectare a rege Aethiopiae ZAR'A JAKOB « oratores plena potestate suffultos ad suscipiendam in hoc sacrasancto concilio orthodoxae fidei doctrinam »; CF, I, fasc. 3, 76.

20 MAURO DA LEONESSA O. F. M. Cap., *Santo Stefano maggiore degli Abissini,* Città del Vaticano 1929, 144-146; G. HOFMANN S. I., a. c.; OCP 8 (1942), 30-36.

§ 3. *Syri Occidentales et Orientales*

279. Syrorum Antiochenorum Unio: Die 30 septembris 1444, Romae, quo Patres sese receperant, lata fuit Bulla *Multa et admirabilia* [21], qua sollemniter sancitur Unio Syrorum Antiochenorum monophysitarum cum Ecclesia Catholica [22].

Bulla *Multa et admirabilia* declarat Abdallah Archiepiscopum Edessae, qui personam sustinebat Ignatii, Patriarchae Syri Antiocheni, in omnibus recte sentire, praeterquam tribus in quaestionibus, videlicet, de Processione Spiritus Sancti, de duabus in Christo Domino naturis et de duabus voluntatibus. Ad has autem veritates illustrandas et confirmandas Concilium eis exhibet *Decretum Unionis Graecorum,* in iis quae respiciunt Processionem Spiritus Sancti ex Patre Filioque, actionem V Concilii Chalcedonensis contra Monophysitas et actionem XIX Concilii Constantinopolitani III, adversus Monotheletas.

Quomodo autem res processerit solummodo scire possumus ex parte historica ipsius Bullae, Videlicet, designata fuit commissio Cardinalium et theologorum ut rem totam ageret cum Abdallah. Tandem, « diligenti cum fratribus nostris et Sacro Concilio tractatu praehabito », lucubrata fuit summa doctrinae a Syris postea sancte retinendae [23].

280. Unio Chaldaeorum et Maronitarum insulae Cyprii: Ultimum sollemne Unionis documentum est Bulla *Benedictus sit Deus* [24], ad S. Ioannis Lateranensis, die 7 augusti 1445, in plenaria Concilii sessione, Nestorianorum et Maronitarum Cyprium incolentium causa promulgata [25].

Ut exprese in ea dicitur, haec Bulla *non respicit universos* Nestorianos, quorum praecipui coetus habentur in Persia et in Malabar, sed solummodo archiepiscopalem ecclesiam insulae Cyprii. Idem sentiendum est de Maronitis, quorum Ecclesia ab incunabulis catholica semper fuisse dicitur [26]; secus vero *de Maronitis Cyprii* censuit Andreas Chrysoberges, Eugenii IV Legatus [27].

[21] CC 31-b, 1752-1755; *Epistulae Pontificiae;* CF, I, fasc. 3, R 1946, 96-99.
[22] G. Hofmann S. I., *Das Konzil von Florenz in Rom;* OCP 15 (1949), 76-78.
[23] *Epistulae Pontificiae;* CF, I, fasc. 3, 97, 98.
[24] CC 31-b, 1755-757; *Epistulae Pontificiae;* CF, I, fasc. 3, 105-108.
[25] G. Hofmann S. I., *Das Konzil von Florenz in Rom*; OCP 15 (1949), 78-82.
[26] Cfr. P. Dib, *L'Église Maronite,* Pa 1930. Ceterum, lege, sis, litteras ab Eugenio IV ad Patriarcham Maronitam Ioannem datas; *Epistulae Pontificiae*; CF, t. I, fasc. 3, 43-44, 99-100.
[27] Haec omnia novimus ex ipsa Bulla, in prima sua parte historica, Cfr. *Epistulae Pontificiae;* CF, I, fasc. 3, 40-41.

ANDREAE opera, Chaldaicus Metropolita TIMOTHEUS et ELIAS Maronitarum episcopus, in metropolitano insulae Cyprii templo S. Ioannis, emissa professione fidei, cum Ecclesia Catholica reconciliati sunt. Tunc, Romam profecti, coram universo Concilio, TIMOTHEUS Metropolita et ISAAC fideicommissus Eliae episcopi Maronitarum, denuo professiones fidei faciunt, quas Bulla refert, circa Processionem Spiritus Sancti, duas Christi naturas, duasque voluntates, circa septem Sacramenta et acceptationem fidei Ecclesiae Romanae.

Hisce autem contentum, Concilium eos ad communionem admisit et illorum privilegia confirmavit [28].

ART. IV

Unionis Florentinae vicissitudines

281. DICENDORUM RATIO: Unio Florentina sincera quidem fuit et talis quae suapte natura discrimina quaeque doctrinalia inter Ecclesiam Catholicam et Ecclesias Orientales separatas radicitus supprimeret, sine cuiuspiam offensione. Quare, EUGENIO IV sperare licuit ut Uniones illae magis restrictae cum Monophysitis et Nestorianis in universas illorum Ecclesias latius in dies extenderentur; Unio vero cum Byzantinis, quae generalis fuit, altiores semper radices ageret. Spes autem illum fefellit; ecclesiastica enim Unio cito desiit.

Infelicis Unionis *exitus causas* adumbrare conantur historici [1]. Ab illis nos praescindimus, ut in adversa hac Unionis fortuna illud tantum quaeramus; videlicet doctrinales conceptus Unioni adversantes.

Porro, quaestio haec doctrinalis sine controversia obtinet in vicissitudinibus Unionis penes Byzantinos; exulat fere aliis in Ecclesiis. Nihilo tamen minus, antequam de Ecclesia Constantinopo-

---

[28] Nihil dicimus de *Unione Bosnensium*, quorum meminit EUGENIUS sua Bulla data 17 aprilis 1444. Quis vero fuerit hic rex Bosniae nescitur. Cfr. G. HOFMANN S. I., a. c., 83. Magna cum probabilitate dici potest Bosnenses esse *Bogomilos*; uti erant episcopi qui Basileam adire cupiebant, quique occasionem dederunt IOANNI A RAGUSA ut scriberet: « Offertur facilis occasio reductionis regni Bosne »; J. HALLER, *Concilium Basileense*, III, Basel 1900, 417; vel ut erant Bogomili quoque tres illi principes e regno Bosniae, quorum gratia, iussu PII II, suum tractatum lucubravit Cardinalis TORQUEMADA. Cfr. JUAN DE TORQUEMADA O. P., *Symbolum pro informatione Manichaeorum* (el Bogomilismo en Bosnia), ed. N. LÓPEZ MARTÍNEZ - V. PROAÑO GIL, Burgos 1958.

[1] W. NORDEN, *Das Papsttum und Byzanz*, Be 1903, 117 ss.; J. GILL S. I., o. c., 349-388.

litana agere incipiamus, perpauca adducenda sunt de cessatione Unionis penes Armenos, Syros et Aethiopes.

282. Unio Florentina penes Monophysitas: Quanto tempore Unio viguit in Ecclesiis Monophysitis, quae foedus inierant cum Ecclesia Romana in Concilio Florentino, dicere operosum valde est.

Inter Armenos Unio communitatis ad Pera sublata videtur post expugnationem Constantinopoleos a Turcis, anno 1453. Katholikos autem Vagsabaretensis diutius perseveravit. Nam Karapet I (1447-1477) a. 1456 perhibetur ut Sedi Romanae addictissimus, una cum pluribus episcopis Armenorum. Denique, saltem ad annum usque 1475, quando expugnata fuit a Turcis, Armeni civitatis Kaffae erga Unionem fideles sese praebuerunt. Quid vero postea evenit, deficientibus fontibus, nescimus [2].

Res adhuc magis est incerta relate *ad Coptos et Aethiopes* [3]. Hi ultimi, ut antea diximus nescimus utrum unquam Unioni nomen dederint, saltem nomine Imperatoris [4].

283. Unio Florentina penes Slavos: Nec melior fuit Unionis conditio apud Slavos. Isidorus Kioviensis Metropolita, tanquam Summi Pontificis Legatus, iter arripuit ut Unionem promulgaret. Et quidem id feliciter peregit Leopoli, Chelmii, Kioviae et Smolenskii; verbo, in omni meridionali plaga, ubi Unio Florentina recepta est, non sine influxu in reconciliationem saeculo XVII futuram [5]. Sed cum idem facere tentasset Moscoviae, a rege Vasili in monasterium relegatus est, Unione Florentina prorsus reiecta [6].

---

[2] G. Hofmann S. I., *Die Einigung der armenischen Kirche mit der katholischen Kirche auf dem Konzil von Florenz;* OCP 5 (1939), 183-184.

[3] G. Hofmann S. I., *La Chiesa copta ed etiopica nel Concilio di Firenze;* La Civiltà Cattolica, 2, 16 maggio 1942, 141-146. 228-235.

[4] Ita asserit E. Cerulli, *Eugenio IV e gli Etiopi al Concilio di Firenze,* R 1933; et eadem opinione abundat idem cl. auctor in suo opere, *Storia della Letteratura Etiopica,* R 1956, 142.

[5] B. Waczyński S. I., *Nachklänge der Forentiner Union in der polemischen Literatur zur Zeit der Wiedervereinigung der Ruthenen*; OCP 4 (1938), 441-472; A. M. Ammann S. I., *Zur Geschichte der Geltung der Florentiner Konzilsentscheidungen in Polen-Litauen*; OCP 8 (1942), 289-472; O. Halecki, *From Florence to Brest (1439-1596).* R 1958; cfr. p. 83-122, ubi auctor ostendit ab anno 1458 plures Metropolitas Kiovienses unionem cum Apostolica Sede sancte retinuisse.

[6] P. Pierling S. I., Россія и Папскій Престолъ. Книга I: Флоренстійскія Соборъ, ed. 2, M 1912, 40-145; A. Ziegler, *Isidore de Kiev, apôtre de l'Union Florentine*; Ir 13 (1936), 393-410; Id., *Die Union des Konzils von Florenz in der russischen Kirche,* Würzburg 1938; J. Ledit S. I., *Russie (pensée religieuse)*; DTC, 15, 242-245.

Hoc pacto a Moscovitis Unio Florentina ne ad horam quidem recepta fuit. Imo et Unio pacta causa fit cur Moscovitae vel ipsam Ecclesiam Constantinopolitanam, ob Unionem Florentiae obsignatam, impugnare incipiunt; perinde ac si sese cum Ecclesia Romana reconcilians, Ecclesia Patriarchalis Constantinopoleos a recta fide deciderit, iusto divino iudicio mox punienda Turcarum expugnatione [7].

284. Unio Florentina in Ecclesia Constantinopolitana: In pervigilio proclamationis Decreti de Unione, byzantini praesules libenti animo amplexati sunt definitionem Florentinam, obtemperantes Patriarchae Iosepho II, qui moriens extremam suam sententiam scripto suis omnibus mandavit [8]. Attamen vel in ipso Concilio, ut iam dictum manet [9], non defuerunt qui Unioni aperte contradicerent, praeeunte Marco Ephesio, qui neque Imperatoris suasionibus flecti se siniit.

Acta Graeca loquuntur de congressu apud Imperatorem ut Ephesium et Heracleensem ad Unionis causam traherent; sed « longis habitis disputationibus, nihil profecerunt, sed *pardus non mutavit varietates suas* » [10]. Et quidem Metropolita Heracleensis tandem aliquando Decreto Unionis subscripsit; Ephesius vero minime. Quo audito, ferunt Ioannem VIII exclamasse: « igitur nihil fecimus! ».

Et re vera, tanta Marci Ephesii vis fuit et auctoritas in reicienda Unione Florentina, ut eam pesum daret. Nimirum, ei a Concilio Florentino Constantinopolim redeunti, iam ab initio favorem praestant monachi et clerus inferior, postea vero etiam plures eruditionis fama clarissimi, ut Georgius Scholarios. Quo factum est ut, Urbe Constantinopoli capta, nemine reclamante, actum fuerit de Unione Florentina paulo antea sollemniter Byzantii recepta.

Utrum vero iam antea Unio Florentina fuerit repudiata in *Patriarchatibus Melchiticis* sub controversia est; quae enim fe-

---

[7] H. Schaeder, *Moskau das dritte Rom*, Hamburg 1929, 15-37: Die Ende des byzantinischen Staats 1453 und das Erwachen eines nationalen Bewusstsein in Moskau.

[8] « Quoniam ad finem vitae meae perveni soluturus iam commune debitum, Dei gratia scribo et subscribo sententiam meam aperte meis filiis. Omnia igitur quae sentit et quae credit catholica et apostolica Ecclesia Domini nostri Iesu Christi senioris Romae, ego quoque sentio et iis me acquiescentem dedo »; AG, 444-445.

[9] Cfr. supra ad n. 268.

[10] AG, 450: ἀλλ' ἔμεινεν ὁ κολιὸς κολιός ; quae verba aptius reddit CC 31-a. 1018: « sed cornicula remansit cornicula ».

runtur acta Synodi Hierosolymitanae mense aprili 1443 coadunatae non a omnibus authentica censentur [11].

Initio legimus: « Definitio Patriarcharum sanctorum Syriae, scilicet Philothei Alexandriae, Ioachim Hierosolymorum, Dorothei Antiochiae, contra Concilium Florentinum, sive contra octavum et execrabile ». Deinde narrat adventum Metropolitae Caesareensis Arsenii, qui narravit commotionem Byzantii excitatam propter Unionem. Hac ocasione Synodus facta est Hierosolymis, quae praesules et sacerdotes Unioni faventes omni actione ecclesiastica prohibuit et Arsenium exarcham totius Orientis constituit, ei iniungens ut « ubique pietatem annuntiet, non timens pro veritate faciem Imperatoris vel Patriarchae non recte sentientis et agentis » [12].

285. Constantinopolitani Unionis Florentinae studiosi: Quodsi Unio Florentina fato suo cessit, non defuerunt Byzantini primi subsellii scriptores qui eam, omnis generis insectationibus labefactatam debilitatamque, sustinere conati sunt.

Hos inter nominandus est Gregorius Mammas († 1459), Melissenus et Strategopoulos etiam dictus, a. 1443 ad sedem Patriarchalem Constantinopolitanam evectus, quam a. 1451 — vi an sponte nescitur — dimisit, ut Romam sese reciperet. Gregorius, qui tamquam vicarius Patriarchae Alexandrini Philothei Decreto Unionis Florentiae subscripserat [13], scripsit *Apologiam contra Marci Ephesii confessionem, Apologiam contra eiusdem Marci epistulam encyclicam* et *Epistulam ad Imperatorem Trapezuntis de additione facta in Symbolo* [14].

Ioseph Methonensis episcopus († post a. 1498), antea Ioannes Plusiadenus nuncupatus, natione Cretensis, quinque opuscula ad Florentinam Synodum vindicandam nobis mandavit, nempe: *Dialogus de differentiis inter Graecos et Latinos et de sacrosancta Synodo Florentina, Refutatio libelli Marci Ephesini de Synodo Florentina, Canon in Synodum Florentinam, Synaxarium Synodi Florentinae, Apologia pro sancta et oecumenica Florentina Synodo et defensio quinque capitum quae in decreto eius continentur* [15].

---

[11] G. Hofmann S. I., qui hanc synodalem sententiam, iuxta Ottob. gr. 418 saec. XV exaratum, edidit: *Orientalium documenta minora;* CF III, fasc. 3, R 1953, 69-72, illam ducit « nondum omnino certam »; nullum de hac Synodo verbum facit I. Karmiris, Τὰ δογματικὰ καὶ συμβολικὰ μνημεῖα τῆς ὀρθοδόξου καθολικῆς Ἐκκλησίας, I, A 1952.

[12] L. c., 72.

[13] L. Mohler, *Zwei unedierte griechische Briefe über das Unionskonzil von Ferrara-Florenz*; OrC, Neue Ser. 6 (1916), 213-222.

[14] PG, 160, 13-110, 111-204, 205-248.

[15] PG, 159, 959-1024, 1024-1094, 1095-1102, 1102-1106, 1109-1394. Plura de ultimo Plusiadeni opere dedit M. Candal S. I., OCP 21 (1955) 38-57.

Hisce consonant duo illi eruditi, genere byzantini, qui in Italia vitam agebant, nempe GEORGIUS TRAPEZUNTIUS († 1485) et eius suppar IOANNES ARGYROPOULOS. GEORGIUS, in insula Creta natus, EUGENII IV et NICOLAI V a secretis, praeter versiones quamplures et disquisitiones philosophicas, de Concilio Florentino egit, tractatu ad IOANNEM CUBOCLESIUM hac de re misso, et dissertatione *De processione Spiritus Sancti et de una, sancta, catholica Ecclesia*[16]. IOANNES vero, Constantinopoli amplissimo loco natus, postea Romae et Florentiae graecarum humaniorum litterarum magister, scholasticum theologum agens, edidit opusculum *de Florentina definitione* circa Processionem Spiritus Sancti[17].

Reliquos vero Unionis Florentinae vindices, scriptorum suorum numero et pondere, facile superat Cardinalis BESSARION († 1472), Trapezunte a. 1395 natus, anno autem 1437 Nicaenus Metropolita creatus a IOANNE VIII, cui adfuit in Concilio Florentino, tandem Sacra Romana Purpura ornatus est ab EUGENIO IV, titulo XII Apostolorum. Annos plus quam viginti strenue adlaboravit tam muneribus a Romanis Pontificibus sibi commissis studiosissime explendis, quam bonis litteris excolendis et libris exarandis, imprimis ut Florentinam Unionem tueretur[18].

Ut ea tantum indicemus quae absoluto iam Concilio redegit, recensenda veniunt: *Refutatio capitum Marci Ephesini de processione Spiritus Sancti*[19], *Responsio ad quattuor argumenta Maximi Planudae de processione Spiritus Sancti a Patre solo, De processione Spiritus Sancti ad Alexium Lascarin, De sacramento Eucharistiae et quibus verbis Christi corpus conficiatur*[20]. His vero accedit opus nundum editum *De Primatu Papae,* cuius meminit ALLATIUS[21].

286. CONSTANTINOPOLITANI UNIONIS ADVERSARII. MARCUS EPHESIUS: Monachorum, cleri medii et inferioris agmen contra Unionem Florentinam ducit MARCUS EUGENICUS, Metropolita Ephesi († 1444). Qui enim Florentiae numquam a sua sententia dimoveri potuit, neque ad subscribendum Bullae adduci, in patriam

---

16 PG, 161, 769-828, 829-868.

17 PG, 158, 991-1008.

18 Notas bibliographicas dedimus supra ad n. 257.

19 Priora 17 capita refutavit GEORGIUS SCHOLARIOS; reliqua vero BESSARION, a GREGORIO MAMMA, tunc temporis protosyncello, rogatus; PG, 161, 137-244.

20 PG, 161, 309-318, 319-448, 494-526.

21 L. ALLATIUS, *De perpetua consensione*, 966. De authentia huius operis dubia movet Emm. CANDAL S. I., CF, VII, 1, lxxviii-lxxxv.

reversus, dirissimum Unioni pactae bellum movit, etiamsi hanc ob causam Constantinopolim relinquere cogeretur [22].

In hac autem sententia MARCUS constantissime perseveravit ad mortem usque, quam subiit doloribus plenam; id quod HUMBERTINUS FUSCOLO vertit divinae vindictae; IOANNES autem EUGENICUS, Marci frater, putat hac atrocissima infirmitate MARCUM martyrii palma donatum esse [23]. Reliquum, ob eius tenacitatem in propugnandis photianis opinionibus MARCUS EPHESIUS Sanctorum honores adeptus est, ut expresse dicitur in eius Acolouthia a IOANNE eius germano fratre exarata [24].

Praeter ea quae, volvente Concilio, Ferrariae et Florentiae redegerat, contra Unionem MARCUS scripsit: *Capita syllogistica LVI adversus Latinos de Spiritus Sancti ex solo Patre processione, Dialogus cui titulus Latinus, sive de additione ad Symbolum, Confessio fidei, Epistula encyclica omnibus ubique terrarum orthodoxis* [25]. His vero non contentus, MARCUS litteris lacessivit plures Byzantinos, qui aliquam cum Ecclesia Romana societatem servare cupiebant [26]. Hos inter aderat GEORGIUS SCHOLARIOS, qui tunc temporis Unionem fovebat [27], sed mox ad Marci sententiam toto corde accessit.

287. POLEMICA GEORGII SCHOLARII OPERA ADVERSUS LATINOS: GEORGIUS, tum Florentiae, tum etiam Byzantii, ubi magni fiebat ut imperialis secretarius et concionator, operam navavit suam *Unioni ineundae et roborandae.*

Videlicet, durante Concilio, multiplicatis scriptis, GEORGIUS SCHOLARIOS causam Unionis suis commendavit [28]. Byzantii vero, anno 1440, Syllogismos MARCI EPHESII refutare aggressus est [29]. Postea vero, si stemus iis quae SCHOLARIOS de se ipse enarrat, silere maluit.

Cum vero ad partes MARCI EPHESII transivit versus a. 1444, eius locum sibi sumpsit in *debellando Concilio Florentino.* Quin,

---

22 S. PETRIDES, *Documents sur la rupture de l'Union de Florence*; EO 14 (1911), 205-207; L. PETIT A. A., *Note sur l'éxil de Marc d'Éphèse à Lemnos*; ROC 23 (1923), 414-415.

23 S. PETRIDES, *La mort de Marc d'Éphèse;* ROC 15 (1910), 97-112.

24 S. PETRIDES, *Synaxaire sur Marc d'Éphèse* (introduction et teste grec); ROC 15 (1910), 97-112.

25 PO, 17, 368-415, 415-421, 435-442, 449-459.

26 Illas recole PO, 17, 460-483.

27 Epistula MARCI ad SCHOLARIUM habetur ibid. 460-464; PG, 160, 1092-1096; responsum vero SCHOLARII, quod fuit vehemens et concitatum, recole in PO, 17, 464-470.

28 PETIT - JUGIE - SIDERIDÈS, *Oeuvres complètes de Gennade Scholarios*, I, P, 1928, 296-375 exhibent eius scripta unionistica tempore Concilii redacta.

29 L. c., t. III, Pa 1930, 476-538. Ut vero iam diximus nonnisi priores 17 syllogismos, magna sane dialectica dexteritate, refutavit.

et a MARCO, morti iam proximo, rogatus, fidei religione sese obstrinxit ad tuendas eius opiniones, Unioni contrarias [30]. Iuriiurando autem ad mortem usque stetit, sive operibus editis, sive rebus gestis; praesertim posteaquam a. 1454 sedem Patriarchalem Constantinopolitanam conscendit [31], sub nomine GENNADII II.

Opera autem *adversus Latinos* noster SCHOLARIOS plura divulgavit, impugnans catholicam doctrinam de Processione Spiritus Sancti a Patre Filioque. Definitionem Florentinam ut everteret, SCHOLARIOS binos dedit tractatus *de Processione Spiritus Sancti*, a. 1444-1445 redactos [32]; quibus agitat argumenta dialectica, Sacrae Scripturae et imprimis SS. Patrum Graecorum et Latinorum, contendens hos quoque, vel si mavis S. AUGUSTINUM, sententiae PHOTII suffragari. His vero adiunxit tertium tractatum breviorem, duorum praecedentium *compendium* [33], et duos *Dialogos* circa eandem de Spiritus Sancti Processione doctrinam [34]. Recole quoque eius *Epistulam ad Magnum Dukam* [35]. Dogma autem *de Purgatorio* reicit tribus in opusculis [36].

Ne tamen putes, quod a doctrina catholica in quaestionibus controversis longissime abierit, idcirco SCHOLARIUM recedere quoque a ratione scholastica occidentalium propria. Qui enim non sine ratione quaerit sese a suspicione « Latinismi » apud suos cives purgari [37], semper fidelis fuit sectator *systematis* S. THOMAE, quem magni semper fecit [38].

287. LITTERARUM THEOLOGICARUM BYZANTINARUM SORS POST EXPUGNATIONEM CONSTANTINOPOLEOS: Cum die 29 maii 1453 Byzantium sub Turcarum potestatem redactum fuit, penitus mutata fuit Theologiae Byzantinae, atque adeo totius *Theologiae*

---

[30] PO, 17, 487-490.

[31] SCHOLARIOS, qui iam a. 1450 vitam monasticam erat amplexus, mutato nomine in GENNADIUM, ter, sed ad breve tempus, Patriarchatum obtinuit, videlicet, a. 1454-1456, 1462-1463 et 1464 aliquot tantum mensibus. Semper vero a munere sponte recessit. Cfr. I. PULPEA-RĂMUREANU, *Ghenadie II Scholarios, primul Patriarch Ecumenic sub Turci;* Ort 8 (1956), 397-416.

[32] *Oeuvres complètes*, II, Pa 1929, 1-268, 269-454.

[33] Ibid., 458-495.

[34] Ibid., III, Pa 1930, 1-204.

[35] Ibid., 136-151.

[36] Ibid., I, Pa 1928, 505-539. Ceterum, Scholario quidam tractatus antilatini falso adscripti sunt, ut est illud: *Contra ieiunium Latinorum in Sabbato et quod Liturgia non sit quotidie celebranda in Quadragesima, necnon de matrimonio clericorum et de barba*, PG, 160, 731-744, cuius verus auctor est NICOLAUS HIDRUNTINUS; *Oeuvres complètes*, III, LI.

[37] *Oeuvres complètes*, I, Pa 1928, 376-389.

[38] Cfr. supra ad n. 224.

Orientalis fortuna. Ex altera enim parte, omni Latinorum et Unionis Florentinae influxu sublato, una cum restitutione Patriarchatus Constantinopolitani a Romana Ecclesia dissidentis, veteres separatorum opiniones redintengrantur.

Id autem imprimis MARCO EPHESIO laudi vertit constantinopolitanus rhetor MANUEL, quadam sua oratione panegyrica [39], in qua MARCUM extollit propterea quod, adversus ipsos suos socios GEORGIUM GEMISTUM PLETHO et BESSARIONEM, quum tempore Concilii Florentini, tum etiam postea, Processionem Spiritus Sancti ex Patre tantum et distinctionem inter divinam essentiam et divinam operationem strenue sustinuerit [40].

Haec tamen veteris rationis victoria Theologiam Byzantinam in *gravissimum discrimen adduxit.* Nam, ut totius nostri tractatus decursu patet, Theologia Byzantina a Latina devia alebatur et patrocinio Imperatoris, cuius nutui semper praesto erat, et Universitate aliisque scholis in Urbe florentibus; quapropter, hisce exsiccatis fontibus, non potest non ipsa scientia theologica marcescere et ad occasum declinare.

Quinimo; cum litterarum sacrarum studium penes Nestorianos et Monophysitas iam antea cessaverit, periculum erat ne adversa haec Theologiae Byzantinae conditio secum ferret interitum cunctae Orientalis Theologiae.

Id autem de facto non evenit. Sed Theologia Byzantina non valuisset suis e cineribus suscitari, nisi *alio migraret.* Videlicet, Constantinopolitani theologi locum cedunt Slavis, qui ad nostra usque tempora gubernaculum retinent. Verum age; haec radicalis diversitas, una cum novis religiosis systematibus in Occidente exortis, non potest non influere Orientalium doctrinae, quae necessario novam prorsus speciem iduit, a Theologia Byzantina diversam. Sed de iis altero huius operis volumine, Deo favente, dicemus.

---

[39] Graece et russice prodivit: Ритора Мануила о Маркѣ Ефескомъ и Флорентiйскомъ Соборѣ; ChC 1886, II, 102-162, iuxta pervetustum codicem Sinaitici monasterii, in quo habentur alii duo tractatus MANUELIS, nimirum, contra Gemistum Pletho et contra duos syllogismos Latinorum de Processione Spiritus Sancti; cfr. ChC 1884, II, 184-185.

[40] ChC 1886, II, 105.

INDEX RERUM

INDEX ONOMASTICUS

INDEX AUCTORUM ET OPERUM

138. J. Řezáč S. I., De monachismo secundum recentiorem legislationem russicam, p. XVI-328. L. it. 3000; Doll. 5 —

1953. — 139. T. O' Shaughnessy S. I., The development of the meaning of Spirit in the Koran, p. 76 L. it. 1000; Doll 2 —

140. A. Colombo, Le origini della gerarchia della Chiesa copta cattolica nel secolo XVIII, p. XV-253. L. it. 3500; Doll. 6 —

1954. — 141. **M. Gordillo S. I.**, Mariologia Orientalis, p. XX, 282. L. it. 2100; Doll. 3,30

142. **G. Hofmann S. I.**, Rom und der Athos, p. 118. L. it. 1500; Doll. 2,50

1955. — 143. **M. Lacko S. I.**, Unio Užhorodensis ruthenorum carpaticorum cum Ecclesia catholica, p. XX-276. L. it. 4000; Doll. 6,50

144. **I. Hausherr S. I.**, La direction spirituelle en Orient autrefois, p. 322. L. it. 3000; Doll. 5 —

145. **W. de Vries S. I.**, Der Kirchenbegriff der von Rom getrennten Syrer, p. XV-200. L. it. 2100; Doll. 3,30

1956. — 146. **Th. Špidlík S. I.**, Joseph de Volokolamsk. Un chapitre de la spiritualité russe, p. XIX-153. L. it. 1900; Doll. 3 —

147. **P. Mario da Abiy-Addì O. F. M. Cap.**, La dottrina della Chiesa Etiopica dissidente sull'Unione Ipostatica, p. XXXII-176 L. it. 3000; Doll. 5 —

1957. — 148. **P. Johannes Chrysostomus O. S. B.**, Die « Pomorskie Otvety », als Denkmal der Anschauungen der russischen Altgläubigen gegen Ende des 1. Viertels des XVIII. Jahrhunderts, p. XX-212-. L. it. 2200; Doll. 3,50

149. **M. Miletić**, I « krstjani » di Bosnia alla luce dei loro monumenti di pietra, p. 186. L. it. 3600; Doll. 6 —

150. **St. Polčin S. I.**, La mission religieuse du P. Antoine Possevin S. J. en Moscovie (1581-82), p. 160. L. it. 1500; Doll. 2,50

1958. — 151. **P. Leskovec S. I.**, Basilio Rozanov e la sua concezione religiosa, p. XII-240. L. it. 2.500; Doll. 4,20

152. **Jonas Thaliath, T. O. C. D.**, The Synod of Diamper, p. XX-240. L. it. 3000; Doll. 5 —.

153. **Il monachesimo orientale.** Atti del Convegno di Studi Orientali che sul predetto tema si tenne a Roma, sotto la direzione del Pont. Istituto Orientale, nei giorni 9, 10, 11 e 12 Aprile 1958, p. 362. L. it. 3000; Doll. 5.—

1959. — 154. **C. Vagaggini O. S. B.** Patriarchi orientali cattolici e dispense matrimoniali, p. XII-256. L. it. 2500; Doll. 4,20

155. **J. M. Hanssens S. I.**, La liturgie d'Hippolyte. Ses documents, son titulaire, ses origines et son caractère, pp. xxxii-547 L. it. 4.500; Doll. 7,50

156. **J. Mateos S. I.**, Lelya-sapra. Essai d'interprétation des matines chaldéennes, pp. xx-510. L. it. 5.000; Doll. 9 —

1960. - 157. **Ir. Hausherr S. I.**, Noms du Christ et voies d'oraison, pp. 316 L. it. 3.000; Doll. 5 —

158. **M. Gordillo S. I.**, Theologia orientalium cum latinorum comparata. Commentatio historica. Tom. I: Ab ortu nestorianismi usque ad expugnationem Constantinopoleos (431-1453), pp. xxiv-428. L. it. 3.600; Doll. 6 —

CONCILIUM FLORENTINUM

DOCUMENTA ET SCRIPTORES

EDITUM CONSILIO PONTIFICII INSTITUTI ORIENTALIUM STUDIORUM

Vol. I (Series A) - *Epistolae pontificiae ad Concilium Florentinum spectantes.* Ed. Georgius HOFMANN S. I.

Pars I. *Epistolae pontificiae de rebus ante Concilium Florentinum gestis (1418-1438),* pag. XVIII, 118. Romae 1940. L. it. 2850; Doll. 4.75.

Pars II. *Epistolae pontificiae de rebus in Concilio Florentino annis 1438-1439 gestis,* pag. XX, 148. Romae 1944. L. it. 2850; Doll. 4.75.

Pars III. *Epistolae pontificiae de ultimis actis Concilii Florentini annis 1440-1445 et de rebus post Concilium gestis annis 1446-1453,* pag. XVI, 180. Romae 1946. L. it. 3780; Doll. 6.30.

Vol. II, fasc. I (Series B) - Ioannes DE TORQUEMADA O. P., *Apparatus super decretum Florentinum Unionis Graecorum.* Ed. Emmanuel CANDAL S. I., pag. LXII, 147. Romae 1952. L. it. 3150; Doll. 5.25.

Vol. II, fasc. II (Series B) - Fantinus VALLARESSO, arch. Cretensis, *Libellus de ordine generalium conciliorum et unione Florentina.* Ed. Bernardus SCHULTZE S. I., pag. LXIV, 121. Romae 1944. L. it. 3150; Doll. 5.25.

Vol. III, fasc. I (Series A) - *Acta Camerae Apostolicae et civitatum Venetiarum, Ferrariae, Florentiae, Ianuae, de Concilio Florentino.* Ed. G. HOFMANN S. I., pag. XXIII, 125. Romae 1950. L. it. 3150; Doll. 5.25.

Vol. III, fasc. II (Series A) - *Fragmenta protocolli, diaria privata, sermones.* Ed. Georgius HOFMANN S. I., pag. XLII, 99. Romae 1951, L. it. 3150; Doll. 5.25.

Vol. III, fasc. III (Series A) - *Orientalium documenta minora.* Ed. Georgius HOFMANN S. I. cooperantibus Th. O' SHAUGHNESSY S. I. et I. SIMON S. I., Romae 1953, 90 pag. L. it. 2.000; doll. 3,50.

Vol. IV, fasc. I (Series B) - Andreas DE ESCOBAR O. S. B., ep. Megarensis, *Tractatus polemico-theologicus de Graecis errantibus.* Ed. Emmanuel CANDAL S. I., Romae 1952. pag. CXXVI, 112. L. it. 3150; Doll. 5.25.

Vol. IV, fasc. II (Series B) - Ioannes DE TORQUEMADA O. P., *Oratio synodalis de primatu.* Ed. Emmanuel CANDAL S. I., Romae 1954, pag. LXXXIV-116, L. it. 4.700; Doll. 7.70

Vol. V, fasc. I-II (Series A). *Acta graeca Concilii Florentini cum versione Latina.* I. GILL S. I.

Pars I. *Res Ferrariae gestae,* pag. XCI, 228, Romae 1953, L. it. 5000; Doll. 8,50.

Pars II. *Res Florentiae gestae,* pag. 256, Romae 1953. L. it. 4000; Doll. 6,50.

Vol. VI, (Series B) - Andreas DE SANTACROCE, advocatus consistorialis, *Acta Latina Concilii Florentini.* Ed. Georgius HOFMANN, S. I., pag. LVI-288. Romae 1955. L. it. 6.200; Doll. 10.

Vol. VII, fasc. I (Series B) - BESSARION NICAENUS, *Oratio dogmatica de Unione.* Ed. Emm. CANDAL, S. I., pag. XCI, 98, Romae 1958, L. it. 6000; Doll. 10.